www.e-rara.ch

Auli Persi Flacci satirarum liber

Persius Flaccus, Aulus

Parisiis, MDCV [1605]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 8160

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-34174

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

TH MR
1 01 061

Rar 8160

AVLI PERSI FLACCI SATIRARVM LIBER.

ISAACVS CASAVBONVS recensuit, & COMMENTARIO LIBRO illustrauit.

Ad virum amplissimum
D. ACHILLEM HARLÆVM
SENATVS PRINCIPEM.



PARISIIS,
Apud AMBROSIVM & HIERONYMVM DROVART, sub scuto Solari, via Iacobæa.

M. DCV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Franc Venturij dono
D. Petri Dinij



TH MR
1 01 061

NOBILISSIMO illustrissimóque viro, D. ACHILLI HARLÆO, EQVITI, AMPLISsimíque ordinis principi,

Is. CASAVBONVS S. D.

NICIAM pictorem quõdam excellentissimum, dicere solitum legimus, Præses amplissime, artis pingendi non minimam partem in eo esse positam, vt argumentum eligatur pingi dignum, & quod spectantium oculos idoneum sit tenere. Huius ego exemplum, quanto minus ingenio fidebam,

tanto diligentius imitandum mihi esse duxi, cum de elucubrando aliquid cepi cogitare, quod in sacrario Musarũ tuo, ceu tabulam ἀναθηματικὸν appenderem: tot tantorúmque beneficiorum, quibus me tibi feciſti dudum obnoxium, teſtem: meæque adeo obſeruantiæ erga te ſummæ, poſteris, ſi forte, monumentum aliquod; tibi certè, pignus, vti ſpero, non ingratum futuram. Id igitur animo voluens, quum ſcrinia omnia mea excuſſiſſem, ex illo auctorum numero, quorum illuſtrationi vigilias meas impendi, Perſium Flaccum certo iudicio elegi, quem non vulgari cura, nec ſtudio mediocri à me recenſitum, & nouo Commentario enarratum, tibi offerrem, vir ampliſſime, atque nomini tuo ſplendidiſſimo conſecrarem. Ductus autem ſum hac minime fallaci coniectura: quod ſcirem eam demum ſtudiorum ſectam tibi præ cæteris probari, quæ neque amœnitates ſolùm

captet, sicut magna pars hodie facimus: neque rursus, mansuetioribus literis spretis, supercilium rigidè nimis contrahat: sed sapientiam cum eloquentia & eruditione iusto quodam conuenientéq. temperamento misceat: & vt Græcorum non ignobilis scriptor ait, τῇ ἀρετῇ τὸν λόγον κοσμῇ, τῷ ἀρετῷ ὃ τῷ λόγῳ. Quo in vtroque genere si grauissimum hunc morum censorem, & virtutum præceptorem fidissimum, contendam excellere: tam certus sum victoriæ sub te iudice, quæ tua est eruditio, & in literis quoq. rectum iudicium: quàm illud non ignoro, ludibrium me sibi debere sophos illos esse dicturos, quibus satis acceptum est, nullum poëticæ aut eloquentiæ cum grauioribus disciplinis commercium intercedere. Nam quid aliud ab illis exspectem, qui fatali quadam ignauia, res natura sua coniunctissimas, studia dico scientiarum & humanitatis artes,

adeo ſeparant, φύσεως ἐνδείᾳ, vt ſcribit Platonicorum mellitiſſimus, κατακερματίζοντες τὰ μὴ δυνάμενα χωρίζεσθαι: vt ſi quis illa curet iungere, hunc ſtatim alienum eſſe omni philoſophiæ clamitent? Scilicet aſſenſuri iſti ſunt veteribus ſapientibus, Poëticam τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας εἶναι σύνναον, (ipſis enim verbis illorum vtar:) quos videmus omni cura morum poſthabita, quæ vera philoſophia eſt, in neſcio quibus argumentatiunculis, in nugis ſophiſticis, in puerilibus argutiolis, λωβοῖς denique ῥηματίοις τῆς διαλεκτικῆς, quod ſua iam ætate Euphrades Themiſtius conquerebatur, ſummam ſapientiam ponere. Scilicet facundiæ Perſij virile robur, aut recondita illa eruditio eos capiet, quib. priſtinam barbariẽ mordicus retinere, & in antiquitatis totius ignoratione verſari, potius videtur eſſe ac melius, quàm poſſeſſionẽ literarum, olim ſimili ſocordia extinctarum, memoria

verò patrum magno Dei immortalis beneficio in lucem reuocatarum ex alta hominum obliuione, sibi vindicare, & pro sua quemque virili posteris asserere. quod qui non faciunt, caussam dicere nullam possunt, quo minus pro tanti muneris bonitatis diuinæ parum æquis æstimatorib. imo verò iniquis ingratisque aspernatoribus sint habendi. adeo crimen ingens est, quod istis ne minimæ quidem culpæ affine iudicatur. Equidem, vir maxime, pro meo in literas amore sincero, hoc genus hominum meminisse nunquam possum, quin statim eius mihi in mentem veniat, quod in Dissertationum Arriani pulcherrimis libris, aliquando legisse te, quem meliorum literarum nihil fugit, nõ dubito. Scribit verò Arrianus, sapientissimum senem illum Epictetum, impietatis in Deum eos insimulasse, qui in philosophiæ studiis τὴν ἀπαγγελτικὴν δωμαμιν, siue sermonis curam tanquam rem leuem

aspernarentur: quoniam quidem, aiebat vir diuinus, ἀσεβοῦς ἐστιν ἀνθρώπου τὰς παρὰ τοῦ Θεοῦ χάριτας ἀτιμάζειν. en germanum philosophum: en vocem aureã. nec minus memorabile Synesij philosophi præstantißimi vaticiniũ tristi euentu confirmatum, quod multò antè ab ipso est editum, cum rationem studiorum similiter peruerti ab æqualibus suis cerneret. Disputans enim contra τοὺς ἀξιοῦντας δόγμασιν ἀπορρήτοις ἐνδιδέσθαι ἐν λέξεσι τριοδίτισιν: hoc est, aduersus eos, qui ad sanctißimæ Theologiæ studia infantiam & sophisticen pro solida eruditione afferrent, fatidicã hanc quasi sortem edidit: κίνδυνος, inquit, εἰς ἄβυσσόν τινα φλυαρίας ἐμπεσόντας τούτους διαφθαρῆναι. vtinã defuisset huic oraculo fides. sed profectò, si verũ amamus, deprauationi illi & huius scientiarũ reginæ, & omniũ aliarum, quæ postea accidit, occasionem quidem Gotthorum & Alanorum inuasiones præ-

buerunt: at cauſſa illius propior ac vera eſt, ratio ſtudiorum peruerſa, & in liberalibus diſciplinis praua inſtitutio, ac linguarum ſimul & vniuerſæ literaturæ melioris ignoratio. Atenimuerò quantum iſti à recta ſtudiorum ratione deflectunt: tantum alij diuerſo erroris genere peccant, qui in lectione antiquorum ſapientum aßidui ſunt, non vt animum, ſed vt ingenium excolant: non vt diſcant viuere, ſed vt loqui: neque vt meliores ab illis diſcedant, ſed vt doctiores tantùm: qui denique grammaticorum ſolùm oculis ſcripta eorum legunt, qui de virtute præcipiunt. Atqui non in eum certè finem viri magni & præcepta & exempla virtutum memoriæ commendata ad poſteros tranſmiſerunt: vt ad inanem aurium oblectationem, vel iactationem vanam inutilis eruditionis, ea cognoſceremus: verùm vt ſuis nos lucubrationibus excitarent ad effodiẽda & in actum pro-

ducenda recti honestique semina, quæ quum à natura accepissemus, vitiis tamen circunfusa, & tantùm non obruta, sic in nostris animis, nisi cultura melior accedat, latent, quasi in altum quendam scrobem penitus defossa. Huc spectant, quod te minimè latet, vir sapientissime, tot illa volumina quæ de morali disciplina philosophi confecerunt. Tendit eodem & Græcorum Latinorúmque poëtarum pleraque manus: sed itineribus diuersis. quot sunt enim poëtarum genera, sunt autem quamplurima, tot ferè diuerticula & viarum ambages eò ducentium. Breuis & directa via est quam Persius & reliqui Romanæ Satiræ poëtæ institerũt: omissis enim fabulis & omni poëtarum aliorum περιτεία, rem ipsam dicunt, & cum vitiis γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, quod aiunt, ὁμόσε χωροῦσιν, eáque ridenda omnibus propinant. Qui si eo animo hodie tractarentur quo scripsisse ipsos antè osten-

dimus, vberrimos, ita me Deus, operæ ſuæ fructus & interpretes eorum & lectores reportarent: nam vt ſolæ πάνδοχοι literæ animi morbos poſſunt curare: ſic eiuſmodi poetarum aſsidua lectio curationẽ adiuuare: & quum ſanare nequeant, poſſunt tamen ſanabiles reddere. fit enim neſcio quomodo propter humani ingenij cum numeris cognationem naturalem, vt virtutis præcepta carmine alligata & memoriæ firmius hæreant, & in ima præcordia efficacius deſcendant. Hoc igitur animo quum ante multos annos Perſij Satiras interpretati eſſemus, vt ipſi nos primùm ad amorem virtutis, odium vitiorum capeſſendum ſtimularemus: deinde vt ſtudioſæ iuuentuti ad ſimilem conatum duces nos præberemus, de quo priores interpretes parùm videbantur cogitaſſe: auſi ſumus, Præſes ampliſsime, de illuſtris tui nominis ſplendore ſtricturam aliquam luminis noſtræ huic ſcri-

ptioni ire mutuatum. Quod vt æqui boni consulas, tenuéque hoc munusculum benigne vt accipias, per illam ipsam naturæ tuæ bonitatem te obtestor, quæ nullo meo merito tuam mihi tantam beneuolentiam conciliauit, quantam vel optare sine audaci temeritate non poteram. Quum autem meritorum in me tuorum is sit cumulus, vt fides mea sine beneficio tabularum nouarum liberari nequeat: æquitatis tuæ magnitudinisque animi fuerit, non quid adferam tibi, sed quo animo attendere. neque enim id ago, vt nexu me exoluam opera tam leui: sed vt ingenua bonæ copiæ eiuratione quantum tibi à me debeatur palàm omnibus faciam. Vt hoc non esset, merebatur tamen tua virtus ne alium præter te patronum sibi Persius adsciscere. cui enim potius supplicet tam seuerus morum censor, quàm illi cuius vita censura est? qui censorias illas virtutes, τὸ σεμνότητα, τὸ βάρος καὶ

τὸ ἀπαραίτητον ἐν τῷ δικαίῳ, indeclinabilẽ inquã, iustitiam, vitæ sanctitatẽ, grauitatem & constantiã, quas tantopere in suo Catone Romani stupebant, longo adeo temporum interuallo præstas rediuiuas. neque hoc dico vt Catonem tibi comparem, nedum vt te Catoni: qui sciam tanto maiorem te omnibus Catonibus, quanto vera in Deum pietas cæteris quamuis maximis præstat virtutibus. Itaque imago vetustatis, columen sapientiæ, exemplum seueritatis sic haberis ab vniuersis Franciæ populis, sed non solis, vt non tantùm adspectus, verùm etiam cogitatus emendes ac censuram exerceas. neq. quisquam adhuc tam maleuolus aut inuidus est repertus, qui Curiam ingredientibus cuius tot iam annos princeps es, aliud optandũ existimet, nisi vt ad tuum se ductum applicent, te mirentur præsentem, de te cogitent absente. Et tamen venerationis huius quàm omnes ordines

debere se tibi & fatentur, & prolixè exhibẽt, nihil potest hęc canities, alioquin venerabilis, tibi imputare. quæ enim rarissima laus est, in ipso adolescentiæ flore pro canis tui mores tibi fuerunt. iam tunc cùm vix ætatem ingressus virilem, Augustoriti Pictonum extraordinario cum imperio ius dicens, seueritate animaduersionum in potentissimos reos, & inexorabili vereq. Achilleo animi robore contra gratiam aut minas, omnium oculos in te conuertisti. Quare cùm post aliquot annos Christophorus Thuanus, illustri laude vir conspicuus, orbam Curiam & sui desiderio lugentem, diem supremum obiens reliquisset, non putauit Henricus III. esse quærendum sibi ecquem in illo sublimi dignitatis fastigio collocaret: vnus enim tu occurrebas, dignus qui viro incomparabili absque te fuisset, succederes. qua in statione quæ & quanta sapientiæ, prudentiæ & fortitudinis, (nam

& hac per conditionem ſuperiorum tẽporum opus tibi fuit,) exempla edideris, vnius epiſtolæ anguſtiis velle complecti, res longæ hiſtoriæ, hoc verò ſit σχεδίῃ περάᾳν μέγα λαῖτμα θαλάσσης. *Maneat Annaliũ conditores hæc cura: quorum vt quiſque erit veritatis amantiſsimus, patriæ charitate feruentiſsimus, vel, vt aliis verbis idem dicam, Chriſtianiſsimo Regi noſtro deuotiſsimus, in tuarum laudum cõmemoratione plurimus eſt futurus. Nos interea, quod aſsiduè facimus, Deum* OPT. MAX. *venerabimur, ampliſsimo ſenatui, & vniuerſo regno incolumem te quàm diutiſsime præſtet: nobiliſsimum Filium tuum, per medias laudes in hac iuuentute ſua quaſi quadrigis vehentem, ex Anglica legatione ſiſtat tibi reducem: vtque tu illo, ille te longum fruamini. Vale ſeculi decus immortale. Lutetiæ Pariſiorum, pridie Eidus Februarij,* CIƆIƆCV.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno Franciæ libros ab Isaaco Casaubono compositos absque auctoris permissu intra nouennium imprimat aut diuendat, publicationis exemplarium, si quis secus fecerit, multa indicta, prout amplius in ipso diplomate cont tur. Lutetiæ Parisiorum, 12. Kal. Feb. an. sal. 15

FORGET.

AVLI PERSI FLACCI SATIRÆ.

Prologus.

NEC fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt repente sic poëta prodirem.
Heliconiadasque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus,
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expediuit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenijque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poëtas, & poëtrias picas
Cantare credas Pegasæum melos.

SATIRA I.



Curas hominum! ô quàntum eſt in rebus inane!
Quis leget hæc? min' tu iſtud ais? nemo
Hercule. nemo?
Vel duo, vel nemo. turpe & miſerabile.
quare?
Ne mi'bi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint. nugæ. non, ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas: examénue improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiueris extra.
Nam Romæ eſt quis non? ac, ſi fas dicere: ſed fas
Tunc, cum ad caniciem, & noſtrum iſtud viuere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum ſapimus patruos: tunc, tunc. ignoſcite. Nolo:
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexúſque togáque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.
Heic, neque more probo videas, neque voce ſerena,
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.
Tun' vetule auriculis alienis colligis eſcas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe.
Quò didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, ſeniúmque. ô mores! vſque adeóne

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.
Tene' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina lana est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid,
Eliquat; & tenero supplantat verba palato.
Assensere viri. nunc non cinis ille poëtæ
Felix? non leuior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant conuiuæ. nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunatáque fauilla,
Nascentur violæ? rides, ait, & nimis vncis
Naribus indulges. an erit qui velle recuset
Os populi meruisse: & cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, ne thus?
Quisquis es, ô modo quem ex aduerso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si fortè quid aptius exit,
Quando hæc rara auis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti, finemque, extremúmque, esse recuso
EVGE tuum, & BELLE. nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet? Non heic est Ilias Atti
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis? calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
Quî pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calue
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.
O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,

Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantæ.
Vos ô patricius sanguis, quos viuere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, vt per lêue seueros
Effundat iunctura vngues. scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat vno:
Siue opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ.
Ecce modo heroas sensus afferre docemus
Nugari solitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno:
Vnde Remus, sulcóque terens dentalia, Quinti,
Quum trepida ante boues Dictatorem induit vxor:
Et tua aratra domum lictor tulit. euge poëta.
Est nunc Brisæi quem venosus liber Acci,
Sunt quos Pacuuiúsque, & verrucosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quæríne vnde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? vnde istud dedecus, in quo
Troßulus exultat tibi per subsellia lêuis?
Nílne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire? DECENTER!
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. doctas posuisse figuras
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceues?
Men' moueat quippe, &, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec nocte paratum

Plorabit, qui me volet incuruasse querela.
Sed numeris decor est, & iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit, Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin,
Sic costam longo subduximus Apennino.
ARMA VIRVM, *nonne hoc spumosum & cortice pingui?*
Vt ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum?
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Euion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni
Viueret in nobis? summa delumbe saliua
Hoc natat in labris: & in vdo est Mænas, & Attin
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit vngues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant: sonat heic de nare canina
Littera. Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror. euge, omnes, omnes bene mirâ eritis res.
Hoc iuuat: heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meüte. discedo. Secuit Lucilius Vrbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.
Heic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc videre meum tam nil, nulla tibi vendo

Iliade. Audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferueat aure.
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, & lusco qui poscit dicere, lusce;
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & secto in puluere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Calliroen do.

SATIRA II.

AD PLOTIVM MACRINVM.

HVNC, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit cădidus annos.
Funde merum Genio. non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuiuis promptum est, murmúrque, humilésque susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: ô si
Ebullit patrui præclarum funus! &, ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro

Hercule! pupillúmue vtinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio iam tertia ducitur vxor.
Hæc ſanctè vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, térque, & noctem flumine purgas.
Heus age, reſpondc, minimum eſt quod ſcire laboro:
De Ioue quid ſentis? eſtne, vt præponere cures
Hunc. cuinam? cuinam? vis Staio? an ſcilicet hæres,
Quis potior iudex, pueríſue quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iouis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: prò Iuppiter ô bone, clamet.
Iuppiter! at ſeſe non clamet Iuppiter ipſe?
Ignouiſſe putas, quia cum tonat, ocyus ilex
Sulfure diſcutitur ſacro, quam túque, domúſque?
An quia non fibris ouium, Ergennáque iubente,
Triſte iaces lucis, euitandúmque bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam eſt, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus vnctis?
Ecce auia, aut metuens diuum matertera, cunis
Exemit puerum, frontémque, atque vda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſaliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex & regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcauerit hic, roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota: negato
Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.
Poſcis opem neruis, corpúſque fidele ſenectæ:
Eſto, age: ſed grandes patinæ, tucetáque craſſa
Annuere his ſuperos vetuêre, Iouémque morantur.

Rem struere exoptas cæso boue, Mercuriúmque
Arcessis fibra: da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit: iam crescit ager, iam crescit ouile,
Iam dabitur, iamiam: donec deceptus, & exspes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incusáque pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore læuo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor:
Hinc illud subijt, auro sacras quòd ouato
Perducis facies. nam fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sítque illis aurea barba.
Aurum, vasa Numæ, Saturniáque impulit æra,
Vestalésque vrnas, & Tuscum fictile mutat.
O curuæ in terris animæ, & cælestium inanes!
Quid iuuat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona dijs ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissoluit oliuo:
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Feruentis massæ crudo de puluere iussit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen vtitur: at vos
Dicite pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum ius fásque animo, sanctósque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cędo vt admoueam templis, & farre litabo.

SATIRA III.

NEMPE hæc assidue. Iam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas:
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Iamdudum coquit, & patula pecus omne sub vlmo est.
Vnus ait comitum: verúmne? itáne? ocyus adsit
Huc aliquis. nemon'? turgescit vitrea bilis:
Findor: vt Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Iam liber, & bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosáque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha:
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser, inque dies vltra miser, buccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneróque columbo,
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, & iratus mammæ lallare recusas?
An tali studeam calamo? cui verba? quid istas
Succinus ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnêre. sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Vdum & molle lutũ es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota. sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinum.
Quid metuas? cultrixque foci secura patella est.

Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censorémne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute noui.
Non pudet ad morem discincti viuere nattæ?
Sed stupet hic vitio, & fibris increuit opimum
Pingue: caret culpa: nescit quid perdat: & alto
Demersus, summa rursus non bullit in vnda.
Magne pater diuum, sæuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,
Virtutem videant, intabescántque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt ære iuuenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter ceruices terruit, Imus,
Imus præcipites, quàm si sibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat vxor?
Sæpe oculos memini, tangebam paruus oliuo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Iure: etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire, erat in voto: damnosa canicula quantum
Raderet, angustæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haut tibi inexpertum curuos deprendere mores,
Quæque docet sapiens braccatis inlita Medis
Porticus insomnis, quibus & detonsa iuuentus
Inuigilat, siliquis, & grandi pasta polenta.
Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem.
Stertis adhuc? laxúmque caput compage soluta

Oscitat hesternum dissutis vndique malis?
Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris coruos, testáque, lutóque,
Securus quò pes ferat, atque ex tempore viuis?
Helleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite ô miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile nummus habet: patriæ, carísque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus es in re.
Disce: nec inuideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Vmbris,
Et piper, & pernæ, Marsi monumenta clientis:
Mænáque quod prima nondum defecerit orca.
Hæc aliquis de gente hircosa Centurionum
Dicat, Quod sapio, satis est mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas, æruminosique Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reuerti.
Hoc est, quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.
His populus ridet, multúmque torosa iuuentus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exsuperat grauis halitus, inspice sodes,
Qui dicit medico; iussus requiescere, postquam

Tertia compositas vidit nox currere venas,
De maiore domo modicè sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogauit.
Heus bone, tu palles. Nihil est. Videas tamen istud,
Quicquid id est: surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne sis mihi tutor:
Iampridem hunc sepeli: tu restas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lauatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidúmque triental
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti.
Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassísque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange miser venas, & pone in pectore dextram.
Nil calet hic. summósque pedes attinge, manúsque.
Non frigent. visa est si forte pecunia, siue
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina.
Tentemus fauces; tenero latet vlcus in ore
Putre, quod haut deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicísque, faciísque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

SATIRA IIII.

QVEM populi tractas? barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacendáque calles.
Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus: quid deinde loquêre? Quirites,
Hoc, puto, non iustum est, illud male, rectius illud.
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? rncta vixisse patella
Semper & assiduo curata cuticula sole.
Expecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc
Dinomaches ego sum. suffla. sum candidus. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Cum bene discincto cantauerit ocyma vernæ.
Vt nemo in sese tentat descendere, nemo.
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris. Nostin' Vectidi prædia? cuius?
Dives arat Curibus quantum non miluus oberret:
Hunc ais? hunc dijs iratis, genióque sinistro:

Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, Hoc bene sit: tunicatum cum sale mordens
Cæpe: & farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti?
At si vnctus cesses, & frigas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores: penémque arcanáque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vuluas.
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixáque nates labefactent forcipe aduncа,
Non tamen ista filix vllo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Viuitur hoc pacto: sic nouimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes: sed lato balteus auro
Prætegit: vt mauis, da verba, & decipe neruos,
Si potes. Egregium tum me vicinia dicat,
Non credam? Viso si palles improbe nummo,
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si Puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaueris aures.
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo:
Tecum habita: noris quam sit tibi curta supelle

SATIRA V.

Ad Annæum Cornutum, cuius fuit auditor.

VATIBVS hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum:
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, vt par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi, nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Feruebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, iunctura callidus acri,
Ore teres modico. pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas: mensásque relinque Mycenis
Cum capite & pedibus: plebeiáque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camena
Excutienda damus præcordia: quantáque nostræ
Pars tua sit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Ostendisse iuuat. pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

His ego centenas ausim deposcere voces:
Vt quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura: totúmque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pauido custos mihi purpura cessit,
Bullâque succinctis laribus donata pependit:
Cum blandi comites, totáque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo:
Cúmque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu. tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificémque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab vno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Diuidit in Geminos concordia fata duorum:
Saturnúmque grauem nostro Ioue frangimus vnà.
Nescio quod, certe est quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species, & rerum discolor vsus:
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur, irriguo maulut turgescere somno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille

In

In Venerem putret: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucémque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuêre relictam.
At te nocturnus iuuat impallescere chartis.
Cultor enim es iuuenum: purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. petite hinc iuuenésque senesque
Finem animo certum, miserísque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet. quid? quasi magnum
Nempe diem donas. sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit vltra.
Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.
Libertate opus est: non hac, vt quísque Velinâ
Publius emerunt scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus vna Quiritem
Vertigo facit: hic Dama est non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est. adsigna Marce tabellas.
Hæc mera libertas, hoc nobis pilea donant.
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? licet, vt volo, viuere: non sim
Liberior Bruto? Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc, (reliquum accipio,) LICET ILLVD, &, VT VOLO, tolle.
Vindicta, postquam meus à prætore recessi,

Cur mihi non liceat iussit quodcúnque voluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica vetauit?
Disce: sed ira cadat naso, rugosáque sanna,
Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque vsum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaueris alto.
Stat contra ratio, & secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturáque continet hoc fas,
Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compescere puncto
Nescius examen: vetat hoc natura medendi.
Nauem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periisse
Frontem de rebus. Tibi recto viuere talo
Ars dedit? & veri speciem dinoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, quæque euitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis:
Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum possis transcendere nummum:
Nec glutto sorbere saluam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto
Libérque, ac sapiens, Prætoribus, ac Ioue dextro.
Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vapido seruas in pectore vulpem:
Quæ dederam supra repeto, funémque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas:
Et quid tam paruum est? sed nullo thure litabis,

Hæreat in stultis breuis vt semuncia recti.
Hæc miscere nefas: nec cum sis cætera fossor,
Treis tantum ad numeros satyri moueare Bathylli.
Liber ego. vnde datum hoc sumis tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.
Si increpuit; Cessas nugator? seruitium acre.
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod neruos agitet. sed si intus, & in iecore ægro
Nascantur domini, quî tu impunitior exis,
Atque hic, quẽ ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit Auaritia: eia
Surge. negas. instat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? saperdas aduehe Ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa:
Tolle recens primus piper e sitiente camelo.
Verte aliquid; iura. Sed Iuppiter audiet: cheu.
Varo, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si viuere cum Ioue tendis.
Iam pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas
Ocyus ad nauem: nihil obstat, quin trabe vasta
AEgæum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: Quò deinde insane ruis? quò?
Quid tibi vis? calido sub pectore masculabilis
Intumuit, quam non extinxerit vrna cicutæ.
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna sit in transtro, Veientanúmque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
Quid petis? vt nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant auidos sudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia: nostrum est,
Quod viuis: cinis, & Manes, & fabula fies.

Viue memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.
En quid agis? duplici in diuersum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Anciput obsequio dominos: alternus oberres.
Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi iam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum abripit: attamen illi
Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Daue, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Præteritos meditor: (crudum Chærestratus vnguem
Abrodens ait hæc) An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore siniſtro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Euge puer, sapias, dys depellentibus agnam
Percute. Sed censen', plorabit Daue relicta?
Nugaris. solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque artos rodere casses.
Nunc ferus, & violens: at si vocet, Haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accersat, & vltro
Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc. hic hic, quem quærimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra vt Floralia possint
Aprici meminisse senes. quid pulchrius? at cum
Herodis venêre dies, vnctáque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ
Portantes violas, rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moues tacitus, recutitáque sabbata palles.

Tunc nigri lemures, ouóque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussêre deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaueris allî.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum videt Vulsenius ingens,
Et centum Græcos curto centussе licetur.

SATIRA VI.

AD CÆSIVM BASSVM.

ADMOVIT iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra, & tetrico viuunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto
Egregios lussе senes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernáque meum mare, quà latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere ciues.
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus, pauone ex Pythagoreo.
Hoc ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori: securus, & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior: & si adeo omnes
Ditescant orti penoribus, vsque recusem
Curuus ob id minui senio, aut cœnare sine vncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius. Geminos horoscope varo

Producis genio. Solis natalibus, est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum inrorans patinæ piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. vtar ego, vtar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse saliuam.
Messe tenus propria viue: & granaria (fas est)
Emole. quid metuas? occa: & seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta, Bruttia saxa
Prendit amicus inops: rémque omnem, surdáque vota
Condidit Ionio: iacet ipse in littore, & vna
Ingentes de puppe Dei: iámque obuia mergis
Costa ratis laceræ. nunc & de cespite viuo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris heres
Negliget, iratus quòd rem curtaueris: vrnæ
Ossa inodora dabit: seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent cassiæ nescire paratus.
Túne bona incolumis minuas? & Bestius vrget
Doctores Graios. Ita fit, postquam sapere vrbi
Cum pipere, & palmis venit nostrum hoc maris expers,
Fœnisecæ crasso vitiarunt vnguine pultes.
Hæc cinere vlteriore metuas? at tu, meus heres
Quisquis eris, paulum à turba seductior audi.
O bone num ignoras? missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germana pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis,
Essedáque, ingentésque locat Cæsonia Rhenos:
Dijs igitur, genióque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco: quis vetat? aude.
Væ, nisi conuiues. Oleum, artocreásque popello

Largior: an prohibes? dic clare: Non adeo, inquis.
Exoſſatus ager iuxta eſt. Age, ſi mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, ſterilis matertera vixit,
Déque auia nihilum ſupereſt: accedo Bouillas,
Cluúmque ad Virbi: præſto eſt mihi Manius heres.
Progenies terræ? quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud promte, dicam tamen. adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ eſt iam filius: & mihi ritu
Manius hic generis prope maior auunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcas?
Sam tibi Mercurius: venio deus huc ego, vt ille
Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictus?
Deeſt aliquid ſummæ. minui mihi: ſed tibi totum eſt,
Quicquid id eſt. Vbi ſit, fuge quærere, quod mihi quõdam
Legarat Tadius: neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces: hinc exime ſumtus:
Quid reliquum eſt? reliquum? nunc nunc impenſius vnge,
Vnge puer caules. Mihi feſta luce coquatur
Vrtica, & fiſſa fumoſum ſinciput aure:
Vt tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis,
Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulua? mihi trama figuræ
Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare, atque excute ſollers
Omne latus mundi: ne ſit præſtantior alter,
Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.
Rem duplica. Feci: iam triplex: iam mihi quartò,
Iam decies redit in rugam. Depunge, vbi ſiſtam.
Inuentus, Chryſippe, tui finitor acerui.

FINIS.

GLOSSÆ VETERES IN PERSIVM.

A. PERSII VITA.

AVLVS Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembris, Fabio Persico, L. Vitellio Coss decessit VIII. Kal. Decemb. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine & affinitate primi ordinis viris coniunctus. decessit ad octauum milliarium via Appia, in prædijs suis. Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fuluia Sisennia mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano: & eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus vsque ad annum XII. Volaterris: inde Romæ apud Grammaticum Remmium Palæmonem, & apud rhetorem Verginium Flaccum. Cum esset annorum XVI. amicitia cæpit vti Annæi Cornuti, ita vt ab eo nusquam discederet: à quo introductus aliquatenus in philosophia est. Amicos habuit à prima adolescentia Cæsium Bassum, & Calpurnium Staturam, qui eo viuo

iuuenis deceſſit. Coluit vt patrem Seruilium Numanum. Per Cornutũ cognouit Annæum etiam Lucanum, æquæuum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore Tragicus fuit, ſectæ Stoicæ, qui libros philoſophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur ſcripta Flacci, vt vix retineret ſe illo recitante à clamore, quin illa eſſe vera poëmata diceret. Sero cognouit Senecam, ſed non vt caperetur eius ingenio. Vſus eſt apud Cornutum duorum conuictu doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum, acriter tum philoſophantium, Claudij Agaterni medici Lacedæmonij, & Petronij Ariſtocratis Magnetis, quos vnice miratus eſt & æmulatus, cum æquales eſſent, & Cornuto minores. Ipſe etiam decem fere annis ſumme dilectus à Pæto Thraſea eſt, ita vt peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam vxorem habente. Fuit morum leniſſimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulcræ, pietatis erga matrem & ſororẽ & amitam exemplo ſufficientis. Fuit frugi & pudicus. Reliquit circa H-S XX. matri & ſorori: ſcriptis tantum ad matrem codicellis, rogauit eam vt daret Cornuto ſeſtertia, vt quidam dicunt, centies, vt alij volunt, argenti facti pondera viginti, & libros circa ſeptingentos, ſiue bibliothecam ſuam omnem. Verum Cornutus ſublatis libris, pecuniam ſororibus, quas frater hæredes fecerat, reliquit. Et raro, & tarde ſcripſit. Hunc ipſum librum imperfectum reliquit. verſus aliqui dempti ſunt in vltimo libri: & quaſi finitus eſſet, leuiter recitauit Cornuto: & Cæſio Baſſo petenti vt ipſe ede-

ret, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus Prætextam, & Ὁδοιπορικῶν librum vnum, & paucos in sororem Traseæ Arriæ matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri eius, vt aboleret. Editum librum continuo mirari homines, & deripere cæperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis xxx. Sed mox vt a scola & magistris deuerterat, lecto libro Lucillij decimo, vehementer Satyras componere studuit: cuius libri principium imitatus est: sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum & oratorum insectatione, vt etiam Neronem culpauerit. cuius versus in Neronem cum ita se haberet,

Auriculas asini Mida rex habet,

in hunc modum à Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

IN PROLOG.

vers. 9. V*Erba nostra conari*) Et *blandiri*, legitur.
14 *Pegaseium melos*) In alijs est, *nectar*.

IN SAT. I.

1 Q*Vantum est in rebus inane*) Græcum est, ὅσον τὸ κενόν.

2 *Quis leget hæc*) Hunc versum de Lucillij primo transtulit.

4 *Labeonem*) Labeo transtulit Iliada & Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Eius est ille versus: Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos.

6 *Examen ue improbum*) Examen est lingua, vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet. Castigare autem est digito libram percutere, vt temperetur, & præagitatione post æquum conquiescat. Trutina vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est.

9 *Nostrum istud viuere triste*) Figura Græca est, pro, nostram vitam tristem.

11 *Cum sapimus patruos*) Sic Cicero: Obiurgauit Cælium, vt quidam patruus Censor.

12 *Petulanti splene cachinno*) Cachinno nomen est, & declinatur per omnes casus, hic Cachinno, huius Cachinnonis. Cachinnus est cum voce risus lasciuior, quem Græci * μυσογελῶντας dicunt. Et secundum Physicos dixit, qui tradunt homines splene ridere, felle irasci, iecore amare, corde sapere, pulmone iactari.

* μεσοὺς γέλωτας, vel πλατυγέλωτας.

14 *Animæ prælargus*) Animæ prælargus dicit vento abundans.

16 *Et natalitia t.c s. albus*) Ambiguitas in *natalitia*, vtrum eam natali suo, munere acceperit, an tantum eo die gerere soleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt. &, *albus*, aut festiua veste indutus, aut recitandi pauore, ac meditandi & scribendi tædio perfunctus: vel veste candida nondum purpureum adeptus vestimentum, quod laticlauium dicitur.

18 *Patranti*) Patratio est rei venereæ perfectio, vel consummatio. vnde & patres dicti, eo quod patratione filios procreant.

ib. *Occllo*) Per ὑποκόρισμα: quia illum contrahendo minorem facit. Iuuenalis——oculosque in fine trementes.

21 *Et tremulo scalpuntur*) In libidinem excitantur. Iuuenalis,

--Quod enim non excitat inguen
Vox blanda,& nequam? digitos habet.

26 *Vsque adeone Scire tuum*) Hæc periodus apud Lucillium posita est vt me scire volo mi mi conscius sum,ne damnũ faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.

28 *At pulchrum est d. m.*) Hic requiritur historia Demosthenis, qui, cum transiret, & a mercenario tabernæ digito monstraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius libro quarto Carminum sic posuit:

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium.

29 *Ten Cirratorum*) Occulte tangit Neronem, cuius carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.

39 *Nunc non e tumulo*) Tumulus dicitur terræ aggestio,vbi nulla est memoria.

43 *Nec scombros met. car. nec tus*) Quæ carmina nullum periculum habeant manere apud salsamentarios & turarios. Per scombros significat salsamentarios,per tus pigmentarios.

44 *Quisquis es, o modo quem*) Mimica & Comica exclamatio:quoniam poetæ nonnunquam omis-

so recto sermone, extra scenam soli loquuntur, sustinentes personam suam, aut aliquorum hominum verba interponunt.

50 *Non est hic Ilias Accii*) Accius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissimè composuit.

54 *Scis comitem horridulum*) Scis birrum attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbrijs longis.

56 *Qui pote?*) Tractus sensus ex Græco versu, quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci.

58 *Nulla Ciconia*) Tria genera sannarum: aut manu significare ciconiam, aut oppositio temporibus pollice auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.

72 *Palilia*) Varro: Palilia tam priuata, quam publica sunt apud rusticos: vt congestis cum fæno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.

82 *Trossulus*) Trossulum oppidum fuit Hetruriæ, non longe a Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnauerunt Numio quodam duce. Vnde equites Romani Trossuli dicti sunt.

86 *Librat in antitheti*) Antitheta sunt hæc:

Fortia neglecti velabant colla capilli:
Et per neglecti volitabant colla capilli.
Ah quotiens vmbra porrexi brachia mota:
Ah quotiens vmbra redduxi brachia mota.

Antitheta autem ista sunt, quæ contra se ponuntur: vt, hinc pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: istinc fraudatio, illinc fides.

95 *Sic costam longo*) Omnia Epicorum carmina, ita fere sunt composita, vt proximus pes ab vltimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos ἀποδαχτύλους appellant, vt apud Cornelium Seuerum:

Pinea frondosi coma murmurat Apennini.

97 *Subere coctum*) Suber cortex arboris. Virgilius:

Huic natam libro, & syluestri subere clausam.

99 *Torua mimalloneis*) Versus Neronis sunt.

ib. *Mimalloneis*) Mimallones dicuntur ministri Liberi patris, ἀπὸ τῆς μιμήσεως. Calandrus Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones cum paruum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis & thyrsis in modum Baccharum ornauerunt. Illi credentes exercitum aduentare, discesserunt.

101 *Bassaris*) Bassarides, Bacchæ: quibusdam videtur à genere vestis, qua Liber patervtitur, demissa ad talos, quam Thraces Bassarin. Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur. Vulpes Thraces bassares dicunt. *Hesych.* βασσαρεὶς ἀλωπηξ.

119 *Nec cum scrobe*) Midæ historiam tangit.

122 *Nulla tibi vendo Iliade*) Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripsit Nero Troicon.

133 *Nonaria*) Nonaria dicta meretrix. quia apud veteres à nona hora prostabant, ne mane omissa

exercitatione illo irent adolescentes.

IN SATYR. II.

H*Vnc Macrine diem*) Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sane eruditum, & paterno se affectu diligentem, qui in domo Seruilij didicerat, à quo agellum comparauerat, indulto sibi precio aliquanto.

13 *Proximus expungam*) Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militia emittuntur. Item metaphora à bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius.

14 *Nerio iam tertia*) Nerius morte coniugum locupletatus, fœnerator est factus notissimus: de quo Horatius, Scribe decem Nerio. Dos enim a ciue Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non interuenerit, post mortem vxoris ad maritum pertinet.

19 *Vs Staio*) Staius tutor pupillarius fuit: Gutta & Albus, & cæteri præpositi, fuerunt iudices: qui in Iuniano iudicio corrupti, Oppianicum damnauerunt.

26 *An quia non fibris*) In vsu fuit, vt augures, vel aruspices adducti de Etruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius in patratione rei oues immolabantur.

27 *Bidental*) Locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.

36 *Nunc Licini in campos*) Licinius Crassus inter Romanos

Romanos locupletissimus, ideo Diues cognominatus. Alij volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Cæsaris significari prædiuitem: cuius monimentum est pretiosi operis via Salaria prope vrbem, ad lapidem secundum. De hoc non inuenustum Varronis Epigramma fertur:

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo?
Pompeius nullo. quis putet esse Deos?

39 *Non mando*) Verbo vsus est aruspico, cum eis dicitur: Mando tibi, vt maximum Iouem audias. Vt quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat & in sacris, & in prece.

42 *Tucetaque crassa*) Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita, ac macerata: & ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodē genere condita seruari, aut ad saturarum iura. Hinc Plotius Virgilij amicus in eadem regione est nominatus *Tuceta.

56 *Nam fratres inter ahenos*) Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub diuo totidem equestres filiorum Ægypti. Ex ijs autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula.

59 *Saturniaque impulit æra*) Aes in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque signato. Vnde ærarium nomen accepit. Fuit autem assis libralis, & dipondius. quod hodie in vsu remansit. & solebat pensari potius quam numerari: vnde & Dispensatores dicti *prorogatores.

70 *Donatæ à virgine puppæ*) Solebant virgines

* *Tucca*

* *pro erogatores.*

ante, quam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare. Hoc & Varro scribit.

72 *Messalæ lippa propago*) Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, vt palpebræ eius in exteriorem partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius Maximus dicebatur, originem trahens ab Aurelio Messala, qui septies fuit consul. qui cum à quodam Gallo ad monomachiam in prælio vocaretur, coruus super galeam in capite eius sedit, & victo hoste Coruinus vocatus est.

IN SATYR. III.

N *Empe hoc adsidue*) Hanc satyram poeta ex Lucillij libro quarto transtulit, castigantis diuitum luxuriam & vitia.

10 *Bicolor membrana*) Bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat.

13 *Vanescat sepia*) Sepiam pro atramento, à colore, posuit: quamuis non ex ea vt Afri, sed ex fuligine cæteri conficiant atramentum.

18 *Lallare*) Nutrices infantibus, vt dormiant, solent dicere sæpe, Lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte.

21 *Contemnere*) Hæc ab Horatio male transtata intempestiua sunt --quin tu
Inuidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere miser.

ib. *Et sonat*) Vt Virgil. Nec vox hominem sonat.

26 *Cultrixque foci*) Quia delibatæ dapes in ea

posita, ad focum feruntur.

28 *Stemmate quod Tusco*) An oportet te arrogantia inflatũ dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate, millesimus à magno auctore numereris, & ramum aliquem ac lineam successionis à genealogo in stemmate numeratus obtineas? vel in equitum Romanor. recognitione trabeatus censorem donis militaribus insignis salutas? Cognitio enim equitum Romanorum Censoribus erat subiecta, quæ nunc Consulum est officij.

37 *Feruenti tincta veneno*) Metaphora à lana, quæ corrupta ad pristinum colorem reuerti non potest.

45 *Morituro verba Catoni*) Merito, inquit, mihi lippitudinem arcessebam, ne Catonis deliberatiuam orationem recitarem, vtrum moriatur, an non: aut quibus verbis vti potuit, cum se destinaret interficere.

48 *Quid dexter senio*) Senio maior missus: vt eanis minor. Merito, inquit, flebam, ista cum semper laudarem.

89 *Inspice sodes*) Sodes, antiquæ affectationis est: adeo vt soluto eo quidam vsi sint, vt Plautus, qui per solutionem sic ait:

Dic mihi, si audes, quæ est, quam ducere
vis vxorem?

103 *Tandemque beatulus*) Ambitionem irridet, non quia μάκαρες & μακάεσσι dicuntur mortui. non est enim Romanæ consuetudinis. sed quia pretiosa in funeribus veste stragula, cæteriquè etiam pauperculi exponebantur. Beatulus autem, qui nunquam splendidiore habitu fuit. aut

certe, quia Romanæ consuetudinis fuit simpliciter sepelire.

106 *Hesterni capite induto*) Hesterni, ait, à defuncto pridie manumissi, id est liberti, & ciuis Romani facti.

ib. *Capite induto*) Quia manumissi ante manumissoris corpus pileati incedebant.

112 *Populi cribro decussa farina*) Farinam, panem non delitiosius cribro discussum, sed plebeium, de populi annona, id est, fiscalem, dicit.

IN SATYR. IIII.

Scis etenim iustam) Reuera scis iustitiam in lance pensare, & ipsius lancis dubiæ rectitudinem calles discernere, & curuam regulam momentare, vbi inter curua subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum momentaneæ stilum.

13 *Nigrum præfigere Theta*) Iudices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito. Θάνατος ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum. ideoque triste intelligitur: vel mortis signum: vnde quidam ait,

O multum ante alias infelix litera Theta.

18 *Curata cuticula sole*) Curata, scilicet à chromatiarijs. Nam chromatiarij dicuntur colorarij, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim vngebant se, & in sole erant, vt oleum corpus imbiberet: vt Iuuenalis,

Nostra bibat vernum cõtracta cuticula Solẽ,
Effugiatque togam.

26 *Quantum non miluus oberret*) Secundum proverbium:

Quantum milui volant.

28 *Pertusa ad compita*) Compita sunt loca in quadriuijs, quasi turres, vbi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta. vel compita non solum sunt in vrbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diuerticula aliquorum confinium, vbi ædiculæ consecrantur patentes. In his iuga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti & elaborati operis indicium.)

44 *Cæcum vulnus habes*) De gladiatoribus tractum, qui accepto vulnere, inaurato balteo tegunt.

49 *Puteal*) Fœneratores ad puteal Scribonis Licinij, quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant.

IN SATYR. V.

Caenanda Glyconi) Glycon Tragœdus populo mire placuit: & ideo à Nerone manumissus est, datis Virgilio Tragœdo domino eius, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum tercentis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso: antequam subornaretur deformis: nescius iocari, propter quod eum insulsum Persius dixit.

14 *Verba togæ sequeris*) Toga est purum pallium, forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu: & sub dextro veniens, super humerum sinistrum

ponitur: cuius similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace vtebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ iustæ senas vlnas habebat.

22 *Quantaque nostræ Pars tua sit Cornute animæ*) Sententia à Pythagora tracta, dimidiam animæ suæ partem dicit Cornutum, vt Horatius Virgilium:

Et serues animæ dimidium meæ.

31 *Succinctis laribus*) Quia Gabino habitu, cinctuque Dij penates formabantur, obuoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.

33 *Candidus vmbo*) Σωκεδοχικῶς pro toga. Alioquin & in prætexta candidus vmbo est.

47 *Nostra vel æquali*) Hoc secundum Astrologos dicit. Et hic sensus tractus est ab Horatio:

Seu Libra, seu me Scorpius aspicit.

52 *Mille hominum species*) Et Horatius:

Quot capitum viuunt, totidem studiorum
Millia. Et Terentius,
Quot capita, tot sententiæ.

53 *Velle suum cuique est*) Et Virgilius:

--trahit sua quemque voluptas.

54 *Sub sole recenti*) Est hic sensus ab Horatio tractus:

Hic mutat merces surgente à sole.

73 *Quisque velina*) Velina tribus numero aliarum tribuum accessit: & qui circa Velinum lacum habitabant, Romam translati sunt. Romæ autem erat consuetudo, vt qui ex manumissione ciues Romani efficiebantur, in numero ciuium

Romanorum frumentum publicum acciperent.

7 *Quibus vna Quiritem*) Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde manumissio dicta, quod manu mitteretur. Quiritem autem singulariter abusiue dixit, licentia poëtica. Nam sicut pater conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus.

8 *Vindicta*) Virga est, qua manumittendi à Prætore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Masurius autem hic Sabinus legis consultus fuit: & Rubricas, vocat minium, quo tituli legum annotabantur.

100 *Certo compescere puncto*) Non ad trutinam, sed ad stateram retulit, quæ punctis, & vncijs signatur.

104 *Frontem de rebus*) Pudorem. Templum enim pudoris est frons.

112 *Mercurialem*) Ideo dixit, quia ipsum Deum lucri dicunt. Vnde & cum sacello pingitur, & à negotiatoribus plurimum colitur.

119 *Digitum exere*) Digito sublato ostende, victum te esse à vitijs. Tractum à gladiatoribus, qui victi, ostensione digiti veniam à populo postulabant.

123 *Moueare Bathylli*) Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus.

137 *Verte aliquid*) Negotiare, & speciem pro specie commuta.

138 *Baro, regustatum*) Lingua Gallorum barones, vel varones dicuntur serui militum. qui vtique stultissimi sunt, serui videlicet stultorum.

140 *Et œnophorum aptas*) Oenophorum vas vinum ferens. οἶνος enim vinum est, de quo est illud:

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

145 *Vrna cicutæ*) Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi extinguit: Vnde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore eius vngebantur, vt à concubitu abstinerent.

153 *Hoc quod loquor inde est*) Horatius:

Dum loquimur fugit inuida ætas.

161 *Dane cito hoc credas*) Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Dauum seruum Chæreſtratus adolescens alloquitur, tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus: idemque tamen ab ea reuocatus ad illam redit. Apud Terentium personæ immutatæ sunt.

165 *Et vdas Chrysidis*) Vdas fores dixit, quas amatores solent vnguento perfundere, & ante ianuam illarum noctem vigiliis, & cantu transigere.

177 *Vigila & cicer*) Ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum, vt Tellus velut muneribus suis placaretur.

180 *Herodis venere dies*) Herodes apud Iudæos regnauit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obseruant, vt etiam sabbata: quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt.

184 *Recutitaque sabbata*) Instituta Iudæorum significat, propter circuncisionem: quam, auctores suos secuti, faciunt.

185 *Ouoque pericula rupto*) Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, obseruare sole-

bant ouum igni impositum, vtrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius.

186 *Cum sistro lusca sacerdos*) Sistrum sacerdotes Isidis portant. Lusca autem, ideo, quod nubiles deformes cum maritos non inuenerint, ad ministeria Deorum se conferant.

IN SATYR. VI.

Admouit) Hanc satyram scribit Persius ad Cæsium Bassum poëtam Lyricum, quem fama est, in prædijs suis positum, ardente Vesuuio monte Campaniæ, & late ignibus abundante, cum villa sua vstum esse. Hic ergo dum viueret, Roma ad Sabinos necessario transibat, vbi brumali tempore in calido loco carmina scribebat.

6 *Mihi nunc Ligus ora*) Seipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines, videlicet propter Fuluiam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat.

7 *Hibernat*) Sæuit, vel à nauigijs vacat. Sicut enim naues hibernare dicimus: sic & mare, cum non nauigatur.

10 *Cor iubet hoc Enni*) Hunc versum ad suum carmen de Ennij carminibus transtulit.

24 *Turdarum nosse saliuam*) Cognoscit turdorum sapores. Solent enim quidam gulæ dediti, tantæ subtilitatis habere palatum, vt dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius sit: an masculus, an femina. Turdarum dixit abusiue, cum turdorum

debuerat, vt Horatius ponit:

Pene macros, arsit, dum turdos versat in igni.

30 *Ingentes de puppe Dei*) Nauium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt.

35 *Ossa inodora*) Sine vnguentis: vel, *inhonora*, sepulturæ honore carentia.

40 *Crasso vitiarunt vnguine*) Solent rustici cum oleum defuerit, adipem pecudum in pultem misso pro oleo vti.

55 *Accedo Bouillas*) Bouillæ sunt vicus ad vndecimum lapidem Appiæ viæ: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus iam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bouillæ dictæ.

56 *Cliuumque ad Virbi*) Quatuor millibus ab vrbe est Virbij cliuus, qua iter est ad Ariciam, & ad nemus Dianæ, vbi Virbius colitur, id est Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium fabula est.

ib. *Mannius*) Mannium dicit deformem & ignotum hominem, eo quod Maniæ dicuntur indecori vultus personæ, quibus pueri terrentur.

61 *Qui prior es cur me*) Apud Athenas cum iuuenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat: deinde sequenti se tradebat, & secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.

67 *Fœnoris accedat merces*) Tractum est hoc à patribus, qui dicunt filijs suis; hoc, quod vobis lucri de fœnore accessit, ad fructum, id est, ad vsum vitæ vobis proficiat: reliquum vero pecuniæ reseruate integrum.

77 *Cappadocas rigida*) Gladiatores dicit. Nam

apud antiquos, venales gladiatores in cataſta ponebantur, vt in eis poſſent omnia membra inſpici. Vel quia Cappadoces dicerentur habere ſtudium naturale ad falſa teſtimonia proferenda: qui nutriti in tormentis à pueritia, equuleum ſibi facere dicuntur, vt in eo ſe inuicem torqueant, & cum in pœna perdurarent, ad falſa teſtimonia ſe bene venundarent.

ib. *Pauiſſe*) Legitur & *plauſiſſe*: quoniam venales antequam in cataſta imponantur, cantant vniuerſi pariter more gentis ſuæ.

80 *Inuentus Chryſippe*) Chryſippus philoſophus Stoicus Syllogiſmum σωρίτην vocauit, quem per adiectionem & detractionem ex acerui frumentarij ſimilitudine oſtendit.

FINIS.

ISAACVS CASAVBONVS LECTORI S.

VETERVM *criticorum notulas in A. Persium à Petro Pithœo viro magno & iudicij castigatißimi excerptas olim ac publicatas, editioni huic noſtræ adiiciendas tua gratia, Lector candide, curauimus. Primum quia Persij vita illis præfixa eſt lectu digniſſima: ſiue ſit eius auctor Valerius Probus, vt pleraque exemplaria antiqua teſtantur, ſiue alius. deinde autem quod in his paucis notis inuenire eſt nonnulla exquiſita & quæ fruſtra alibi quæras: abſque qui-*

bus tamen foret, loci aliquot poëtæ huius vel doctißimis futuri ſunt obſcuri: vt de antiquitate eiuſmodi σημειώσεων nemo ſit iure dubitaturus, qui ad multorum retro ſæculorum barbariem & antiquitatis totius imperitiam animum aduerterit. Longe iſtis vberiora ſunt Scholia illa quæ ſub Annæi Cornuti nomine ab Elia Vineto Santone aliiſque ſunt edita: quibus multa item alia poteramus adtexere ex antiquis Persij codicibus, quos reperire eſt paßim in omnibus bibliothecis & interlinearibus gloſſematis bene farta, & marginalibus adnotationibus probe oppleta. Sed neque illa quæ publica luce donata ſunt ab aliis, neque illa quæ in membranis noſtris aut clarißimi eruditißimiq; viri Iacobi Bongarsij aliiſve inuenimus, tanti ſunt viſa, vt ab eorũ lectione iuuentus ſtudioſa paratior multo poſſet diſcedere ad intelligenda ſi quæ ſunt in ſatirographo noſtro

difficiliora: neque enim eiusmodi erant quæ hactenus videre nobis contigit vt merito de illis dicas, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δε λυγρὰ: sed illud potius, ἄπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ' ἔργῳ, paucissimis, si forte, exceptis. Sibi igitur quisquilias eiusmodi habeant qui libros non norunt nisi mole æstimare. ἐπεὶ φθόνος οὐδεὶς, πρὸς ἡμᾶς γε.

PERSII PROLOGVS EODEM GENERE VERSuum Græcè expressus pene ad verbum.

Κρήνης μὲν οὐκ ἔβαψα τῆς
Καβαλλίνης·
Οὔτ' ἐν διλόφῳ ἐνυπνίασα
Παρνασσῷ,
Οὕτω παραχρῆμ' ὥστε φανήμεναι μάντις.
Ελικωνιάδας τε δύσχροόν τε Πειρήνην,
Κείνοις ἀφίημ', ὧν εἰκόνας στέφει κισσός.
Αὐτὸς δὲ γευσάμενος ἀτελεῖ νόῳ Μοισᾶν,
Πρὸς ἱερὰ μαντέων ἔπος φέρω τοῦτο.
Τίς φθεγκτὸν ἔθετο ψιττάκῳ ἑὸν χαῖρε;
Βροτεῖν τ' ἔπη μελετᾶν ἔπεισε τὶς κίσσας;
Τέχνην ἀτέχνοις, νοῦν τ' ἄνοις πορεῖν δεινὸς
Ο λιμὸς, ἀδυνάτων διδάσκαλος φωνῶν.
Ελπὶς δὲ δολεροῦ εἰ φανῇ γέ τις χρυσοῦ,
Κόρακας ποιητὰς, καὶ ποιητρίας κίσσας
Φαίης κὲν ᾄδειν Πηγασήϊον μέλος.

ISAACI

CASAVBONI

IN PERSII SATIRAS

LIBER COMMENTARIVS.

EIVSDEM

Persiana Horatij imitatio.



PARISIIS,

Apud AMBROSIVM & HIERONYMVM DROVART, sub scuto Solari, via Iacobæa.

M. DC V.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



ISAACI

CASAVBONI IN PERSIVM PROLEGOMENA.

SATIRAM Romanam duo ista præcipuè constituunt: doctrina moralis, vrbanitas & sales. cætera communia sunt eius poëtis, cum aliis multis: acumẽ differendi, eloquendi facultas, numerorum concinnitas: anima verò, vt sic dicam, & ὁρος τῆς ἰδέας eius carminis est, vitiorum insectatio, & ad virtutem cohortatio: ad quæ perficienda salibus & iocis tanquam telo vtitur. habet hoc Satira Romana cum ethico philosopho cõmune, quod de moribus tractat: sed tractationis proprius est modus. docet hic: illa plurimum casti-

gat: naturam & cauſſas virtutum ac vitiorum ethicus inquirit: ſatiricus poëta vitioſos ferè obiurgat: bonos parcius laudat & rarius. præterea cenſuræ ſuæ ſcõmata, riſum, atque interdum etiam comicam & ἀγυρτικὴν βωμολοχίαν ſatiricus admiſcet: quo nihil alienius à ſeueritate philoſophica. nam cynicos & ſimilis petulantiæ magiſtros, præter habitum nihil quicquam philoſophorum habuiſſe certum. ἰδιαίτατον verò Satiræ, metri lex. Minus rectè ſentire eos, qui Romanam Satiram cum Græcorum Satyrica poëſi comparãt, vt ab illa ortam, ſatis probauimus eo libro quem de vtraque illa poëſi in gratiam nobiliſſimi doctiſsimíque viri, Iohannis de Rieu Rutenorum præſidis, à nobis ſcriptum, Perſio comitem adiecimus. Cùm autem trium Romanæ Satiræ poëtarum, Horatij, Perſij, & Iuuenalis, idem ſit propoſitum, idem ſcopus, quem antè diximus: magna tamen inter ipſos eſt differentia: quod breuiter heic oſtendere conſtituimus: non eo quidem animo, vt aliũ alij ambitioſè anteponamus. ſic enim exiſtimamus: omnes eſſe eximios, omnes lectu digniſſimos, & qui diuerſis virtutibus

laudem prope parem ſint conſecuti. ſed quando neq. hi, neque omnino quiſquam mortalium πάντα κατορθοῦν πεφυκὼς ἐγένετο, munire viam iuuentuti volumus, ad æſtimandas ipſorum virtutes iudicio recto: & ἀποτυχίας, ſiquæ illæ ſunt, animaduertendas. qua in re, cùm vel ſuauiſsimus ſtudiorum poſitus ſit fructus: difficultas ſine controuerſia verſatur maxima. præclarè enim hoc Dionyſius Longinus, vt alia multa: ἡ τῶν λόγων, inquit, κρίσις, πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. nos verò vt huic oneri ſubiremus, non humerorum fiducia, ſed publicæ vtilitatis ſtudium compulit. Accedit huc, quod conſentientibus veterum ſuffragiis, qui poëtam noſtrũ mirati ſunt: auctoritatem iudicij ſui recentiorum non nemo opponere non dubitauit. at qui vir? tanti iudicij, tantæ eruditionis, tam portentoſi acuminis, vt & Perſius magnum ſolatium habeat, quod Æneæ magni dextra cadit: & nos vel bonam cauſſam prodere, diu conſtitutum ac certum habuerimus, potius quàm cum illo Hercule in certamen deſcendere. Verùm de cenſura diuini illius viri poſtea: nunc quas diximus differentias proponamus. Prima &

omnium maxima est circa τὸ φιλοσοφικὸν μέρος iam enim diximus non leuem esse huic poësi cum morali philosophia affinitatẽ. quid enim philosophiæ proximum & affine, si hoc non est, de virtutibus & vitiis disputare? heic verò magnum inter hos discrimen. vt enim quisque fuerat educatus, vt erat doctus & moratus, ita versatus est in hac parte. Horatius libertinæ prosapiæ homo, & patre coactore natus, etsi magno parentis studio eductus, nihil spirat heic altum, sed vbique circa vulgatissima morum præcepta occupatur: quódque longè grauius est, & fatetur ipse de se, parum sibi constat, nec fidelem virtutis magistrum agit. passim enim in aliena transit castra, non tanquam explorator, sed tanquam transfuga. sæpe Stoicum dicas: sæpe Epicureum, aut Aristippeum: sæpe verò de Anyti & Meliti aut Aristophanis gente prognatum: adeò frequenter & acerbè Stoicos, penes quos solos illa ætate sapientiæ magisterium fuit, suggillat, & irridet. neque dubitandum est, qualem videmus in ipsius scriptis, talem fuisse in vita quoque inconstantiam. scripsit enim sicuti vixit. Iuuenalis mores ig-

gnoramus: in Satiris quidem suis τὸ φιλοσοφούμενον sic tangit vt facile appareat, diuturniorē ipsum rhetori quàm philosopho operā dedisse. è rhetorū enim schola & declamationū exercitationib. ad satirā scribendam haut dubiè se contulit: vnde illa acuta dicta, & vt vocabant sentētiæ quas in opere admirabili De poëtica tantopere Iulius Scaliger est admiratus. Persius verò qui ad Satiræ scriptionem, vt testatur ipse, in quinta, ab eodem Cornuto fuerat institutus, à quo rerum Stoicarum cognitionem acceperat, (magnis enim opibus innutritus, ac felicissimè fuit educatus) & vtroque φιλοσοφικώτερος est: & eo nomine Horatio longè melior, quod vni æquus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum hostis, sui semper similis, instrumento grauiorum artium poëticam locupletat: Stoïcam denique professionem nunquam obliuiscitur, adeò exactè & doctè aliquando σωκράζων, vt ne Zeno quidem ipse aut Chrysippus, quod alibi dicebamus, porticum illam melius fuerit fulsurus. itaque cùm vniuersę huius philosophiæ duę sint partes à sapientibus proditæ, Decreta & Præcepta, siue ἡ δογματικὴ καὶ ἡ παραγγελτική.

omnis Horatij & Iuuenalis de virtute oratio ad præceptiuam partem ſpectat: decreta ſeriò attingunt nunquam. Perſius verò aſſurgit altius, & Stoïcum de vltimo fine dogma vbique vrget, vbiq. inculcat: gnarus præcipuum caput καὶ συνεκτικώτατον doctrinæ huius eo contineri. qui igitur non ignoraret longum iter eſſe ad vitæ emendationem per præcepta: breue & efficax per dogmata: prudentiſsimo conſilio vtrumque inſtitit: quod nos ſuis locis diligenter obſeruauimus. Scias verò cùm Perſium legas, ſentire illum quæ dicit, & quod Græci aiunt, πάνυ ἐκ διαθέσεως γράφειν, τὰ ἀπὸ τῶν δόγμα οὐκ ἀπὸ τῶν χειλῶν. didicerat nempe nobiliſsimus iuuenis à Cornuto præceptore ſuo, viro iuxta ſapiente & docto, non magis de virtute loqui, quàm ex virtute viuere. quod enim probitatē quam in aliis exigebat ipſe præſtaret, teſtis eſt qui vitam eius ſcripſit, auctor dubio procul antiquiſsimus. teſtis etiam eſt modeſtia illa diuina quam vbique præ ſe fert in hoc libro. teſtis & illa conſuetudo arctiſſima cum Thraſea Pæto, viro ad exemplum virtutis nato, & Arria Pæti coniuge, ipſius cognata, prioris illius Arriæ ἥσπερ κλέος

οὐρανὸν ἥκει, filia, matri quam ſimillima. teſteis deniq. & alij quorum amicitia vſum legimus, viri omnes grauiſsimi, & magna ſui ſæculi ornamenta, Seruilius Nouianus, Lucanus, Seneca. Quamobrem omnium Perſij laudum hanc primã & velut fundamentũ cæterarum ponimus, quod ad præcipiendũ de virtute, non vt aliquis è circo aretalogus, aut indoctus è triuio cynicus proſiluit: ſed ſcientiarum plenus; & diſciplinis philoſophorũ diu excultus, eò acceſsit: propter emendatos mores ſuſcepto operi non minus aptus, quàm eloquendi facultate abunde inſtructus. Eſt & alia non contemnenda circa hanc partem inter hos poëtas differẽtia. nam Horatius, quod aliis ipſe ſapienter præcepit illo verſu,

Denique ſit quod vis ſimplex dumtaxat & vnum: nunquam ipſe, aut rariſsimè in Satiris ſuis ſeruauit. quamcunque enim materiam fuerit aggreſſus, eam mox deſerit: nudas ſæpe præceptiones congerens, non multò aliter ac vetuſtiſsimi illi, ἐς τοῦ ἐγκατασκεύου λόγου πάντη πάντως, ὡς εἰπεῖν, ἀμύητοι, Theognis, Phocylides, & his ſimiles. itaque pars maxima Satirarum

Horatianarum meram lancis illius saturę & παλιάρπου imaginem exhibent. Longe aliter poëta noster: qui more philosophorum à proposita initio thesi vix digreditur, abit certè nunquam: vt non aliud ferè scribere satiram ei fuerit, quàm petitos è philosophia locos carminis legibus includere. Lucilium sine dubio imitatus est Horatius: Persius verò, primus omnium Romanam Satiram huius generis, duplex enim fuit, hac obseruatione auxit, correxit, atque in melius mutauit. etsi enim ad priorum imitationem, maximè autem vnius Horatij, totum se comparauerat: iudicio tamen vbique vsus est suo: vt etiam inferius sumus obseruaturi. Probauit Persij consilium Iuuenalis: qui non per saturam, quod aiunt, varia argumenta eodem carmine complectitur: sed Persiano more cuique satiræ ἐν ἁπλοῦ ὑποκείμενον χρόος vt plurimum addicit. Huc etiam pertinet quod in Persiana Horatij imitatione obseruabamus, de grauitate in disputationibus nonnullis Stoicorũ explicandis, Persio seruata, Horatio neglecta. cuius rei illustre est exemplum in Persij quinta, & Horatij Dauo: ex quorum carminum cõ-

paratione ingenia vtriusque poëtæ diuersa, & discrepantes ideæ quas rhetores dicunt optimè queant dignosci. Differunt præterea hi poëtæ in salibus & illa vrbanitate quam Satiræ Romanæ propriam diximus. necessitatem huius partis in hoc poëseos genere docet Persius, cùm scribit de Horatio :

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit & admissus circum præcordia ludit.

etiam in quinta cùm facit Cornutum hæc sibi dicere : *--pallentes radere mores*
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

quare non potest dubitari ipsum in Satiris scribendis id habuisse propositum, vt tristitiam argumenti & reprehensionum atrocitatem iocorum festiuitate exhilararet. sed Persius iam tum in illa sua adolescentia grauis, totúsque ad seueritatem factus, Xenocrati quàm Menippo similior, Gratiis, meo iudicio, rarò litauit. longe enim hac laude & ab Horatio superatur, & à Iuuenale : quorum vterque feliciſſimè est assecutus, quod voluit noster, nec potuit. excellunt igitur in eo Horatius & Iuuenalis : etsi ratione diuersa: nam illius sales τῷ ὀχλικῷ ἀναγωγίαν, & vt ita dicam,

plebeium aliquid fere sapiunt: huius omnes ioci, quibus abundat, sic sunt vrbani & salsi, vt acumen sæpe atque eruditione præ se ferant, & ingenium longo declamandi vsu probe subactum In nostro verò loca non pauca sunt quæ palàm ostendunt non displicuisse illi iocos, sed non contigisse, quod de Demosthene Fabius scribit: velut in prima vbi disertè ait, ridere se malos poëtas: ille verò non σκώπτει solùm, sed etiam λοιδορεῖ. iocosa & non inuenusta illa: *-nunc non cinus ille poëtæ*

Felix?-- & quæ sequuntur.

illud conuitio propius:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus:

item illa: *- nugaris cùm tibi calue*

Pinguis aqualiculus protesto sesquipede extet.

ista verò,

O Lane à tergo quem [illegible] indignatione illius magis arguunt, quàm aptitudinem ad mouendum risum. quin etiam, sicut in Demosthene obseruarũt veteres critici, nunquam adeò à sese ipsum abire, quàm vbi facetus vult videri: ita nos de Persio pronuntiare non vereamur, si qua sunt in eius libro frigidiuscula dicta, si qua ex periculo petita, in ea ipsum incidisse,

dum quærit iocos & vult ridere, quod per naturæ suæ temperamentum illi nequaquam licebat. frustra enim est cùm persuadere vult nobis, fuisse se petulanti splene cachinnonem. ain' tu Persi? σὺ δ' ὦ γαῖε, ἵλεως εἶης, & nobis ignosce, qui hoc tibi non credimus: quin potius existimamus in te expetiisse, quod apis Attica de Persa nescio quo dixit: ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι πῦρ ἐκπεύσαι ἀπὸ σεῦ ἢ γέλωτα. Enimuero cũ sint loci plures è quibus ridicula dicta ducantur, Horatius & Iuuenalis eos iocos non rarò vsurparunt, quibus aliquid ineesset obsceni: qua impuritate cùm fere in totum Persius abstinuerit: non ambigent sani iudices, quin etiam in eo dicendus sit vincere, in quo culpa ingenij vincitur. nimium enim risus pretium est, si honestatis & probitatis impendio constat. Sed quæ ridere negauit Persio natura, ingenti dote defectũ & ὑστέρημα istud pensauit, cùm illi vim dedit & acrimoniam, & illud quod magistri dicendi τὸ ἐναγώνιον πνεῦμα dicere cõsuerunt: quam virtutem tanti facit criticus Halicarnassensis, vt Isocratis orationem, quòd ea careret, anima carere dicat. in Persio verò qui spiritus? qui ardor? qui stimuli?

nam libertas quidem tanta, vt ne mortis quidem metu adduci potuerit, quò Neroni parceret. & tamen lenissimorũ fuisse morum accepimus: sed acrem faciebat impressum eius animo, altísq. nixum radicibus vitiorum odium. Quod igitur desiderant sapientes, contra vitia dici asperè, contra pericula animosè, contra fortunam superbè, cõtra ambitionẽ contumeliosè, vt ad Senecã suum scripsit olim Lucilius: id cùm noster efficiat, illud simul ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος præstat, quod antè dicebamus, vt liqueat tibi illum sensisse quæ scripsit. Atque hæ sunt differentiæ præcipuæ quas in tribus hisce poëtis circa illa deprehendimus, quæ Satiram Romanam propriè χαρακτηρίζουσι. ad reliquas verò quod attinet virtutes τοῦ τε πραγματικοῦ καὶ τοῦ λεκτικοῦ τόπου, ne longum faciam, ita sentio. puritate sermonis, gratia narràtionum & ἀφελείᾳ atque inexplicabili quodam, etiam extra iocos, lepôre excellit Horatius. vbertate inuentionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate, τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπηβόλῳ, denique τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει præstat Iuuenalis. Persius inter hos duos interiectus, neq. castitate sermonis Iuuenali ce-

dit: & illa quam exposuimus pugnacitate, celeritate, & γοργοτητι Horatium superat. character dicendi in Horatio humilior, in Persio grandior, in Iuuenale vt plurimum sublimis. figurarum, quæ sunt orationis lumina, beata apud Horatium & Iuuenalem copia. noster illis potissimum quæ rebus addere pondus sunt idoneæ, & ἠθοποιίας καὶ ἐναργείας pene regnat. vel illas mihi considera hominis sordidè parci descriptiones, quas in quarta, in quinta, & in sextæ duobus locis posuit. non poterant tenacium mores effingi maiore cum euidẽtia. taceo de verborum tropis, quorum crebritatem apud Persium sola excusauerit Satiræ licentia: densitate enim sua orationi tenebras nonnunquam offundunt: de quo mox. Numerorum verò concinnitatem cùm apud Horatium nullam inuenissem, nullum iuncturę studium: hanc securitatẽ Persius nequaquam probauit: sed numeris ita consuluit, vt ista laude eum quem sequebatur longo interuallo pone se reliquerit. quid enim huius versibus numerosius? quid absque mollitie concinnius? neq. electione est opus: omnes apti; omnes sonori: quidam verò

ita magnifici, vt ad maiestatem Maroniani carminis videantur aspirare. neque aliquis mihi illum obiiciat,

-- euge euge, omneis bene miræ eritis res.

probauimus enim, ingeniosissimum poëtam arte & iudicio vsum viribus suis eo loci pepercisse. Exposuimus hactenus, vt erat noster captus, præcipua capita institutæ comparationis inter Romanæ satiræ clarissimos poëtas: ostendimus quæ singulorum propria essent κατορθώματα, quæ ἁμαρτήματα: clarissiméque, nisi fallor, demõstrauimus, ex illis esse neminem, qui virtute quadam sibi peculiari reliquis non præstaret: neque rursus esse vllum, qui cæteris ratione aliqua non esset inferior. Persium verò adeo non esse indignum qui comparetur cum Horatio & Iuuenale, vt vel de palma cum vtrouis eorum iure suo possit contendere. etsi non sine aliqua ipsius iniuria potest cum tantis ingeniis committi Persius: cui per breuitatem vitæ totum se palàm facere, & ingenij sui dotes maximas publicare non licuit. vt ex vno libello, atque eo imperfecto nec dum perpolito illum æstimare, hoc vero sit leonem ex vngue, & quod apud Homerum

merum faciunt proci ἀπὸ τῆς ἐκ ῥακέων ἐπιγεννίδος τὸν ἄνδρα. Quid igitur de grauissimi illius Censoris iudicio dicemus, qui tantum virum suffragiis priuatum in Cæritũ tabulas retulit? & quidem non censoria nota affectum, sed ignominiæ elogio miserè iugulatum. ineptum pronuntiat, indignum qui cum reliquis in comparationem veniat, ostentatorem eruditionis, obscurum denique, non secus atque alterum Heraclitum vel Cinnam. Pax! vir incomparabilis, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Persius vt sit ineptus? si ineptum diceret quem Græci ἀπίθανον ἐν τῷ γελοίῳ, concederem. ne nos quidem enim imus inficias facultatem huius rei illi defuisse. sed ostẽtatorem eruditionis quod nominat, omnino haut persuadet fatemur eruditissimum poëtam eruditionem vbique ostendere: vsquam ostentare, negamus. illud doctissimi quique solent: quis autem vberius quàm σεβασμιώτατος hic Censor? cuius scripta omnia χρυσοῦ χρυσότερα, si quis negat thyma veterum vndique redolere, haut mecum sentit. hoc solet vanissimus quisque tantum, insolentissimus τὲ ἐψμαθέστατος: quorum nihil in splendidissimum

hunc Romanum equitem cadit: de cuius ſingulari modeſtia, & liberali educatione ſub maximis præceptoribus, non autem cathedrariis ſophiſtis, & vitæ illius auctor meminit, & nos aliquid ſuprà attigimus. At obſcurus eſt, & dignus cui nomen indatur Scotino. mirari ſubiit non ſemel, de obſcuritate Perſij verba feciſſe illum virum, cui nihil erat obſcurum. certè aliud Quintilianus iudicabat cum vera laude dignum pronuntiaret: aliud Hieronymus, cùm diſertiſſimum Satiricum vocaret. mihi quoque non pauci huius poëtæ verſus ita clari & λευκοὶ videntur, vt vel in ciſio à mediocriter doctis legi poſſint. quare non totus liber profectò eſt obſcurus: ſed loca tantùm nonnulla. quid? ſolus hic obſcurus. non etiam optimus quiſque attentiſſimum & πολυμαθέστατον requirit lectorem? non commemorabo Thucydidis τὰς περινοήσεις, τὰς ἐμπεριβολὰς, τὰ γλωσσηματικὰ τὲ ξένα, τὰ ἀνακόλουθα & ſimilia multa quibus obducta caligo ingens illius hiſtoriæ. ſilebo Platonis τὰς ἀκρότους τὲ ἀπηνεῖς μεταφορὰς, de quibus Longinus. hoc ſolùm dicam, maximarum difficultatum ea potiſſimum ſcripta eſſe plena, quæ omnium ſeculo-

rum docti homines maximè sunt admirati. quis Pindarum intelligeret aut Aristophanem absque eorum interpretibus foret? quis Græcis literis doctus choros tragicorum inoffenso pede percurrit? Theocriti πὰ σκληρὰ notant veteres critici: neque indignentur. nos offendent Persianæ difficultates? & qui laboriosas illius opilionis ineptias non grauamur: tam seuerum huius carmen vt intelligamus, operæ nos pœnitebit? Porrò obscuritatis huius diuersas afferre causas possumus, eásque certissimas. in auctore sunt aliquæ, aliæ extra illum, quædam in interpretib. Non negabo perobscura quædam esse in quarta, prima quoque: sed poëtæ facilè ignosco, cùm cogito crudelissimi & φονικωτάτου tyranni, in quem illa erāt, metu, de industria atramenti sepiarum aliquid esse affusum: neque dubito sapientissimum præceptorem Cornutum scribenti adfuisse, qui vetus verbum crebrò illi insusurraret, Σκώπτον. quod etsi disertè Probus, siue quicunque est vitæ scriptor, non dicit, ea tamen narrat, ex quibus hoc debeamus colligere. Iam cùm scribit idem βιογράφος, verecundiæ virginalis Partheniani

nostrum fuisse: aliud agens caussam nos docet cur ille locus tenebricosè fuerit tractatus, cui vix alius toto libro obscuritate par, obscœnitate similis nullus. περικοπὴν illam dico è quarta, *At si vnctus cesses.* Etiam illud vltrò concedimus, nonnulla Persij loca tropis parum vsitatis & audacioribus esse offuscata. huius quoque non culpam, sed caussam, ita enim dicere æquius, ingenio poëtæ assignamus: quod cùm esset magnum, magna sectabatur. dictiones autem tropicas magnitudinem natura sua habere, cùm alij docent τῶν περὶ τοὺς λόγους, tũ affirmat hisce verbis ὁ τῶν πάλαι κριτικῶν κριτικώτατος Longinus: μεγάλαι, inquit, φύσει εἰσὶν αἱ τροπικαὶ λέξεις, καὶ ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραί· καὶ οἱ παθητικοὶ καὶ φραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. hæ sunt illæ parũ moderatæ & inclementes (id enim est ἀπηνεῖς) metaphorę quas ait idem in Platone, quo nemo vnquam facundior, notari solitas à dicendi artificib. nonnullis. etiam Demostheni quæ obiiciebantur ab Æschine, tanto cum hiatu vt θαύματα diceret esse nõ ῥήματα, quid aliud fuêre, nisi paullò duriores translationes? adeò magnis quibusque ingeniis familiares huiusmodi excessus, & παρακεκινδυνευμένα

dictiones. Dionysio quidem Halicarnasseo si credimus, τὴν ἀσάφειαν πολλαχοῦ δεινότητα εἶναι: non iam excusandus fuerit nobis Persius, verùm præconio εὐμουσίας clarandus. Fuit præterea Flaccus noster οὐ φιλόμυθός πως, sed amans breuitatis: quæ res obscuriorem est vbi illum reddit. non alia caussa fuit, vt vnum saltem exemplum afferam, cur hactenus non intelligeretur ille versus:

Inuentus Chrysippe tui finitor acerui:

quem primi nos, absit verbo inuidia, ex poëtæ mente sumus interpretati. Extra auctorem possunt multa afferri: ego pauca tantùm commemorabo. Quod igitur multa obscura hodie videntur, quæ cùm scribebantur pueris erant obuia: non penes auctorem culpa hæret, sed penes lectorem. quotus enim quisque Persium legentium saltem mediocrem morum veterum & historię antiquæ cognitionem sudore partam habet? Adde quod ipsa rerum natura, progressu temporum ita nouam rebus humanis faciem inducit, vt ad intelligendos veteres scriptores, nihil persæpe hodiernæ vitæ cōparatione nos iuuante, velut in tenebris sit micandum, & fallacibus coniecturis ad veritatis inda-

gationem insistendum. atque huic querelæ tum præsertim est locus, quando vel priuati vel publici mores perstringuntur: in quo solo & comœdia & satira Romana versantur. Non prætermittam genus ipsum poëseos, natura sua difficilioris. nam vt alibi probamus, Satira hæc & genus & nomen est non plebeij poëmatis, sed carminis eruditi: & propter affinitatẽ quam habet cum dramaticorum fabulis, ipsa personarum mutatione perplexum. Interpretes verò diuerso modo obscuritati de qua dicimus caussam præbuerunt: veteres, quia perierunt: quæ fuit seculi barbari flagitiosa negligentia. recentiores, quia alia οὐχ ἑρμηνεύσαντες, alia παρερμηνεύσαντες, lectores persæpe aut incertiores & indoctiores quam dudum aut malè doctos dimiserunt. Nemo in suam contumeliam dictũ putet, quod de iis dicimus qui hanc prouinciã ante nos administrarunt. nam & nos qui eorum diligentiæ succreuimus, tam meminimus homines esse, falli faciles, literis leuiter tinctos, quàm scimus, ipsos quæ nescierunt aut malè sciuerunt, ignorasse vel probasse quia homines erant. hoc ingenuè profitemur non-

dum quenquam incidisse in manus nostras è tot poëtæ huius interpretibus, cuius rationem & interpretandi viam possemus probare. vnicum excipio Hadrianũ Turnebum virum in hoc genere literarum eminentissimum. qui si ex professo Persium suscepisset enarrandum, nullo, vt arbitror, spicilegio nobis relicto, aliud scilicet curasse mus. nunc cùm obiter tantùm quædam tractauerit, exemplo illius ad hoc quicquid est operis concinnandũ sumus excitati. Quoniam autem de libri huius obscuritate multa docti indoctique passim loquuntur: ne quid omitteremus quod ad lucem illius posset desiderari, postquam semel interpretem professi eramus, Græcorum illud verbum χελώνης φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν cẽsuimus nobis esse vsurpãdum. quò enim interpres, nisi vt obscura illustret, difficilia facilia reddat vel primas literas doctis? quod quidem dum pro virili nostra conamur, eò prolixiores facti sumus, quò breuior Persius. nam illorum fastidia quibus satis est magnos scriptores ὀλιγωρῶς φέρειν sapientissimo Imperatorum Marco reprehendi memineramus. Simul iuuabat eius auctoris explicationi immo-

rari cuius ſingula prope verba aliquid βιωφελὲς continere animaduertebam Multa nos in tam erudito poëta obſeruaſſe de quibus ne cogitarant quidem alij, ſi dixerimus, fiducia veri ſit, non inanis iactatio. quid autẽ pręſtiterimus, docti & candidi lectoris facimus arbitrium: nam etſi mediocris ſaltẽ diligentię ſumus nobis conſcij: ſcimus tamen, οὐ πάντως τῶν προσεχόντων εἶναι τὰ ἆθλα, vt dicebat olim B. Chryſoſtomus: ἀλλὰ δηλονότι τοῦ ἄνωθεν βραβεύοντος.

DE PERSIO NONNVLLA:

SIVE,

AD PERSII VITAM A PROBO AVT ALIO VETVSTO auctore scriptam, notæ.

PERSIÆ gẽtis per quàm rara in veterum monumentis mẽtio extat. plebeiam non patritiam fuisse, Fasti suadent, in quibus nemo, quod sciã, eius nominis celebratur. id nos eo magis miramur, quia de vetustate illius gentis dubitare non possumus. Tempore belli Punici secundi circa annũ V. C. IↃXLIV. florebat militari laude in Romanorum castris C. Persius, vir impiger, non in transcursu Liuio narratus in XXVI. historia. Annis post hunc paullò minus centũ,

vixit Romæ C. Persius, *omnium fere nostrorum hominum*, verba sunt M. Tullij, *doctissimus*: cuius miniatutas ceras adeò reformidabat ille aliorum irrisor, Lucilius vt sua à Persio legi nollet: quod præter ipsius testimonium, etiam Cicero & Plinius memoriæ prodiderũt. An ex eadem stirpe isti duo orti sint, & vtrum commune Persio nostro cum ambobus aut altero eorum genus fuerit, in tanta veterum monumentorum inopia sciri hodie non potest. Primum generis auctorem Græcũ fuisse, aut à Græcis oriundum, haut fortasse temerè ex ipso nomine cõiiciebam: nam Persius Græcum est nomen, non minus quàm Perseus & Persæus. nobilem sanè philosophum Persæum de quo Diogenes Laërtius aliíque multa, etiam Persium reperimus nominatum: vt in antiqua vita Arati poëtæ. Persij quoque poëtæ Græci Phocaensis vetustissimi ex Apophthegmatis Callisthenis Iulius Pollux libro nono meminit: vrbanum illius in Eubulum Atarnitam dictum eò loci commemorans: non autem Eubuli in ipsum Persium, vt scriptum scimus ab eruditissimo viro Lilio Gyraldo, Pollucis ver-

bis perperã acceptis: quæ in vulgatis editionib. corrupta, vt sit aliqua sententia, ita legimus: ὡς δέ τι καὶ νομίσματος εἴδος οὕτως ὀνομαζόμενον ΦΩΚΑΙΤΑΙ. Φησὶ γοῦν ἐν τοῖς Ἀποφθέγμασιν ὁ Κλεισθένης, ὑπὸ Εὐβούλου τοῦ Ἀρτεμισίου τὸν ποιητὴν Πέρσιον ἀμελούμενον, εἰς Μιτυλήνην ἀπελθόντα γεώφαν, διότι τοὺς φωκαΐτας οὓς εἶχον, ἔχον ἥδιον ἐν Μιτυλήνῃ μᾶλλον ἢ ἐν Ἀτάρνῃ. Eubulus iste Atarnensis ille est, de quo Laërtius in vita Aristotelis: homo diues, & vt scribit Strabo, argentarius. iocus Persij est in ambigua notione vocis Φωκαΐτης: quæ & Phocæa prognatũ, & certum genus nũmi significat. cùm igitur patria relicta Atarnã veniſſet Persius ad Eubulũ, vt illius opib. sustentaretur, falsus exspectatione sua Mitylenã se transferre fuit coactus: vnde ad Eubulum scripsit, mirari se, quod homo auarus & pecuniæ amans phocaitas Mitylenam passus esset transferri, neque Atarnæ retinuisset. Sed redeo ad nostrum. Huius vitam habemus à vetustissimo auctore scriptam, siue Probus ille fuit, siue alius:

in qua sunt digna animaduersione nonnulla: quæ heic breuiter indicabimus: nã scripti codices ab edita lectione nihil ferè variabant. Principio scribit *natum Persium pridie nonas Decembreis, Fabio Persico, L. Vitellio Coss. decessisse* VIII. *Kal. Decemb. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss.* in fine verò sic: *Decessit vitio stomachi, anno ætatis* XXX. non constat his ratio. nam falsum est vixisse Persium annos triginta: qui, si ratio ineatur temporum heic adnotatorum, nouem circiter dieb. prius obiit, quàm annum vitæ vigesimumoctauum impleret. incidit enim Fabij & Vitellij consulatus in annum V. C. IↃCCXXCVII. Tiberij XX. à passione Domini primum, vt placet diligentioribus temporum scriptoribus. Marius verò & Asinius octauo Neronis anno Coss. fuerunt. sic igitur corrigendus error in muneris admissus. propius ad verum accedit Hieronymus qui in Chronico Eusebij anno vitæ XXIX. mortuum Persium adnotat. Persij patrem Flacci cognomen habuisse ex hac vita discimus: vnde paret illud quàm sit ridiculũ, quod quidam somniarunt: poëtam nostrum id cognomen inuenisse ab Horatij

Flacci imitatione. quod non solùm αὐτόπτου, sed etiam ineptum est. nec minus illud quod addunt, Seuerum esse eundem nuncupatum, ob sectæ Stoicæ professionem: mirum quis hoc ipsos docuerit: nam & vitæ scriptor, & omnes veteres hoc mysterium nobis inuiderũt. sed videtur huic vanissimo commento occasionem præbuisse inscriptio illa, memoria auorum Volaterris, (ea Persij patria) inuenta: vbi A. Persij cuiusdam octẽnis pueri fit mentio cui cognomen fuit Seuero. Rhetor fuit Virginius Flaccus apud quem studuisse Romæ dicitur Persius. Pater fortasse fuerit aut patruus Vergini Rufi illius qui temporibus Neronis studia iuuenum eloquentię fouebat, vt refert Tacitus Annalium libro xv. is est de quo Plinius Secundus epistola prima libri 11. quem etiã de arte rhetorica scripsisse auctor Quintilianus. Inter Persij amicos nominat hic auctor *Calphurnium Staturam*: nisi legendum est *Suram*: quod commune fuisse cognomen multis gẽtium Romanarum, nemo ignorat. illud verò alterum alibi legere non meminimus. Ait: *coluit vt patrem Seruilium Numanum*. scribendum,

Nouianum. hic ille est Seruilius Nouianus de quo Fabius libro decimo, in censura de ætatis suæ historicis. meminêre illius & Plinius vterque. Mox cùm ita scribit: *Ipse etiam decem ferè annis summe dilectus à Pæto Thraseæ est*: hoc videtur dicere, affinitatem quæ Persium Thraseæ coniungebat, ante annos ferè decem fuisse prius contractam, quàm supremum ipse diem obiret. quæ subiicit de Persij opibus ita scribi debent: *Reliquit circa* H-S *vicies matri & sorori: scriptis tantùm ad matrem codicillis, rogauit eam, vt daret Cornuto sestertia, vt quidam dicunt centum: vt alij volunt argenti facti pondo viginti.* Vicies sestertiûm æstimatione Budæi aureorum solatorum quinquaginta millia efficiunt. æstimatione aliorum circiter millia XLV. centum sestertia Budæo, aurei Francici bis mille quingenti: aliis, bis mille tantùm. absurdissimè hęc vulgò accipiũtur. Quod ait Probus reliquisse Persium hunc librũ imperfectum, & versus aliquos in vltimo libri fuisse demptos: non ita accipiendum quasi deesset aliquid sat. VI. quæ haut dubie integra est, neque poterat concinniore fine claudi, quàm vt hodie finitur. sed

si quid demptum est, dubio procul principium illud erat nouæ satiræ. Etsi verò certum est, rectè Persij librum hodie in sex satiras distingui: in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem inuenimus. in multis enim codicibus quinque solùm satiræ numerantur, quarta ad tertiam adiuncta. in quibusdam cõtinuus est vnus liber, nulla Satirarum facta distinctione. Sanè Priscianus atq. alij grammatici antiqui quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant. Lege deinde, *Scripserat & paucos in socrũ Thraseæ Arriæ matrem versus, quæ se ante virum occiderat.* notissima est historia de Arria vxore Pæti Cæcinę, quæ mater fuit Arriæ coniugis Thraseę Pæti, atque ipsius Thraseæ socrus. Scribe etiam: *editum librum continuò mirari homines, & diripere cœperunt.* non *deripere*, aut vt doctis quibusdam videbatur *diribere*. elegantissimo verbo expressit auiditatem lectorum, qui librum Persij simul ac fuit publicatus, cupidè sibi quisque parabant. Postremò sciendum, quædam à grammaticis tãquam Persij adferri, quæ in his illius satiris non inuenias. vt exempli gratia, à Seruio

in tertium Georgicorum illa verba,

Findit infantes statuas. --

ab Isidoro hunc versum, libro XVII.

Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites:

quæ vel alius sunt Persij quàm nostri: vel aliorum poëtarum, & meræ hallucinationes grammaticorum.

ISAACI

CASAVBONI

AD PERSI SATIRAS LIBER COMMENTARIVS.

AD PROLOGVM.

EXEMPLVM Dramaticorum poëtarum secutus est Persius, cum Satiris suis hoc prologo præluſit. cæteri poëtæ Persio vetustiores, vel in totum proœmio abstinuerunt: vel ab opere legitimo non separarunt: vt in Æneide Maronis est videre. at posterior poëtarum ætas, proœmia huiusmodi frequentauit, modo versu, modo soluta oratione, vt Statius & Martialis, Ausonius quoque interdum. Claudianus, qui eo more omnium maxime vsus, elegiaco semper carmine. Persij autem Satiras, magnam cum dramaticorum fabulis habere adfinitatem, clarum ex ijs quæ de Satira disputauimus. quo minus ferendi fuerunt veteres literatores illi, qui scazontem hunc esse Persij, ausi negare. At causſam velle quærere,

cur diuerso metri genere heic vsus poeta: hoc vero esset similia illis antiquis insanire, qui præpostera ostentatione ingenij vestigarunt, cur Græcus poëta Iliadem à consonante μ esset auspicatus, Odysseam ab α vocali. Philosophos potius audiamus, qui in explicandis animi facultatibus duas statuunt diuersas: τὸ ἐπελθυσικὸν τῆς ψυχῆς εἶδος, & τὸ προσεκτικόν: hac vti nos, cum certa ratione ducti, & quod nomen sonat, attendentes, aliquid agimus: illa quoties sine cogitatione, nedum ratione, & vt loquitur Dionysius Halicarnasseus αὐτοματιζοντες ἄνευ γνώμης, facimus aliquid aut dicimus: cuius non aliam afferre caussam possumus, quàm ἐπιπνοιαν, hoc est, quod ita venit nobis in mentem: vt longè ineptissimum sit eius rationem ire excogitatum, quod sine ratione ab auctore fuerit vsurpatum. Non defuerunt qui hos versus proprie ad Satiram primam pertinere autumarent: quare etiam reperti, qui illos cum sequentibus heroicis continuarent. Sane etiam in Satirico Petronij scazontes hexametris præpositos ac cohærentes inuenias: imò vero tota alterius generis Satira, nihil erat aliud, nisi mistura quædam carminum diuersorum modorum cum prosa, vt suo loco diximus: cæterum istorum errare sententiam, & res ipsa, & omnes quas vidimus membranæ veteres manifestò arguunt. Proculdubio decepti isti sunt, quod Persij mentem in hoc prologo scribendo male caperent: de quo tot diuersæ sententiæ sunt proditæ, quot reperti sunt hactenus (extiterunt autē prope innumeri,) poëtæ

huius interpretes. Est vero hoc carmen duplicis argumenti, vt & partes illius sunt duæ, versuum ambæ septenorum. primi septem versus mixtum habent argumentum: de se enim agit poëta προηγουμένως, obiter vero de æqualibus sibi poëtis, quos traducit: posteriores septem meram continent aliorum poetarum irrisionem. Totum carmen si versus numeres à maiori parte διασυρτικὸν censeas: si id spectes, cuius potissimum caussa est scriptum, προσοδιακῷ vel ἀναθηματικῷ generi potius adscribas. προσόδιον veteres appellarunt, vel προσοδιακὸν ἔπος, carmen quo deos affabantur, cum ad illos adibant; ἀναθηματικὸν, quo offerumenta sua & donaria honori deorum consecrabant. planè eiusmodi est hoc carmen: suas enim Satiras Apollini Palatino, vel alijs literarum præsidibus dijs affert: non tanquam opimam victimam: sed veluti donarium λιτὸν, à magna quidem voluntate, sed viribus modicis profectum. hoc vult cum ait: *ipse semipaganus, Ad sacra vatum carmen affero nostrum.* in his verbis positus est præcipuus poetæ scopus in scribendo hoc carmine: quæcunque alia his adtexuntur, fimbriæ sunt paludamento assutæ: ἠθικὰ nẽpe παραρτήματα, quibus Persius partim modestiam suam ostendit, partim iudicium de malis poetis, quorum ea tempestate magnus erat Romæ prouentus. Singularis modestiæ est, quod negat se poetam: quodque se ad tantam gloriam ne aspirare quidem fatetur: & præmia poetis debita alijs æquo animo relinquere: non minoris iudicij illud, quod pro poetis se non habere ostnedit

eos qui populi Rom. æstimatione, summi in eo genere censebantur.

NEC *fonte labra prolui Caballino*:) Iam diximus mixti argumenti esse partem istam priorem. huius meminisse oportet, si volumus rectam poetæ mentem assequi. sic enim sua extenuat, vt simul ineptorum hominum factum retundat & vrbanè castiget. Desiderium poëtandi iam inde ab Augusti temporibus familiaris plerisque Romanorum morbus fuit: ad otium enim a militari studio traducti astu cati principis, quid potius facerent, quàm vt ignobile suum otium pangendis carminibus traducerent? Nota Horatij non falsa querimonia,

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Idem alibi,

——*populus leuis hoc calet vno*
Scribendi studio: pueri patresque seueri
Fronte comas vincti cænant & carmina dictant.

Sed auxit hic διπλάσιος Romanorum morbus Nerone principe mirum quàtum. exemplum enim belluæ illius poëticam lauream palàm affectantis leuissimum quemque impellebat, vt poeta videri & vellet & posse speraret. tulêre hoc indignè legitimi Musarum mystæ: qui illarum sacra adeo fœdè pollui non poterant non dolere. Hinc illa Persij indignatio, cuius testem Satiram primam reliquit. eo carmine multa ἀφρόνως in illis ψευδωνύμοις poetis reprehenduntur, vt ibi dicemus: in hoc vero prologo nominatim væsania illorum arguitur, qui literarum & omnis eruditionis rudes cum essent, poetarum tamen no-

men, quæ erat insignita eorum impudentia, sibi vindicabant. nihil enim arrogantius iis, qui paullum aliquid vltra primas literas progressi, falsam sibi doctrinæ persuasionem induerunt. Isti sunt quos Græci & M. Tullius appositissima voce μουσοπατάκτοις appellarunt: qui poeticæ facultatis qua superbiebant, nullum argumentum proferre habebant, nisi illud commentitium & vanum, quod afflatu quodam repentino Musarum vel Apollinis facti essent poëtæ. Quod igitur ait Persius, *Nec fonte labra prolui Caballino*: non negat præcise modico se haustu fontis sacri Musarum fuisse potatum: sed eos irridet, qui videri volebant totum illum exhausisse. & fortasse priuatim quendam tangit, qui tale quid de se νεανικώτερον, seculi vitio vsus, iactauerat. Aliud est modice de fonte bibere, aliud se fonte proluere: cuius verbi vis necessario heic expendenda fuerat interpretibus, nunquam autem id verbi temere vsurpatur bonis scriptoribus, sed cum maximo sententiæ incremento. Plautus Curculione de anu multibiba: *age effunde hoc citò, In barathrum: propere prolue cloacam.* Claudianus de raptu libro II.

——astra viarum
Mutauere fidem: vetito se proluit Arctos
Aequore.

Hoc est, tanta rerum mutatio facta, vt illa sidera polaria quæ prius æquore tingi metuebant, affatim maris aqua se lauerint. idem poeta in Serenæ laudatione Hispaniam ἐγκωμιάζων.

——primo lauat æquore Solem

India: tu fessos exacta luce iugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.

India *lauat*: sed Hispania *proluit* quod longe maius. in III. consulatu Honorij canit de Theodosio.

Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
Excipit, & notus Hispania proluit vndis.

Sic hoc loco emphasin magnam ea vox habet. de Musarum fonte bibisse, aut aqua illius aspersum fuisse, sine inuidia & mediocres poetæ glorientur: at proluisse se illo fonte, nemo dixerit sine putida iactantia. sic Ausonius Mosellam suam, poëma castigatissimum, vocat *tenue libamen Musæ*: postea addit de poëtis alijs,

——*sunt tibi multi*
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum totamque solent haurire Aganippen.

Pro modo potæ aquæ facultatem cuiusque æstimant poëtæ: Statius in Surrentino Pollij:

Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes.

Sic etiam Eunapius ῥανίδα Κασταλίας appellat oppido tenuem dicendi facultatem. Non prætermittam quod apud Theonem Arati interpretem legi: huic vni fonti primitus tributam fuisse Κρουνὸς appellationem. inde ad alios fontes vocem transijsse.

Caballino.) Etiam hæc vox suum aculeum habet. poterat enim sic: *Nec fonte equino labra mersimus nostra.* maluit autem *Caballino*: quod nomen est inhonestius, vt rectè iudicat vetus interpres: sed cur hoc verbum vsurparit non ea causa est, quam ille affert: neque illud solum, quod nume-

rosior ita fit versus: verum ista, quod contemnenti & subsannanti ea vox erat aptior. καβάλλης enim Græcis & Latinis caballus, non quiuis equus dicitur, sed iumentum dossuarium θλαερόν. Horatius ——*olitoris aget mercede caballum*, aut pistrinense. Ausonius,

Cui subiugabo de molarum ambagibus
Qui machinali saxa voluunt pondere
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Ideo literatores Græci καβάλλης dici putarunt, ab inijciendis oneribus, quod voce καββάλλειν Doribus vsitata pro καταβάλλειν putabant significari. ab istis terga ruptis transtulerunt ad cuiuscunque equi ὄπλισμὸν ac vilitatem declarandam. Lucilius, *succussator tardus caballus:* cui opponitur apud eundem, *equus gradarius, optimus vector.* Seneca epistola LXXVII. *O quantum erat seculi decus, imperatorem triumphalem, censorium, & quod super omnia est Catonem vno caballo esse contentum.* apud Petronium παροιμιώδες illud, *lassus tanquam caballus in cliuo.* quod prouerbium aliter extulit Ouidius in primo Remedij.

Principio cliui noster anhelat equus.

Paulus Aquilegiēsis diaconus libro historiarum XI. Socratis verba Latinè vertens, *caballos* vocauit, quos ille asinos. Socratis verba: ἀφεῖλε γοῦν καὶ τὸν δημόσιον τῶν χειῶν δρόμον, οἷον ἡμιόνων, ζεύγη τε ὄνων. vertit: *abscidit quoque etiam publicum cursum mularum & caballorum.* in Cedreni libris, pro bobus qui à Socrate nominantur, ponuntur cameli: vt dubitari possit num apud Paulum *camelorum* scribendum sit pro *caballorum.* appellatur autem Ca-

ballinus fons Persio ἡ ἵππου κρήνη mōtis Heliconis: non in contemtum ipsius fontis, qui vnâ cum monte & vniuerso tractu Musis erat sacer: sed in odium istorum pseudopoetarum. similiter Iuuenalis cum de perfido Græculo Bareæ delatore loqueretur, ipsum equum alitem Pegasum, poëtis decantatissimum, caballi appellatione afficit.

Stoicus occidit Baream delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Non quod Pegaso, quem in cœlis vetustas collocauit, vellet ire detractum: sed quia Græcos male oderat: nominatim Corinthios è quibus erat ille sycophanta qui Baream afflixerat. insigne autem vrbis Corinthi erat Pegasus, vt scimus ex antiquis nummis. Vnde nata sit in animis veterum hæc opinio, quasi Aganippe & Hippocrene fontes poti inspirationem facerent literarum, non tacet Solinus. videtur ea persuasio incessisse hominum mentes post Homeri & Hesiodi tempora. nam Homerus nusquam illorum fontium meminit: ne tum quidem cum de Phemio cantore αὐτοδιδάκτῳ loquitur. Hesiodus Hippocrenen quidem nominat, initio Theogoniæ: sed de haustu aquæ illorum fontium, οὐδὲ γεύ. quanquam posteriores Græci poetæ, quod Hesiodus canit repente se factum poëtam, Μουσῶν ἐνιπνευσῶν αὐδὴν, etiam ad potum Hippocrenei fontis retulerunt. Alcæus in epitaphio illius.

Τοίην τὰρ τὲ γῆρυν ἀπέπνεεν, ἐννέα Μουσῶν
Ὁ πρέσβις καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων.

Idem leges apud alios quoque.

Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini.) Quemadmodum illi fontes de quibus modo dicebamus, poti credebantur facere poetas: sic vicini montes Helicon, Cithæron, & Parnassus, eos qui conscenderent, aut inibi versarentur. Hæc quoque superstitio recentior est illis antiquissimis poetis Homero & Hesiodo: apud quos nihil simile est inuenire: præbuit tamen Hesiodus huic fabulæ occasionem, cum caneret, poetica se facultate donatum fuisse,

Ἄρνας ποιμαίνονθ' ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.

Ait factum se poetam cum pasceret oues in Helicone: insecuta ætas accepit, quasi dixisset, ideo poetam euasisse, quod in Helicone esset versatus. Ac quoniam solebant ægroti in Æsculapij vel Apollinis templis incubare, vt insomnia captarent, quibus morborum remedia præscribi credebant: eum morem & superstitionem ad suos illos montes transtulerunt, sibique persuaserunt, eos qui in illis montibus somniassent, repente poetas existere. Propertius libro III.

Visus eram molli recubans Heliconis in vmbra
Bellorophontei qua fluit humor equi:
Reges Alba, tuos, & regum facta tuorum,
Tantum operis neruis hiscere posse meis.

Contra Persius, poëtam se negat, quia non somniarit in Parnasso. In antiquis scholijs legimus tangi heic Ennium, qui dixerit se vidisse somnium in Parnasso, Homerum sibi dicentem, quod eius anima in ipsius esset corpore. tangit hoc ipsum Ennij somnium & Propertius ibi-

dem, ſed paullo aliter. In antiquiſſimis membranis è bibliotheca præſtantiſſimi viri Claudij Puteani, per vnicum S, ſcribitur *Parnaſo*: quomodo & in aliis melioris notæ codicibus ſemper ferme offendimus. ſic Græcos variè ſcribere obſeruabamus Παρνασὸς, Παρνασσὸς, Παρνησὸς, Παρνησσὸς, & Παρνηθὸς quoque, ſi fides Heſychio, nec vicinitate duorum nominum deceptus, Parnethem Atthidis montem cum hoc Phocidis confundit. Nugantur Græci grãmatici Parnaſſum quaſi Larnaſſum fuiſſe dictum: quod in eo monte diluuij λάρναξ hoc eſt arca conſtitiſſet. nos alibi dicebamus & Bœotiæ & vicinæ Phocidis pleraque loca à Cadmo & aliis Phœnicibus aut Syris fuiſſe condita. cuius rei, etiam ſi Plutarchus atque alij hiſtorici ſiluiſſent, appellationes tamen ipſorum manifeſtam fidem facerent. ab ea origine eſt huic monti nomen. פרנס *Parnes* Syris eſt νέμειν: & פרנסין *parnaſin*, paſtores. inde Parnaſſus αἱ νομαί; ſic montem dixerunt vbi greges ſuos paſcebant. ſimiliter à verbo פרנק *parnaк* ſiue *pharnaк* fuit in Aſia vſitatum nomen Pharnaces: cui reſpondent Græca Hedycharis & Hedyllus. nam Syrum verbum ſignificat ἡδυπαθεῖν. Mons quoque Helicon ab הלך *Halac* videtur appellatus quod eo loci conuenirent: Cithæron à קתר *Kathar* rupes. omitto ſimilia nomina in eodem tractu multa, quæ ad eandem originem facile fuerit reuocare. ſed hæc alius ſunt loci.

Vt repente ſic poëta prodirem.) Mira emphaſis in his verbis. non ſatis habuit dicere *repente* hoc eſt ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ſine vllo temporis impendio:

cuius vel plurimi iactura solent coli Musæ. sed addit *sic*, id est, ὡς ἔιχον παιδείας ἢ ἀπαιδευσίας ὅτι εἰς τὸ ὄρος ἀνέβαινον: quasi ex afflatu solo numinis Parnassum insidentis illiteratissimi quique fierent poetæ. *prodire* verbum, duplicem notionem habet: modò simpliciter προέρχεσθαι, dare se in conspectum: modo idem est cum existere, & subitò emergere, vt Sol ἀνατέλλων, vel aliquis è machina Deus comicus.

Heliconiadas pallidamque P.) Imperiti poetæ nihil nisi Heliconem & Pirenen cæteraque Musarum sedes in ore habebant: his vt se quam dissimillimum probaret noster, cedere se illis ait, & Helicone & locis id genus omnibus: non adeo quod Musas & sacra Musis loca parum veneraretur: sed vt longissimè se abesse ab istorum tumido fastu & opinione sui significaret. similis locus initio Satiræ quintæ, vbi non aliter accipiendus ille versus, *Grande locuturi nebulas Helicone legunto.* Vides non simpliciter Heliconem repudiari, sed eos qui in Helicone nebulas legerent: hoc est typhi & vanæ δοκησισοφίας ac confidentiæ pleni, in poeticæ studiis versarentur. Rectè meliores omnes libri, *Heliconiadas*, non vt in nonnullis *Helicomides*. vtrunque admittit Græca analogia: sed non vulgari vsus iudicio poëta doctissimus *Heliconiadas* maluit: etsi alterum lex metri potius suadebat. ratio autem est, quia aucto syllabarum numero, ac præsertim inserta vocali grandisona *a* versum effici videbat amplioris soni & κομπωδέστερον: quod optime conueniebat sententiæ qua inflatas iactationes inanium

hominum suas nugas magnificantium, derideret. Peculiaris laus magnorum ingeniorum, aptare affectibus voces, quod tentarunt multi, præstiterunt autem duo illi omnis doctrinæ apices, Homerus & Virgilius.

Pallidamque Pirenen.) Latini poetæ inter sacratos Musis fontes Pirenen censuerunt, vt hoc loco Persius, & alij passim. Græci tamen scriptores, quorum hoc erat pontificium, nihil eiusmodi agnoscunt, neque poetæ, neque geographi: nam quod refert Pausanias, de simulacro Apollinis ad hunc fontem, nihil ad rem. Ego non dubito hanc Romanorum opinionem ex illorum errore ortam esse, qui duos fontes Hippocrenen in Helicone Phocidis, & Pirenen in Acrocorintho, incogitantia, vel etiam imperitia rerum geographicarum confuderunt. multa enim peccant poetæ etiam primarij in locorum nominibus. hic vero error eò facilius admissus atque vsu confirmatus est, quod vterque horum fontium auctorem habuit Pegasum Bellerophontis: excitatus vterque impressione vngulæ illius equi volucris. Vetus Persij interpres qui meminerat Musas in Helicone & illo Phocidis tractu habitare, non dubitauit Pirenen interpretari hoc loco de fonte Heliconio. id vero commentum procliue refellere: neque enim dubitare possumus, quin Musicus iste fons, ille ipse sit, quem in Acrocorintho describit Strabo cum omnibus geographis. Statius, Genethliaco Lucani,

Lucani proprium diem frequentet,

Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus æstro,
Pendentis bibit vngulæ liquorem.

Idem Thebaidos libro III.

It comes Inoas Ephyre solata querelas:
Cenchreæque manus: vatum qua conscius amnis
Gorgoneo percussus equo.

Notat ibi Lactantius vetus interpres: *equo Pegaso, cuius vngula percussus locus, fontem effudit, qui Hippocrene dicitur: hoc enim fonte qui labra proluerit poëta fiet.* Vides similem errorem eruditi grammatici, ei quem notabamus in Persij scholiasta. quia enim sciebat fontem Musis dicatum Hippocrenen dictum fuisse: falsò pro Pirene Hippocrenen heic hariolatur. Pirenæ fontis aquæ δάκρυσι καὶ πόνοις. Straboni dicitur, Pausaniæ etiam πιεῖν ὑδὺς. quod igitur pallidam Pirenen vocat satiricus, vel ad fabulam referendum, & luctum Pirenæ matris Cenchriæ, ex cuius lacrimis fontem hunc manasse fabulantur auctore Pausania: vel ad pallorem, quem sibi etiam studio & arte interdum conciliabant isti famæ negotiatores poetæ. potes & ad illuuiem referre ac squallorem horum quos perstringit: qua de re in altera prologi parte plura.

Illis remitto q.) Meliores libri & Puteani membranæ, *remitto*: alij codices *relinquo*: vt in adfini sententia satira quinta: *--mensasque relinque Mycenas.* non aliter perantiquæ clarissimi viri Iacobi Bongarsij membranæ. perplacet *remitto.* signatum verbum apud optimos scriptores hac notione, cum aliquid ἀποδιοπομπούμεθα & reijcimus

vel oblatum.

Quorum imagines lambunt Hederæ ſ.) Hoc eſt ambitioſis hominibus, qui non quod literas verè ament, aut quia diuinæ poetices præſtantiam intelligant, Muſas colunt: verùm vt nomen ſibi pariant, & iudicio inſani principis aliorumque imperitorum, honores mereantur legitimis poetis debitos. non ſine ſatirico ſale poetas δοξοκόποις hac periphraſi deſcribit, vt apparet ex verbo *lambunt*; quod tranſlatum eſt a canibus, queis proprium lambendo bibere. heic valet vndique cingere, περιστεφανοῦν vel πυκάζειν. aptâ vox indignanti, vt apud M. Tullium de cohorte Verris *cohors horum canum, quos tribunal meum vides lambere.* Fuit illud maiorum inſtitutum præclarum, dedicandi in bibliothecis quà publicis, quà priuatis imagines & ſtatuas doctorum, eaſque ſemperuirenti hedera coronandi. ſed hunc honorem Perſius vir cordatus, non faciebat nauci: qui ſciret ætate ſua dignis indignis, imò his potius, eum deferri. Virtutis enim præmia tum demum à ſapientibus honeſta & expetenda exiſtimantur, cum pro meritis conceduntur: eadem ſi per gratiam vel ex libidine diuidantur, non iam virtutis ſunt teſtimonia, ſed fortunæ fauentis. extat in eam ſententiam elegans Polliani epigramma dignum quod heic obiter exponamus: male enim vulgo accipiunt.

Εἰ μὴ χαίρω φλῶρε, γενοίμην δάκτυλος ἢ πῦς
Εἷς τῶν σῶν τούτων τῶν κατατεινομένων.
Χαίρω νὴ τὸν κλῆρον, ὃν εὐκλήρησας ἐν ἄθλοις
Ὡς περὶ χηρείας τοῦ στεφάνου μερίδος.

ineptulus poëta Florus in agone Musico, non suo merito, sed inopia vel imperitia antagonistæ, vel etiam peruerso eorum iudicio, quorum ea fuerat cognitio, coronam adeptus, honore illo superbus, familiari suo Polliano succensebat, quod sibi non gratularetur: eamque cessationem inuidiæ adscribebat, quasi esset sua corona ἀγηθὼν ὀφθαλμῶν Polliano: qui respondens illi hoc tetrasticho, *Ego verò*, ait, *ô Flore, nisi gaudeo, fiam eorum pedum vnus quos tu in tuis chartis torques miserè:* hoc est, male peream. *Gaudeo inquam: idque ita esse iuro tibi per Fortunam, & sortem qua fauente tibi, coronam poëticam ita nactus es, vt in diuisione hereditatis quæ parentum morte obtigisset, partem opimam.* Hoc vult Pollianus: gaudere se & Floro gratulari, non quidem vt præmium ingenij ac doctrinæ adepto: sed vt Fortunæ munus consecuto non pœnitendum. Similis sententiæ est istud Senecæ in libello Quare bonis viris mala accidant: *Descendisti d Olympia: sed nemo præter te: coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum præturámue adepto.* χηρεία μερὶς Polliano dicitur, pars quæ sortitò euenit è parentum hereditate. non est enim, vt quidam putarunt substantiuum χηρεία: sed est à χηρεῖος, vnde, apud poëtam vox χερνῖος. propriè χεῖρος de viduo aut vidua: sed & de orbis dicitur, vt & Hesychius adnotat. Cum è certamine par virtutis testimonium referebant ambo antagonistæ, tunc victores ambo sine victoria, aut potius vt Theocritus & Polybius eos vocant, ἀήττητοι, præmium Deo consecrabant, cuius id festum erat, sicut testis est

A. Gellius lib. XVIII. cap. II. quod alibi Seneca vocat *hieram facere*. interdum vbi χρυσαῦτης erat ἀγών, præmium æquis partibus vtrique cedebat: vbi erat corona præmium, videntur vel sorte litem diremisse, vel arbitrio iudicis. Vt non sine caussa hanc quæstionem olim tractauerit Chrysippus in libro de officio iudicis, proposita specie duorum cursorum, qui metam simul attigissent. testis Plutarchus, qui in libro Περὶ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων de Chrysippo loquens, ait: ἐν τῷ Περὶ τοῦ δικάζειν ὑποθέμενος δύο δρομεῖς ὁμοῦ σωμπίπτειν, (ita lego non σωεκπίπτειν, quod tamen potest vtcumque exponi) ἀλλήλοις, διαπορεῖ πότερον τῷ βραβευτῇ καθήκει ποιῆσαι. πότερον, φησὶν, ἔξεστι τὸ βραβευτικὸν τὴν φοινικα ἑκατέρῳ βάλλειν δοῦναι, κἂν τύχωσιν ἀμφοῖν σωμπεσόντες ἴσης, ὡς ἂν μηδέτερα φῇ αὐτοῦ τὸ χαμαιτύπιον πρόκριμα: ἢ μᾶλλον, ὡς κοινὸν τὸ φοίνικος γεγονὸς ἀμφοτέρων οἱονεί τινος κλῆρον γενομένου ἐναλλὰξ κρῖναι τῷ δικαστῇ, ὡς ἔτυχε δοῦναι αὐτόν. dubitat Chrysippus, debeatne brabeuta palma vti tanquam sua, & vtri libuerit deferre: an potius rem, vtrique iure quæsitam, ei adiudicare, qui sorte arbitra abstulerit. ex hoc loco intelligimus quid sit κλῆρον δικαρεῖν in Polliani versu.

Hederæ sequaces) Leonidas poëta Græcus πολυπλανέα κισσὸν dixit, Virgilius quoque & Catullus *errantem*. Philippus in epigrammate tribuit ἑρπυσὴν σκολιὸν πόδα hederæ, & ait χορεύειν, quod explicant superiora. Sic autem antiqui lyrici, inquit Seruius *flexipedes hederas* dixerunt.

Ipse semipaganus Ad sacra vatum carmen affero nostrum.) His verbis præcipua carminis huius intentio

tentio continetur, vt iam diximus, neque repetemus. *semipaganum* se appellat quasi inchoatum poëtam dicas, vt non penitus ἀνείσακτον, ita assistentem adhuc in cortina & tantum ἀκροθιγῶς ἁψάμενον τοῦ λέβητος. modestiam appellationis huius opponit arrogantiæ poëtarum μουσοπατάκτων de quibus dixit. Notissimum est, paganus & miles esse τῶν πρός τι. Vita in literis militia quædam est, aut quasi militia, vt placet Iurisconsultis. imo verò Latine loquentibus omne ἐπιτήδευμα, & functio muneris publici aut priuati *militia* dicitur. paullo aliter Plinius epistola ad Rufum, libro VII. *Vt in castris sic etiam in literis nostris sunt plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus inuenies.* Simili translatione dixit Lactantius libro primo, *oratores veterani suæ professionis.* & similia multa alij auctores. *paganus* cum vero militi opponitur, est ὁ ἀστράτευτος: cum quasi militi, ὁ ἰδιώτης. *semipaganus* ὁ ἡμιέργου σοφίας ἢ ἡμιπαγοῦς λαχὼν, vt loquitur Philo Περὶ γεωργ. sic ἡμίεργον τὴν ἐπιστήμην κτήσασθαι apud Simocatum. non dissimile est apud Pindarum in III. Nemeonic. ἀρετᾶς ἀτελεῖ νοῷ γεύεται, de Poëtis verè semipaganis, & ἄκρεντα γαρύειν. Græci huiusmodi homines ἡμιτελεῖς περὶ λόγους vocant, vt Dionysius Hal. & ἀκροσόφους, idem alibi: atqui mira vox, nam passim leges ἄκρος παιδείαν pro perfectè docto. sed vocis ἄκρος anceps notio Græcis. verba illius eruditissimi critici ita corrige in libro De dicendi vi Demosthenis, τοιαυτίου τὸν μᾶλλον ὑπολάβοι τις ἀνὴρ, μήτε ὀλιγόπονος, μήτε ἀψικο-

ρος, μήτε ἀκρόσοφος. nam deprauatissime per ἀψίκορος editum τερψίχορος. Est & aliter hanc vocem interpretari: vt *semipaganum* se eò dicat Persius, satirarum scriptor, quia sine fabulis, quas non admittit genus hoc carminis, nulla censebatur esse poesis legitima. poeta ergo dicetur ob numeros, quibus ceu vehiculo à veris poetis mutuato, sublimior incedit eius oratio: at poeta semipagamus & ἡμιτελὴς, eo quod carmina illius fabulis careant. Plutarchus multa in hanc sententiam in commentario, Quomodo iuueni legendi sunt poetæ: & longe prior illo grauiorque auctor Aristoteles, animam poeseos, fabulam esse pronunciauit. placebit opinor, nonnullis hæc interpretatio: nos scimus menti auctoris priorem conuenire: a qua errabit quicunque discesserit.

Ad sacra vatum carmen affero nostrum.) *Afferre carmen ad sacra vatum* generaliter exponi potest, de omnibus qui poemata sua recitabant veterum more, aut aliter publicabant: quod φέρειν εἰς μέσον dicit Plutarchus Περὶ τοῦ ἀκούειν. Sicut athletæ priusquam legitimi agonistæ censerentur, nomen dare tenebantur, & probari, quod ἀπογράφεσθαι & ἐγκρίνεσθαι dicebant: sic qui accenseri numero poetarum volebant, poetis carmina sua cõmunicabant, & iudicia illorum experiebantur: hæc erat illorum ἀπογραφὴ καὶ ἔγκρισις. Cõmune est omnium artium vt sacra habeant sibi propria. in Euthydemo Platonis leges τὰ ἱερὰ τὰ σοφιστικὰ: apud poetas passim sacra & ὄργια Musarum. vt apud Aristidem κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, qui eloquentiam cor-

rumpebant dicuntur χραίνειν ὄργια Μουσῶν, id est, sacra oratorum: diuersa sunt ab istis rhetorum τεχνολόγων sacra, quorum meminit Quintilianus libro v. sub finem: *Peregisse mihi videor sacra tradentium artes.* Manilius initio operis gemina sacra commemorat *Carminis & rerum*, hoc est, poëtarum & astrologorum. Firmicus libro II. *Nunc tu qui hos libros legere conaris, cum natura sacris imbutus, atque initiatus sacrati operis disciplina fueris.* & docti μύστας se, ἱερεῖς, & sacerdotes vocant, vt Vlpianus Iurisconsultos, *Iustitiæ sacerdotes.* Statius Lucanum *Romani chori sacerdotem*: Synesius ep. XCIX. de Theotimo poeta, αἰδοῖ Μουσῶν τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν ἄξιον πρεπέπειν. ita passim. Nihil vetat hunc Persij locum ita accipere: quia tamen consuetudo fuit tum Romæ, vt in æde Apollinis Palatini docti conuenirent, & sua scripta eò deferrent, præstat ex eo more poetæ verba interpretari, quomodo illa superius accipiebamus.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε?) Hæc iam altera pars prologi huius, quam diximus totam esse διασυρτικήν. Nam eorum interpretatio pridem explosa, qui arbitrati sunt de se poetam heic loqui, & caussam afferre, cur ad versus faciendos animum appulerit: egestate nempe fuisse coactum, & fame. uæ ridiculi homines erant, & rerum omnium imperitissimi, quibus de tanto viro, natalibus, opibus, eruditione conspicuo, &, quod omnia superat, seuerissimæ disciplinæ alumno, tam absurda sententia potuit probari. Scilicet morum publicorum censuram suscepis-

ſet Perſius, quod operis huius eſt argumentum, ſi paupertate adactus mercedulæ ac ſtipis miſeræ deſiderio opus inſtituiſſet. Non igitur de ſe hæc Perſius: verum de illis ipſis poetis, quibus modò dicebat, ſe remittere, Heliconiadaſque pallidamque Pirenen. Quamplurimos tum Romæ res familiaris domi anguſta impellebat, audere aliquid in literis. multi ad forum ſe conferebant: plures cum agere cauſſas neſcirent, aut nimis laborioſum putarent, ad poetices ſtudium tanquam in portum confugiebant. Petronius Arbiter Perſio æqualis, *Multos, ô iuuenis, carmen decepit: nam vt quiſque verſum pedibus inſtruxit putauit ſe continuo in Heliconem veniſſe. ſic forenſibus miniſterijs exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum faciliorem refugerunt: credentes poëma facilius extrui poſſe, quam controuerſiam ſententiolis vibrantibus pictam.* Ad iſtos falſo creditos poetas referendi ſequentes Perſij verſus. Nam quod illi impudentes iactabant, ſomniaſſe in Parnaſſo, & ab ipſis Muſis fuiſſe doctos: id Perſius refellit, veram afferens cauſſam, quæ miſellos ad templa Muſarum, tanquam ad egeſtatis ſuæ aſylum compuliſſet: vt vel ex eo appareret, horum ſcripta non poetarum γονίμων eſſe γεννήματα, ſed infelicium ingeniorum ἀμαίευτα quædam & παρὰ φύσιν ἐκτρώματα. Comparat iſtos Perſius cum auibus, quæ natura ſua humanæ vocis ignaræ, arte tamen eo perducuntur, vt noſtra verba conentur. Natura auitio generi ψόφον & φωνὴν dedit: διάλεκτον propriam hominis dotem non de-

dit. Strepere igitur, sonum ac vocem edere possunt: articulate loqui, non possunt. paucæ quædam inter aues reperiuntur disciplinæ capaces, quas cibo prius abstentas, magistri partim verberibus partim blandiente cibo, humanam vocem cogunt imitari. Tres heic nominantur eius generis, psittaci, corui, picæ. possunt his addi, turdi, sturni, lusciniæ, erithaci (qui sunt ijdem æstiui phœnicuri,) merulæ, cornices, & saru Calicutensis: è quadrupedibus vnica hyæna Indica siue crocotta: de cuius voce humanam exprimente, & pernicie certa auscultantium, præter geographos, multa Porphyrius III. περὶ ἀποχῆς. Ingeniosissime Persius cum istiusmodi auibus componit famelicos poetas: illæ, vt discant loqui naturæ suæ vim faciunt: hi, vt versum pedibus instruant, genio atque ingenio destituti, egestate coguntur: atque vt illæ auiditate cibi qui ostentatur, in loquellam humanam erumpunt: ita isti, in adyta penetrare Camenarum nituntur, spe lucelli infelicis: cuius si luculentior spes aliqua affulserit, tum vero illi superbire, & caput cælo inferre sibi videri. hæc mens sequentium septem versuum.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε.) Duobus verbis idem dicit, *expediuit*, & *docuit* sequenti versu. ignorantia & ἀδιδαξία est instar vinculi, quo ingenium alligatum est, vt πέδη pes: soluitur eo vinculo atque expeditur ignarus cum docetur; vnde dicitur λύσις, solutio διδασις quæ mentis discursum, siue διάνοιαν impediebat, ne vlterius

progrederetur. Auiariorum induſtria inſtituuntur ad loquellam & pſittaci & picæ, ac cæteræ loquaces & κοπίλαι aues. horum meminit Manilius libro quinto.

Quinetiam linguas hominum, ſenſuſque docebit
Aërias volucres, nouaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ ſorte negata.

Firmicus ex Manilio ſed non ex mente Manilij vſquequaque libro VIII. cap. XIV. *In Sagittarij parte decima oritur Cygnus: hoc oriente ſydere qui natus fuerit, aut aues capiet, aut mercabitur, aut ingenioſo ſtudio auibus humanæ vocis ſonum inſinuabit.* Quomodo autem doceantur ad ſpeculum huiuſmodi aues, explicat Gregorius Naz. pulcherrimis hiſce verſibus:

Ψῆρες μὲν λαλέουσιν ὁμόϊϊον ἀνθρώποισι,
Φωνῆς ἀλλοτρίης ζηλήμονες· ἣν ἐδίδαξεν
Εἴδωλον ξεστοῖο κατ' εἰσοπτροιο φαανθὲν
Ψηρὸς, κρυπταδίην τε ἱεὶς ὄπα κερδαλέως φῶς.

Suum χαῖρε.) Vt plurimum docebantur hæ aues ſalutationis verba, vel ſingula, χαῖρε, *Aue, Salue*: vel paullo plura, vt κόνδιτον πίω apud Simplicium: vel εὖ πράττε, & Ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα inquit Philoſtratus. ſic Apſephæ regis Libyæ pſittaci, quos dimiſit doctos canere, Αψεφᾶς θεός ἐστι. interdum etiam plurium vocum verſus aut ſententias docebantur: vt illi corui, qui admirationi fuerunt Auguſto ex Actiaca victoria reuertenti, quorum alter inſtitutus fuerat dicere, *Aue Cæſar, victor, Imperator*: alter, *Aue victor Imperator Antoni.* ſed maioris admirationis eſt, quod Pli-

nius ait, & ſæpè audiuimus, diſcere aues non loqui ſolum, & paucas voces reddere, quas docti fuerint: verùm etiam ſermocinari, & ad interrogata reſpondere, ac domeſticorum peccata iudicio ſuo prodere. Porphyrius, De abſtinentia ab eſu animalium, libro III. hoc argumento probare nititur, non eſſe omnino bruta animalia ratione deſtituta. εἰ φαίνηται, ait, καὶ ἡμᾶς μιμούμενα, καὶ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν ἐκμανθάνοντα, καὶ συνιέντα τῶν ἐφεστώτων, τίς οὕτως ἀναιδὴς, ὡς μὴ συγχωρεῖν εἶναι λογικὰ διότι αὐτὸς οὐ συνίησιν ὧν λέγουσι· κόρακες γοῦν καὶ κίτται, ἐρίθακοί τε, καὶ ψιττακοὶ, ἀνθρώπους μιμοῦνται, καὶ μέμνηνται ὧν ἂν ἀκούσωσι, καὶ διδασκόμενοι ὑπακούουσι τῷ διδάσκοντι, καὶ πολλοίγε ἐμήνυσαν δι' ὧν ἐδιδάχθησαν καὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας κατὰ τὸν οἶκον. Singularis apud Cedrenum hiſtoria legitur de eo pſittaco, qui Leone Baſilij filio per calumniam delato, & à patre in carcerem coniecto, aſſiduè dictitans, Αἰ αἰ κύριε Λέον, ſenatoribus à Baſilio inuitatis, miraculo fuit, quod videretur αὐτοδίδακτος & per ſe caſum heri deflere: lacrimas itaque ſenatores non tenuerunt, neque ante conquieuerunt, quam liberationem Leoni à duro patre tandem impetrarent. non diſſimilis corui illius hiſtoria, qui repudiatus ab Auguſto dixit, *Opera & impenſa perijt*, vt refert Macrobius.

Verba noſtra conari.) Legitur in nonnullis *blandiri*, quod omnes membranæ repudiant: nec minus illum barbarum & ridiculum verſum qui à nonnullis inter hunc & præcedentem collocatur. Apage à tam docto poeta tantam labem.

aptum verbum heic *conari*: ſicut dixit Quintilianus in prima inſtitutione de infantibus, *futurus eloquentiſsimus, loqui primum incerta voce tentauit.* & Minutius Felix, eos *dimidiata verba tentare.*

Magiſter artis, ingenijque largitor venter, n.) Venter quidem hoc eſt fames & egeſtas ingenium non largitur. è contrario potius, multis cum illos res aduerſæ premunt, ingenium minuit, & virtus atque omnes animi vires: quod Poëta intellexit, cum dixit, perire dimidium virtutis ei qui ſeruus fiat: Ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαιρεῖ δούλιον ἦμαρ. & Plato negat, vllum animal mœſtum canere. οὐδὲν ζῶον λυπούμενον ᾄδει. Iuuenalis etiam ſatira VII. multis diſputat, magnum & perfectum poëtam eſſe non poſſe, hominem egenum, & ἀχορήγητον, vt loquitur Ariſtoteles in ſententia non diſſimili, cui non aſſit, *Anxietate carens animus.* ideo dicebat Ioannes Chryſoſtomus, ſolicitudinum aſſiduitate aciem ingenij hebetari, & grauiorem plumbo effici, qui prius ales poterat videri. Sic ille in libro De ſacerdotio: ἤδη δὲ καὶ φροντίδες συνεχεῖς ἤμβλυναν τὸ τῆς διανοίας ὀξὺ, καὶ μολίβδου βαρύτερον τὸ πτηνὸν ἀπειργάσαντο. & iam ibidem dixerat, vel maximas ingenij vireis ad extremam imbecillitatem aſſiduis curis redigi. ἡ ἀθυμία, inquit, καὶ αἱ συνεχεῖς φροντίδες δεινὰ καταβαλεῖν ψυχῆς δύναμιν, καὶ εἰς ἀσθένειαν καταγεῖν τὴν ἐσχάτην. Præterea quis neſcit, ingenium earum virtutum eſſe, quæ à natura ingenerantur, non arte vel ſtudio parantur? Quomodo igitur *magiſter artis & ingenij largitor venter,* ſiue paupertas? nam hoc ἄνω κάτω θρυλλοῦσιν, at-

que affirmant Græci Latinique ſcriptores. Theocritus non ſolum magiſtram artium inopiam vocat, ſed etiam addit ſolam: Ἡ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. è ſcena eſt ille verſus ſententiæ eiuſdem, ſed moderatior: Λιμὸς δὲ πολλῶν γίγνεται διδάσκαλος. Archytæ Pythagorei eſt, χρειὼ πάντ' ἐδίδαξε. τί δ' οὐ χρειώ κεν ἀνθύροι; omitto ſimiles his Græcorum χρείας: quibus & Latini conſentiunt. Plautus Sticho:

—— paupertas fecit ridiculus forem
Nam illa omnes artes perdocet, vbi quemque attigit.

Manilius libro primo.

Et labor ingenium miſeris dedit: & ſua quemque
Aduigilare ſibi iußit fortuna premendo.

his verbis Manilius non ſolum idem dicit quod Perſius: ſed etiam quæſtionem omnem ſoluit. re vera enim, neque opes, neque paupertas, aut minuunt, aut acuunt ingenium per ſe: verum ideo hæc laus paupertati tribuitur, vt mater artium credatur, quia *premendo iubet aduigilare ſibi*, vt dicit Manilius: cuius mentem non poſſum interpretari melius quam verbis aurei doctoris Ioannis Chryſoſtomi: qui è calamitatibus hanc vtilitatem percipi docet, quod vagum animum, & circa multa hiantem, ſeriò cogit attendere, atque ad ſeipſum conuertit. Verba illius ſunt in quarta ad populum Antiochenum: ἡ θλίψις εἰς σπουδὴν ἐπανάγει, καὶ πεπλανημένην ἔξω, καὶ περὶ πολλὰ τὴν διάνοιαν κεχηνῦιαν, πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφει. Eandem cauſſam reddit philoſophus, cur plures reperiantur, qui aduerſam fortunam recte ferant: quam læta qui

vtantur bene. Quod igitur sæpe accidit, vt desperatio salutis, victoriam & salutem afferat: idem in reliqua fit vita: & vt Laberius ait, *Calamitas virtutis est occasio.* οὐδὲν γὰρ τοῦ πάσχειν εὑρετικώτερον, inquit Gregorius Naz. quod non in sola paupertate verum est, sed in omni dolore etiam ex alio quouis affectu. Hinc credita Aristoteli ira fortitudinis cos. etiam poëticæ facultatis cotem dixeris quia sæpe, quod Iuuenalis ait,

Si natura negat, facit indignatio versum.

Propterea vetustissimi sapientes Amorem, quem inter naturæ principia statuebant quasi efficientem causam, matre Penia, patre Poro dixerunt ortum: quod μυθολόγημα pluribus explicant Platonici ad mellitissimi sui doctoris Symposium. *Ingenij* nomine docilitatem, memoriam & cæteras intellectus virtutes appellari, docet M. Tullius, v. De finibus. & has acuit paupertas, & alterius generi. morales, in voluntate positas Antiphanes, Γενία γὰρ ἐστιν ἡ τρόπων διδάσκαλος. Aeschylus in Agamemnone.

——— αἱ νήστιδες
Δύαι διδάσκειν ἐξοχώταται, φρενῶν
Ἰατρομάντεις. quod vulgo

Græci breuius, παθήματα, μαθήματα.

Negatas artifex sequi voces) Hellenismus notissimus, *artifex sequi*, vt satira prima. --- *nec ponere lucum Artifices.* Sed Græci in simili sententia δεινὸς dicerent, non τεχνίτης. Nihil figura ista frequentius apud Persium, & poëtas omnes Latinos. *Sequi* heic valet facere sequi: est enim vnum

verbum loco duorum positum: significat autem, exprimere, dicere. Græce dixeris, ἄγνος γὰρ ὁ λιμὸς καὶ παῖς ὑπὸ τῆς φύσεως ὁ συγκεχωρημένας φωνὰς ἐκβιάζεσθαι. negatas voces, vt Manilius supra,

Verbaque præcipiet naturæ sorte negata.

Quod si dolosi spes refulserit nummi.) Si mendicabula hæc poëtarum Mecœnatem nanciscantur, adeo sibi boni videntur poëtæ, adeoque insolescunt, vt cum Bauij sint aut Mæuij, pro germanis tamen Virgilijs haberi postulent. *dolosum nummum* appellat, vel communi vsus epitheto, ad sententiam nullum habente momentum: vix autem ac ne vix quidem magna pecunia sine dolis ac fraudibus cogitur. Vel dolosus nummus dicitur, non virtute partus, sed per fœdam adulationem, & opinione falsa cuiusdam in poëtis præstantiæ. non multo aliter δολοῦσθαι κέρδεσι, dixit Pindarus, pro sectari quæstum inhonestum, in oda ad Hieronem Pythionicam μὴ δολωθῇς, inquit, φίλε κέρδεσιν ὑπραπέλοις. hoc est, ne decipiaris lucris blandientibus: neque siueris persuaderi tibi pecuniæ parcimoniam in specie honestam, re turpem. Vsus verbo δολοῦσθαι, vt eos perstringeret qui auctores erant Hieroni ne ὑστεροφημίαν beneficijs in poëtas & historicos redimeret. non probum esse id consilium, & ridiculos qui darent vocibus illis innuit δολωθῇς & ὑπραπέλοις.

Refulserit) Liber Puteani, *refulgeat*. Ioannes Saresberiensis libro VII. cap. XVI. *Nullum graue periculum est, si spes dolosi nummi refulgeat.* Ita loquitur

Persius, velut de re, quæ repente existat, & casu quodam. Quia enim non ex merito ipsorum, sed ex aliorum stultitia, malis poëtis commoda hæc eueniunt, optare quidem illa semper potuerunt: at sperare non item.

Coruos poëtas & poëtrias picas.) hoc est malos & indoctos poëtas. ad naturalem earum auium vocem respicit, non eam quam edunt cum humanam loquellam imitantur: excellunt enim & coruus & pica in eo genere: at naturalis eorum vox, non solum ingrata, verum & infausta veteribus habita, præsertim corui: & κλώζοντος, *glocitantis*: & κρώζοντος, *grocitantis*, & cum glucit vocem velut strangulati. diuersos enim sonos edit coruus, plures pica, de quibus alibi. In plerisque libris etiam antiquissimis, perperam scriptum *poëtridas*, aut *poëtidas*. posterius palam vitiosum; alterum miro consensu tuentur vetusti codices: nec plane analogia caret: nam vt αὐλητρὶς ab αὐλητὴς, ita ποιητρὶς à ποιητὴς, potest formari. melius tamen, *poetrias*, vt semper Græci ποιήτρια: cui simile est ψάλτρια, & σαμβυκίστρια apud Menandrum, & συλλογίστρια apud Origenem tomo v. contra Celsum, & alia multa.

Cantare credas Pegaseium melos.) Prima fronte videtur idem dicere cum Martiali.

Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones.

atqui plane contraria mens Persij. hoc vult enim: istos ἀφυεῖς versificatores, si semel liberati fuerint ærumna domesticæ paupertatis, adeo spiritus attollere, vt cum illos videas, aut versus suos

recitantes audias, incomparabiles poëtas esse censeas, qui omnium priorum luminibus obstruxerint. *credas* igitur, non ex illorum opibus, aut cum illorum carmina legas: sed cum audias sua prædicantes. *melos* membranæ omnes: etsi dubitationem veterum criticorum produnt scholia vetusta, quæ *nectar* ab alijs scribi testantur. Puto mirum illis visum esse, Persium in carmen Latinum licentiam Græcanicam inuexisse: nam si Græcis literis vel leuissime tincti erant, quam vim habeant liquidæ consonantes apud illorum poëtas non poterant ignorare. Homerus in duobus continuis versibus hymni in Mercurium, & corripuit & produxit priorem vocis μέλος. Antipater epigrammate in Anacreontem, Ἀκμὴν οἱ λυρόεν μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλῳ, Christodorus in Aglaum, Ἄγλαος εἱστήκει χρησμολόγος ὅν τινα φασί. *Pegaseium* formatio Ionica metri caussa. Πήγασος, Πηγάσεος, Γηγασήϊος. sicut Τήϊος pro Τεῖος.

AD SATIRAM PRIMAM.

ETIAM hæc satira prima duplici constat argumento, vt supra de prologo dicebamus: nam & heic de se incœptoque hoc suo satiras scribendi agit simul, & de aliorum sibi æqualium studiis ac scriptis. Tota igitur satira ad duo capita refertur: quorum alterum est hoc. Rectè Persium ad satiram scribendam animum appellere, spreto vulgi iudicio, potentum gratia, ipsiusque adeo Neronis: periculo etiam quod ab illo & cæteris magnatibus ostendebatur, neglecto. Alterum caput ex priore nascitur, eiusque rationem continet. eo docetur fusè totam rationem studiorum Romæ esse corruptam: non poëtas, non oratores eo animo ad literas accedere quo par erat: aut illas sic tractare vt γνησίως Musarum alumnos deceret: ipsorum denique auditorum vniuersi populi iudicia esse peruersa: cum nihil vulgo probaretur, nisi quod maximè vituperari mereretur. In fine carminis, velut corollarium adtexitur, versuum XII. quibus philosophorum more explicat Persius,

qualem desideret lectorem. Hæc summa est satiræ totius: quam si lubet inscribas licet à maiori parte, vt fieri amat, *Contra eos qui literis male vtuntur*. Græce dixeris venustè, Κατὰ τῶν ἐξορχουμένων: hunc enim titulum præfixit Aristides vir magnus iudicij, diatribæ illi suæ non dissimilis argumenti, quam aduersus sui temporis sophistas, rhetoras & oratores conscripsit: mutuatus eam vocem è sacris operaneis: quæ si quis irreuerenter habuerat aut prodiderat, ἐξορχήσασθαι dicebatur. Aristides verò ἐξορχουμένους appellat in ea epigraphe, indoctos & venena solidæ eruditionis: in quos & Persius hac satira, vt diximus, acriter inuehitur. Eodem verbo vsus Athanasius de Arrio loquens cuius erat oratio elumbis & viro indigna, vt postea dicemus. πιθήκοις, ait ille in secunda contra Arrianos disput. ῥήμασιν ἐξορχήμενοι παίζουσιν οἱ ἄπαιδες. paullo aliter Gregorius Naz. de eodem Arrio. at diuersa notione de se id verbum vsurpauit Synesius epistola CXXXVII. Quoniam autem vetus est etiam doctissimorum querella de Persij obscuritate: nos autem optamus vel pueris planissimum opera nostra eum reddi: age ad maioris interpretationis lucem considerem us satiræ huius μέλη καὶ μέρη, membra inquam & membrorum partes: quo facilius, cum ex vniuersi carminis, tum ex singularium partium consideratione appareat quod nos quidem contendimus, nullius philosophi orationem scholam gregi suo explicantis, melius cohærere potuisse, quàm sint omnes huius satiræ

partes ex ſeſe inuicem aptæ atque connexæ. Eam nos, διδαχῆς χάριν in membra ſiue ὁλοσχερεῖς partes octo tribuimus. Prima deliberationem Perſij continet cum amico, debeat necne ſatiram ſcribere. eſt enim dramaticum hoc carmen, quod ipſe poëta monet illo verſu, *Quiſquis es, ô modo quem ex aduerſo dicere feci.* Rationes igitur inter ſe conferunt Perſius & ille alter, quem ſine nomine introducit ſecum loquentem. Hic Perſio ſuperueniens Satiras meditanti, & iam ſcribere adgreſſo, illum à propoſito conatur dimouere, eo argumento vnico, quod genus id poëſeos Romæ lectorem non ſit inuenturum: imo contra, eius auctorem ſint aſpernaturi & principes, & alij proceres, atque vno verbo, populus vniuerſus. Reſpondet Perſius: non tanti ſe iudicia iſtorum peruerſa facere, vt eorum rationem in hac deliberatione cenſeat ſibi eſſe habendam: porrò autem, à ſatira ſcribenda temperare non magis poſſe, quàm à ridendo, ſi oblata fuerit res ridicula. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκετ' ἄνδρα σίδηρος: & olera ipſa olla legit. Poſtea demonſtrare incipit Perſius, ſatira digniſſima eſſe quæ vulgo Romæ agerentur ab omnibus: ac quò procederet ordine diſputatio, non confertim omnes homines, aut temere obuium quemque arripit: ſed diſtinctè ſingula hominum genera in hoc opere ſpectantur, & examinantur. Igitur ne longe exemplum peteret, eos primum ſermone hoc primo inuadit, qui liberalium diſciplinarum ſtudium profitebantur: quorum è numero & Perſius erat, &

ille

ille alter qui cum eo colloquebatur. ita ad secundam partem fit transitus, quæ ibi incipit. *Scribimus indocti, doctique poëmata passim.* Inuehitur hac in parte in sui temporis poëtas: καχόσιτως τῆς μουσικῆς, & φιλοδοξίας eos arguens, quod dicendi scribendique leges corrumperent, & literis ad inanem ambitionem abuterentur. ex eo manantia aliquot instituta commemorat, exagitátque: illum nescio quem grauitate censoria increpans, qui malæ causæ patrocinium suum accomodare sustinebat. Tertia pars sequitur, ab illo versu, *Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli.* qua mollitiem & imperitiam scribentium, maxime autem Neronis, ac deprauata auditorum iudicia, nihil nisi tenerum ac delicatum probantium, festiuè irridet. Quarta deinde pars subiicitur: ea perstringuntur verborum obsoletorum sordes, quas ex antiquis poëtis, multi illa ætate repetebant, ὀρθῆς παιδείας πλέως ἀμώητοι. incipit eo loco: *Est nunc Brisæ.* Quinta sequitur pars, tota aduersus eos qui corruptam mollitie orationem in forum introducebant: plus operæ in eo ponentes quo iudicis aures titillarent, quam vt causæ iusta exponerent: quæ erat amētiæ vltima linea. Sexto loco fractos orationis numeros exagitat, & Sotadicam poësim: qua Nero & tota eius cohors, moribus Sotadicis prædita mirifice delectabatur: Romanus verò populus ita nouum inuentum mirabatur, vt vulgo iactitaretur, tunc demum poësim, quam à maioribus imperfectam accepissent, omnibus

numeris esse perfectam. è contrario pronuntiat Persius, talem poësim detestatione dignam, non solum eorum, qui ad poëtices verâ laudem aspirarẽt: sed omnium qui hoc saltem meminissent, viros se natos: proinde exoletis esse relinquendam. incipit eo loci, *Sed numeris decor est, & iunctura addita crudis.* Hanc Persij liberiorem indignationem, quam pro temporibus publicæ seruitutis sub principe Nerone, excipit familiaris eius ac monitor: præsens illi à magnatibus periculum denuntians, si pergeret hac libertate ea reprehendere, quæ ipsis placerent, maxime autem Imperatori. heic vero Persius, ironia quadã prius vsus, quasi consilium laudaret: mox aperte multis exemplis prolatis suam, & omnino publicam libertatem acerrimè propugnat atque hanc facimus septimam satiræ partem, ab illo versu, *Sed quid opus teneras mordaci.* Octaua deinde sequitur & vltima, ab illo loco, *Audaci quicunque afflate Cratino.* vbi declarat poëta, quibus has satiras scribat, & à quo genere hominum sua velit legi: à quibus nolit, vt dictum isti sibi putent, *Odi profanum vulgus & arceo.*

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!) Pronũtiatur hic versus à Persio, cum defixus in contemplatione rerum mundi huius, & eorum omnium quæ mortales agimus, illas vanitati obnoxias, hæc plusquam vana esse animaduertens, satiram scribere instituit. Atq; hoc versu vnico legem procœmiorum mirifice impleuit poëta: & attento & docili auditore facto: summa etiam proposita omnium quæ deinceps erat dicturus:

atque adeò omnium quæ in hoc genere dici à quoquam poterant. Omnino carminis satirici τὸ ὑποκείμενον ἦθος, & adæquata materia, vt vocant, his verbis continetur. similis apud Iuuenalem locus satirarum initio.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Et satira decima item alius, *Ridebat curas; nec non & gaudia vulgi Et lacrimas.* sed longè exactius ac luculentius noster: qui philosophica tributione vsus, nihil quicquã omisit eorum quæ satiricum cachinnum possunt mouere. per *curas hominum* intelligit τὰ πραττόμενα & actiones ac studia cuncta mortalium. *rerũ* appellationem refer ad τὰ ὄντα: quod genus est diuersum & αὐτοδημιούργητον ἀπὸ τῶν πραττομένων: res dico, non ab hominibus factas, sed à natura creatas: cuiusmodi sunt gẽmæ, aurum, argentum, & similia his alia, in quib. stupẽt plerorunque animi. hæc etsi aliter quàm homines, & facta hominum, tamẽ & ipsa atq; adeo vniuersa κτίσις τῇ ματαιότητι ὑποπίπτει: vt literis quoque sacris erudimur. Scilicet omne hoc & partibus suis quotidie corrumpi, & totum aliquando interiturũ Stoici crediderunt. etsi κόσμου φθοραὶ varie exponebãt: quod nunc missum facimus: neq; enim ad rem pertinet. Nam quod heic res dicuntur inanes, eò potissimũ spectat, quòd homines illas sectantur fine inani ᾧ ὄντως, vt explicat docte Chrysostomus homilia XII. in eam ad Ephesios. Non probo vt hæc duo membra ἐκ παραλλήλου de eodem accipiantur, & rerum quoq; nomine actiones intelligãtur: quas scimus à philosophis

etiam οὐσίας appellari, vt in Theæteto Platonis. ſed recta eſt & vera prior interpretatio. Habemus igitur qua de re ſit dicturus: res mundanas & curas hominũ: & quid de illis dicturus: nempe vanitatem illarũ eſt demonſtraturus. attentionem facit exclamatio: cui non aliter locus, quam vbi res magna & admiratione digna agitur. Vides quam apto, quam philoſophico, quam τεχνικῶς principio vtatur Perſius. Tali prorſus exordio & regius Hebræorum vates vſus, cum illam vere diuinam Satiram ſuam auſpicans exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Si librorum ſacrorum vt Græcorum poëtarum notitiam Romani habuiſſent, quis dubitaret de Solomone Perſium hoc principium eſſe mutuatum? nunc ξυνέμπτωσιν hanc vt fortuitam agnoſcimus, ita mirari ſatis nequimus. idem enim dixerunt, eodem loco, eodem fere modo. Non multum diſſimilis ſententiæ vox illa aurea Seueri Imper. qui omnia quorum inſano amore ardent homines adeptus ipſe, & vana expertus omnia, tandem coactus eſt exclamare OMNIA FVI, NIHIL EXPEDIT. quam ſententiam ſapientiſſimus ille Imp. Marcus, ὁ ἐν βασιλεῦσι φιλοσοφικώτατος, iis quæ de ſe ſcripſit, ſæpe inſeruit: & in quarto ait idem, ὅλον κενόν: quod paulo aliter Perſius: *quantum eſt in rebus inane!* Vt apud philoſophos τὸ κενὸν & τὸ ναστὸν opponuntur, ſic in ethicis bona maláque inania & ſolida. Horatius, *& inane abſcindere ſoldo.* Solida ſunt quæ rem cum nomine habent coniunctam: inania ſiue vana, quæ no-

men tantum sine re. Ita dicimus diuitias inanes: quæ non præstant quod verarum est diuitiarum præstare: quare etiam ἀνύπαρκτα vocantur sapientibus, falsa mortalium bona: quia nuda sunt nomina, ea facultate destituta apud vulgus hominũ, quam appellatio promittebat & cuius caussa erant expetenda. Gregor. Naz. in ea quam dixit Iuliano censuum æquatori. δῆλα τὰ ἀγαπᾶτε τὰ μάταια καὶ ἀνύπαρκτα πράγματα; Nicetas in illum locum: μάταιον λέγεται τὸ κενόν· ὅταν ὄνομα μὲν ᾖ, πρᾶγμα δὲ μὴ ᾖ· οἷον, ὄνομα μὲν πλούτου, πρᾶγμα δὲ οὐδαμοῦ. ὄνομα δόξης καὶ δυναστείας, ἐν μέσῳ τὸ ὄνομα ψιλόν. οὕτω καὶ πᾶσαι αἱ ἡδοναὶ τοῦ βίου καὶ ὑπερηφάνειαι ψυδόνται καὶ ἀπατῶσι. & statim ὅπισθεν τῶν βιωτικῶν πραγμάτων καὶ τὸ εἶναι ἐν τῷ μὴ εἶναι. ideo quæ sunt huiusmodi, nomina appellantur, velut rei appellatione indigna. Synesius epistola LXXVIII. χρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ καὶ οὐκ ὀνόμασι πολλῶν. milites imbelles vocat ὀνόματα. hæc igitur ratio est huius appellationis. nec multo aliter Hebræi magistri vocem הבל apud Solomonem exponunt. at B. Hieronymus in erudita interpretatione eius libri aliam caussam affert: vanas dici res mundi huius, nõ ἁπλῶς, sed ad Deum comparatas. quod sublimius est quàm vt videatur eius in mentem Persio veniisse. Curas hominum vaniissimas iam olim graphice descripsit Democritus apud Hippocratem, in nobilissima ad Damagetum epistola: vbi familiaris sibi risus caussam explicat Hippocrati. Poterant huc congeri ex Græcis Latinisque scriptoribus multa similis sententiæ: sed quia huiusmodi γνωμικὰ

omnibus nota, non committam neque heic, neque aliis similibus locis; vt in re non necessaria superuacuæ diligentiæ laudem videar affectasse, multa ἀθρόως complexus facundissimus vir Ioannes Chrysostomus homilia x. in eã ad Hebræos.

Quis leget hæc?) Fingit Persius defixo sibi in his cogitationibus, ac priore versu iam scripto, superueniſſe aliquem: qui eos secum sermones habuerit, quos deinceps refert. Tota enim satira instar dialogi cuiusdam est contexta: etsi personæ appositæ non sunt. quod sæpe inuenire est apud poëtas præsertim satiricos: interdum etiam apud philosophos & sophistas: vbi magnæ oriuntur aliquando tenebræ ex perturbata ratione personarum: sicut insigni exemplo nuper ad Dionem Chrysostomum docebamus. idem & heic accidit: proximos enim versus in vetustissimis quoque membranis perperam distinctos offendimus. atqui nulla erat difficultas: nam præter hæc pauca, *Quis leget hæc?* & *nemo Hercule.* deinde *Vel duo, vel nemo: durum & miserabile.* item, *Nolo,* omnia sunt Persij ad illa vsque *At pulcrum est digito monstrari.* Non mala autem affertur ratio, cur à scribenda satira deterreri debeat Persius. omnis enim scriptionis finis est lectio: non per se quidem: verum ideo, quia vtilitas quam præcipuè spectamus nulla potest sine lectione percipi. Est autem sapientis, naturam quæ nihil frustra facit, in omni actione suscipienda imitari. sublato igitur scriptionis fine, efficitur scriptionem esse superuacuam: à qua vir sapiens de-

beat abstinere. hæc quidem recte: sed aliò spectat hic monitor, vt statim indicaturus est Persius.

Min' tu istud ais?) dicitur hoc à Persio, ob vocem repentinam attonito eius quem nesciebat adesse, aut non cogitabat, in ea quam diximus meditatione totus.

Nemo, Hercule. nemo?) hæc ita distinguenda vt diximus. priora sunt monitoris, quod dixerat cũ interrogatione, quæ negationi ἰσοδυναμεῖ, differte repetentis & iureiurando confirmantis. postrema vox Persij, εἰρωνευομένου, quasi auditione rei inopinatæ commoueretur.

Vel duo, vel nemo: turpe & miserabile. quare?) Et punctorum ratione & personarum variè accepta hæc verba etiam vetustissimis criticis. In Puteani codice initium versus cum fine præcedẽtis cohæret: Persio enim tribuuntur: quasi ille non concederet amico, satiras suas prorsus à nemine legẽdas: saltem enim vel duos vel tres repertum iri, qui legerent. sed monitor non expectans vt inchoatam sententiam Persius absolueret interpellat & subiicit, *nemo.* non est inepta hæc lectio, & quę seduli monitoris pulcre morem exprimit. In meis membranis totus quidem versus monitori tribuitur, vltima voce excepta: sed prima verba sic σίζητε. *Vel duo, vel. nemo.* initio concedere poëtæ voluit, non plane ei defuturos lectores: verum illos pauciſſimos numero futuros: puta duo aut tres: sed statim, ceu nimium dixisset, quod dederat repetit & præcise negat vel vnum iri repertum. Lectio aliorum

librorum quam probauimus, exprimunt familiaria Græcis dicendi genera, ἢ ὀλίγοι, ἢ οὐδεὶς, & ἤ τις ἢ οὐδεὶς, quoties summam raritatem volunt indicare: quod iam olim Gulielmus Canterus in suis lectionibus erudite obseruauit: multa & nos exempla adnotabamus: Hippocrates De morbo sacro, οὐκ ἔτι ἡ νοῦσος αὕτη ἐπιλαμβάνει ἀλλ' ἢ ὀλίγους ἢ οὐδένα. Ælianus De animalibus lib. VII. cap. VIII. θαυμάζει τὶς ἢ οὐδεὶς: *paucissimi sunt qui admirentur*. idem alibi, ἤ τι ἢ οὐδὲν, Dio libro XLVIII. ἐκείνῳ ἤ τις ἢ οὐδεὶς στέφανος ἐδόθη. idem alibi, numero multitudinis: οἱ δὲ λοιποὶ, ἤ τινας αὐτῶν, ἢ οὐδένας ᾔδεσαν. sic alibi sæpius. libro autem XLI. aliter extulit, ἐννοῶν ὅτι αὐτὸς μὲν ἢ οὐδένα, ἤ τινα αὐτῶν ἠπίστατο.

Turpe & miserabile.) non Persio adscribenda hæc sunt cum vulgo interpretum: sed eius familiari mentem suam plenius explicanti. nam quod iidem interpretes τὸ *quare*, & mox *Nugæ* monitori tribuunt, absurdissimum est. Poterat videri Persij amicus in dando hoc ei consilio, ea ratione moueri, quam supra exposuimus, & probam diximus esse ac validam. nunc verò cum dicit, *turpe & miserabile*, palam illud facit, non quia nemini sit profuturus Persij labor, hoc illi se consilium dare: verùm ideo, quia nullam auctori gratiam aut gloriam sit allaturus. Illud prius sapientem poterat mouere: hoc posterius iure exploditur à Persio.

Quare?) quid est, inquit Persius, cur turpe & miserabile pronunties, si Satiras scribam quas

nemo ſit lecturus? nempe ita iudicas, de exiſtimatione mea actum eſſe & fortunis, ſi peſſimus audiam poëtarum, & libellos meos vel poëmatis Labeonis, quem legit nemo poſtponant Nero & alij proceres. deinde aduerſus hæc diſputans Perſius, *Nugæ*, ait, &c.

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem Prætul.) ingenioſiſſime poëta duos verſus Ιλιαδ. χ. (errant qui alterum horum aliunde petunt.) hoc vnico expreſſit. Γουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: & ſtatim, Αἰδέομαι Τρῶας τὲ Τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. ſic M. Tullius vtrumque Homeri verſum vſurpat epiſtola quinta ad Atticum, libro II. & prima libri VII. *aliter ſenſero?* αἰδέομαι, *non Pompeium modò ſed* Τρῶας, καὶ Τρωάδας. Γουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *quis? tu ipſe ſcilicet, laudator & ſcriptorum & factorum meorum.* vide & epiſtolam XVI. libri VIII. Polydamas & Ciceroni & Perſio eſt alterius Catonis, aut ipſius virtutis nomen. inèptum nimis quod argutatur de ea voce antiquus ſcholiaſtes neſcio qui. is Latina voce exprimit *multinuba*, quia δάμαρ eſt coniux: & multitudinem vxorum putat Neroni exprobrari. quid putidius hoc commento? etſi non defuerunt qui probarent. præterea falſiſsimum eſt Polydamantem deſcribi à poëta garrulum & ineptum. at quot locis eius virtutem prædicat, Homerus? velut Ιλιαδ. μ.

Οἱ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν, καὶ ἀμύμονι Γουλυδάμαντι.

componit eum cum Hectore, & quidem honeſtiſsimo elogio adiecto, cum Hectoris nudum

nomen posuisset: vt quem loco depresserat posterius nominans, virtutis testimonio attolleret. postea vocat ἀμώμητον & consilium illius laudat: Βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμφιμήτιο πίθοντο: alibi πεπνυμένον prudentem. Ιλιαδ. σ. Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἤρχ' ἀγορεύειν.

Et Troiades.) satiricè pro Troiani. Homerus simpliciter, Τρῶες & Τρωάδες, sexus vterque. sed mollitiem Romanorum obiter carpit Persius. Illa ætate qui ab antiquo erant ciues Romani & αὐτόχθονες, Troianam originem affectabant: vt à fæce nouorum ciuium separarentur, qui à temporibus Iulij Cæsaris ciuitatem ac tribum fuerant adepti. Iuuenalis satira prima:

--iubet à præcone vocari
Ipsos Troiugenas: nam vexant limen & ipsi
Nobiscum.

satira octaua,

At vos Troiugenæ vobis ignoscitis: & quæ
Turpia cerdoni, Volsos Brutumque decebunt.

in XI. *Iaram Troiugenis factura & nobile fulcrum.*

Labeonem.) de Attico Labeone & ineptissima Iliadis versione quam ediderat, præter Persij & vetusti interpretis testimonia nihil habemus compertum.

Nugæ: non si quid turbida Roma Eleuet.) Reiicit Persius datum sibi consilium, & caussam subiungit. Erras, inquit, si in æstimatione bonorum aut malorum poëmatum iudicio standum putas magnatum Romanorum: idonei enim talium iudices non sunt: & vt loquitur Aristote-

les οὐκ ἀσφαλὴς ὁ κανών. *Turbida Roma* dicitur, in qua fierent omnia ab occupatis, imo occupantium, vt ille ait: sic enim in vrbe illa aut orbe potius viuebatur, vt qui in turba se mutuo trudunt impellúntque: quod ex Iuuenalis satira tertia, vt alios taceam, notissimum est. Vitruuius in pręfatione libri quinti. *cum animaduertissem distentam ciuitatem publicis & priuatis negotiis paucis iudicaui scribendum.* sic fere apud Sidonium Apollinarem libro VIII. *turbida & præceps festinatio.* vel ab aquis vox est translata: sicut Græcis homo non cōpositæ mētis dicitur θολερὸς, τεταραγμένος, & ταραχώδης.

Eleuet, accedas; examénve improbrum in illa Castiges trutina.) Quod Græci dicunt cum κριτήριον quo aliquis vtitur, damnant, ἡ στάθμη ἀστάθμητος, pluribus verbis expressum à Persio. Sermo autem allegoricus: nam *eleuare*, & *examen castigare in trutina*, ex arte stathmetica sunt petita. neque enim, vt in Ranis Aristophanis, τὰ λάντῳ μουσικὴ σταθμᾶται. In vtraque libra & momentana duarum lancium, & Campana μονοπλάστιγγι examē appellatur ligula (& Græci γλωσσίδα vocāt) erecta super scapo, quē vetus interpres hastam eleganter nominat. Græci ζυγὸν & φάλαγγα. hac nusquam inclinante, & sub ansa latente, æqualitas & ἰσοῤῥοπία rerum appēsarum ostēditur. hoc Persius vocat *examen castigare in trutina.* ita loquitur elegans scriptor Cassianus Collatione XXIII. capite V. *cum è contrario theoricæ bonum inde pensaret; ac velut in vna lāce tantorū laborū profectum, in altera delectationem diuinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo*

castigato, tandem proclamat. quid sit castigare zygostatis, declarat interpres antiquus: *Castigare est digito libram percutere, vt temperetur, & præagitatione post æquum conquiescat.* digna interpretatio nostra animaduersione: nam percutere digito libram, fraudem molienti videatur potius conuenire, quàm verum quærenti: simillime protsus vt in metiẽdo si quis mensuram feriat: quod qui facerent, notati sunt Græcorum voce κροτισμεῖν, quam de minutis furibus vsurpabant. propterea cum pretiosa appendebant, magnam curam adhibebant, quò sibi cauerent ab hominibus libram siue scapum percutere gnaris: adeo vt propter eam caussam modus ipse libram tenendi Imper. Constantini lege extet descriptus in Codice Theodosiano, titulo De Ponderatoribus, & auri inlatione. *Aurum*, inquit, *quod infertur æqua lance & libramentis paribus suscipiatur: scilicet, vt duobus digitis summitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad susceptorem emineant: nec pondera deprimant, nullo examinis libramento seruato, nec æquis ac paribus suspenso statere momentis.* simile fraudis genus admittitur commota lance quod παρασαλεύειν dicitur. B. Chrysostomus in posteriorem ad Timotheum: ὁ ζυγὸς ἐὰν ἔχῃ παρασαλευομένῳ τῷ πλάστιγγα, οὐ κεῖται δικαίως τὰ σταθμητὰ διαφερόμενος. Suspicor igitur scripsisse veterem illum grammaticum, *percurrere*: quod proprie locum habet in statera, quæ scapum habet punctis distinctum. hac cum aliquid appendimus, altera manu æquipondium per scapum ducimus, eúmque tandiu

percurrimus, donec steterit examen ἀκμονίς: quod Latini dicunt *compescere examen certo puncto*. Persius satira v. *Diluis helleborum, certo compescere puncto Nescius examen.* quod nos *libram percurrere* ab hoc grammatico dictum putamus, id Vitruuius sic expressit, *æquilibrium in alteram partem scapi per puncta vagari* libro x. cap. VIII. etiam sequentia verba interpretis mira sunt: *& præ agitatione post æquum conquiescat.* hoc vult: non prius scapum agitari desinere, quàm in suo puncto sacoma fuerit collocatum: ita demũ æquato examine, quiescit libra. *Castigo* primæua notione ἱμαντοῦν loro cædere & cesto. Siculi Dores vnde ad Italos vox venit, κάστος dicebant pro κεστός. quamquam Hesychius κάστον interpretatur non lorum sed fustem, & propriam Athamanum vocem ait: quorum dialecti sæpe meminit. à casto, castigo, vt ab insto instigo, & fustigo posterior ætas à fuste. *cestum* pro vinculo habes apud Varronem in libris de re rustica.

Nec te quæsiueris extra.) iudicia populi Ro. reiicienti Persio, obiici poterat, quis erit igitur cui te placere studeas? respondet his verbis. tu ne, inquit me vis ex aliorum iudiciis pendere? ego vero de me & meis, alios nõ consulo, verum ipsum me: quod & tu si me audias, facies. Proprium est eorum qui gloriam sectantur, facta sua non ad rectæ rationis obrussam exigere: sed ad gustum illorum à quibus laudari cupiunt. ideo Græci philosophi dicũt πὼς δοξοκόποις πρὸς ἕτερον ζῇν: quod quàm miserum sit, pulcherrime exponit Dio

Chrysostomus, prima dissertatione de gloria: vbi etiam ait, qui morbo hoc laborant solere curiose inquirere quid quisque de se sentiat: si in laudatores inciderint, beatos se putare, & prædicare: sin aliter, animo penitus concidere: cum ex alieno iudicio semper ipsi de se statuant. ἕκαστοι, ait, τῶν ὑπὸ ταύτης τῆς νόσου κρατουμένων περιέρχεται πρὸς ἕτερον ζῶν, καὶ τί περὶ αὐτοῦ λέγει τὶς φροντίζων· καὶ μὲν εὐφημήσῃ τὶς, ὡς οἴεται, μακάριος καὶ φαιδρός· εἰ δὲ μὴ, ταπεινός τε καὶ κατηφὴς, καὶ τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι νομίζων ὁποῖον ἂν εἴποι τις. hæc in genere Dio de laudationis auidis: proprie vero de misera eorum conditione, qui eloquentiæ famam apud vulgus cupiunt consequi, Synesius in Dione multa elegantissimè & γαφικώτατα. Sapiens contra vt suis vel laudis vel culpæ notam apponat, ad alium iudicem non adit, quàm ad rectam rationem intra se habitantem. Stoicorum est præceptum illud huic loco conuenientissimum: τῇ δόξῃ τῶν ἐκτὸς μὴ κέχρησο πρὸς τὴν σεαυτοῦ κρίσιν, ἀλλὰ σαυτῷ καὶ τοῖς κρείττοσι, ταυτὸν δὲ εἰπεῖν τῇ ἀληθείᾳ. Ausonius in acroasi Pythagorica, de viro bono:

Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem:
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus.

in carmine aureo Pythagoreorum, πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν: quam gnomen multi scriptores vsurparunt. quod autem de sapiente dicitur, qui tenet artem vitæ, in cuiuscunque artis perfectè perito locum habet: vt ope-

rum suorum sit ipse sibi iudex: & ea bene aut secus habere pronuntiet è præscripto rationis in mente sua sitæ non ex aliorum opinionibus. Ioannes Chrysostomus De sacerdotio: ὁ ἄριστος δημιουργός, αὐτὸς ἔστω καὶ κριτὴς τῆς αὑτοῦ τεχνημάτων· καὶ καλὰ καὶ φαῦλα ταύτῃ τιθέσθω τὰ γινόμενα, ὅταν ὁ τεχνασάμενος αὐτὰ νοῖς ταύτας φέρῃ τὰς ψήφους· τὸν δὲ τῆς ἔξωθεν δόξαν τὸν πεπλανημένον καὶ ἄδοξον, μηδὲ εἰς νοῦν βαλλέσθω ποτέ. Hanc propter causſam Aristides æquales suos sophistas acriter obiurgat, quod dicerent, non ex suo iudicio scribere se, verum vt apud corrupta iudicia frigus euitarent. quam esse stultitiam insignem multis docet initio τῶν κατ' αὐτὸν ἐξορχουμένων: éstque ille locus cum isto Persij conferendus. Non obstat his, quod pars magna hominum φιλωπίᾳ laboramus, & nostra miramur sæpe etiam vitia. nempe hoc male sani homines faciunt, vt satira quarta dicetur: nos autem heic loquebamur de sapiente, vel consummato artifice, qui causſas omnium quæ ad artem pertinent habeat notas: & quod Quintilianus ait, se veretur. Eleganter & vere Boëtius libro Consolationis suæ: *Vide*, ait, *quid æterna lex sanciat: melioribus animum si conformaueris, nihil opus est iudice præmium deferente: tu te ipse excellentioribus addidisti. Si studium ad peiora deflexeris, extra ne quæsieris vltorem: tu te ipse in deteriora detrusisti.*

Nec te quæsieris extra.) hoc illud est quod Stoici dicebant, non debere studiosum virtutis ex-

tra se conuertere, vt aliis placeat: satis enim illi esse, si præstaret, vt esset quod cupiebat, videri autem velle, ei curandum non esse. hoc ita illi: οὐ δεῖ ἔξω γραφῶναι πρὸς τὸ βούλεσθαί τινι. vide Enchiridium Epicteti & alia illorum scripta.

Nam Romæ est quis non? ac si fas dicere; sed fas, T.) Quod verbo ostenderat, cum *turbidam* vocaret Romam, id nunc pluribus exequitur. duo autem simul præstat: nam & caussam promit cur iudicium Romæ non faciat tanti: & incepti sui de satira scribenda rationem affert. cum autem vellet Persius in flagitia & probrosam Neronis ac reliquorum vitam inuehi, indignationem illius æquissimam metus inhibuit: ideo coactus est mutata velificatione, animi sui sensum per figuram exprimere: hoc est, loqui tacendo: nam & ψυχολόγων παῖδες hanc figuram ἀποσιώπησιν ac *reticentiam* siue *obticentiam* nominant: quando amplius aliquid silentio innuitur, quàm oratione potuerit exprimi. nam ex mente & affectu loquentis supplere auditor debet quod deest. vt heic. *Romæ est quis non?* nempe corrupti iudicij, & indignus cuius rationem habeas: quippe delitiis & luxu perditi, omnes virtutis osores, & honestarum omnium artium: de quibus tunc merentur pessime, cum illas suo contactu fœdant: denique si à principe orsus singulos istorum consideres, omnes imperiti, omnes asini: hoc enim vult Persius: quod cum heic non esset ausus dicere, vbi in caluisset, non abstinuit

quia

quin poneret: *Auriculas asini Mida rex habet.* sed mutarunt amici eodem compulsi metu. simile de Roma iudicium facit Plinius Secundus in re grauiore: sic enim ait in epistola ad Caluisium libro II. Ἀμὰ τί διαλείπομαι *in ea ciuitate, in qua iam pridem non minora præmia, immo maiora nequitia & improbitas, quàm pudor & virtus habent?* Mollior erit sententia, si ita capias, *Nam Romæ quis non?* est poëta, videlicet: aut quis tam auersis Musis natus est versificator insulsus, qui magni poëtæ nomen facile non consequatur, si praui iudicij hominibus placere studuerit? paullo post -- *non heic est Ilias Atti Ebria veratro?* vbi hanc sententiam pluribus persequitur.

Ac si fas dicere:) quam ægre se contineret hæc indicio sunt. alij libri, *ah si fas dicere:* quæ interiectio πάθος valde auget, ac summum desiderium libertatis arguit, ad declamandum contra vitia: quare addit,

Sed fas.) significans in proposito perseuerare se scribendi satiras.

Tunc cum ad canitiem & nostrum istud viuere triste Aspexi.) Quicquid isti iudicaturi sint, inquit, ego tamen scribendas mihi satiras iudico, quoties ob oculos mihi pono quibus in studiis isti se occupent, iam inde ab eo tempore cum excesserunt ex ephebis ad vltimam vsque senectutem: cum tamen graues & seueri velint videri. Græcum est, *nostrum istud viuere*, τὸ ζῆν ἡμῶν· vita hæc quam Romæ viuimus plerique omnes. Cicero, *beate viuere vestrum.* primam personam vsurpat

obiurgationi molliendæ: more omnium qui inuehuntur in vitia & vitiosos. *viuere triste*, ὁ σκυθρωπὸς βίος, qualis est eorum maxime, *Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt*: qui in literis sacris dicuntur ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. apud Hippocratem in Coacis & alibi ἡ σκυθρωπότης opponitur δυσχρόϊα: quia tristitia vultus accedit ad pallorem. quare non vno loco in Euangeliis vocem σκυθρωπὸς Syrus interpres vertit במיר vt si atratum dicas, vel μελανειμονα. sed Syrus non ad vestis colorem retulit, vt in כמרים sacerdotum appellatione: verum ad pallorem vultus. in Threnorum Thargum verbo נכמר est expressum, quod apud LXX. verbo πελιοῦσθαι. Differunt aliquid *tetricitas* & *tristitia vultus*: quæ posterior vox sæpius in deteriorem partem accipitur, velut ab affectatione aut morositate orta. Lucanus ad Pisonem:

Talis ineſt habitus, qualem nec dicere mœſtum,
Nec fluidum eſt: læta ſed tetricitate decorum.

Et nucibus facimus quæcunque relictis.) Non contentus poëta simpliciter dicere, vitam male ab istis collocari: amplius addit, totam, à carceribus ad metam. quod ipse designat extrema illius ponens adolescentiam & senectutẽ. canities quam priore loco nominauit ὕστερον πρότερον Ομηρικῶς, extremã ætatis tegulam heic denotat: etsi nõ raro accidit, vt iuuenes, interdum etiam vt adolescenteis fiant cani. vidimus nos & viuere scimus, qui in priore adolescentia canuerint. virilia studia & transitum à puerilibus nugis ad virorum curas, hac periphrasi expressit, *& nucibus facimus*

quæcunque relictis. Inter puerorum oblectamenta sunt nuces. in cõmentariis Rabbinorum legere memini, patrisfamilias officium esse, die festo, hilaritatis instrumenta domesticis suis præbere, pro cuiusque persona: pueris vero iubentur dari קליות ומגדנות ואגוזים *amydalæ, poma, nuces*. prima dictio multa significat: sed quoties cum אגוזים iunguntur קליות amygdalæ intelliguntur, aut alius fructus duri corticis. ludebant pueri nucibus variis modis, quorum nonnulli hodieq. pueris in vsu: vt cum in pyramidẽ quatuor nuces extruuntur: quam lusionem describit Philo in Κοσμοποιΐᾳ: in carmine veteri de nuce & hanc habes & alios multos modos. Apud Lucianum in Cronosolonibus, καρύοις & πεσσοῖς ludunt viri: quod de vna specie lusionis accipiendum esse, non de duabus, sequentia suadent, πεττεύειν ἐπὶ καρύων. calculis igitur ludebant: sed nuces erant præmium vincentis. ipse Augustus cum pueris minutis nucibus ac talis ludebat, referente Suetonio: quod magis miror quàm quod lego apud Nicetam Choniatem Alexium imperatorem καρυατίζοντα: nam & pœne puer iste erat & præterea Græculus. at puerorum lusionem fuisse non virorum, & Seneca docet De tranquillitate vitæ libro II. cap. XII. & Persius clarè: qui *nuces relinquere* dixit pro vir fieri, & virilia negotia capessere; Ptolomæus in IIII. Tetrabibli vocat μετάβασιν ἀπὸ τῶν παιγνιωδῶν καὶ ἀκαταστάτων, καὶ πλαστῶν (malim ἁπλάστων) ἁμαρτημάτων ἐπὶ τὸ προσεκτικὸν, καὶ αἰδῆμον, καὶ φιλότιμον. Translatum à pueris ca-

tamitis. Seruius. *meritorij pueri, quibus licenter vtebantur antiqui recedentes à turpi seruitio nuces spargebant.* Catullus:

Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus.

non dissimile illud Augustini primo Confessionum: *à nucibus & pilulis, & passeribus ad præfectos & reges transire.*

Cum sapimus patruos.) viri seueri existimari volumus. *patruus* & *tutor* sæpe idem sonant ac grauis censor, & obiurgator. Horatius: *ne sis patruus mihi.* Persius in III. *ne sic mihi tutor.* nota locutio ex Cicerone, Suetonio, aliis. Manilius libro v. in supercilioforum pædagogorum genitura:

veterúmque exempla reuoluent
Semper, & antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutorísve supercilium, patruique rigorem.

ideo Græci patruum dixerunt πάτερ: etsi aliter paullo Plutarchus sub finem libri περὶ φιλαδελφίας, & Simplicius in Epictetum.

Tunc, tunc.) tunc fas esse iudico vrbem Romam satirico sale defricare. orationem abrumpit, quasi præstomacho plura non posset:

Ignoscite. Nolo.) concludens satiram omnino se scripturum, veniam facti petit, quod alter verbo negat.

Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.) audiés Persius præcidi sibi omnem veniæ spem, familiari sibi ironia simulat in dubio sibi esse

animum,& qui paullo momento huc illuc possit impelli. Sed non diu in illo fluctuat salo: statim enim decernit & ad priorem mentem redit. expressit autem illud Horatij sui:

Naturam expellas furca:tamen vsque recurret.

sic enim ait:factum se à natura cachinnonem & σωπτικόν: itaque velit nolit oblata re ridicula risum sibi necessariò oboriri. *petulans splen*, qui iusto maius spatium petat & occupet:quoniam,vt docent medici & Plinius ex illis, *intemperantiàm risus constare lienis magnitudine quidam putant.* Serenus Samonicus: *Splen tumidus nocet, & risum tamen addit ineptum.* Ne pueri quidem nesciunt posuisse veteres lætitiæ affectum in splene, iracundiæ in felle,pauoris in corde,amoris in iecore, pudoris in fronte. etiam in commentariis Rabbinorum טיחול vel טיחל hoc est, splen, sedes risus esse dicitur. Sententia Persij est: cum adeò flagitiosè viuatur Romæ: mirari neminem debere, bonorum liberam indignationem. simillime Iuuenalis in prima

Difficile est satiram non scribere:nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se?

Sic & poëta epigrammatum quidam Græcus, cum dixisset,sæpius se cum animo suo constituisse,epigramma nullum facere: vt stultorum odia vitaret, quæ sibi versibus suis excitauerat: quoties tamen inquit,in oculos meos incurrit Pantagathus Paphlago,στέξαι τὴν νόσον οὐ δύναμαι.

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber.) Sequitur pars satiræ huius secunda:cuius summam

& nexum cum præcedente perstrinximus. cum deterretur poëta à satira, neque ille eo consilio vellet vti, redit ad filum orationis inchoatæ illo versu:

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!

sed quod in genere ibi propositum fuerat, in specie heic consideratur. Ex omnibus autem hominum generibus, eos primo loco aggreditur, qui Musarum sacris erant operati: primum, quia hi Persio notissimi, & vt sic dicam magis obuij: vt aliunde curationem incipere non debuerit: deinde quia horum vitia eò ferebat impatientiùs, quod videbatur infamiæ pars in ipsum redundare, vt consecraneum illorum, & studia eadem colentem, etsi non eodem modo. Quemadmodum autem satiram vniuersam in sua membra, perspicuitatis gratia distrinximus: ita etiam heic particulas singulas separatim enarrabimus: in quo auctorem ipsum, & ductum orationis eius sequemur: neque exemplo quorundam aut negligemus τάξιν admirabilem poëtæ philosophi: aut inani περιεργίᾳ τὸν λόγον τεμαχίζοντες, vt ait Plato, nodum in sirpo quæremus. Sunt igitur periochæ istius particulæ duodecim συμφυεῖς illæ quidem, atque ex se inuicem aptæ: distinctæ tamen satis ἐπισήμως, si attendimus. Porrò istas omnes tot numero particulas, ad tria capita commodè referas: nam aut narrat Persius vitia quæ ipsius ætate vigebant: aut ea castigat, ipsis præditos ad veram virtutem hortans, & solidam gloriam, spreta eiusdem falsa imagine: aut

denique eadem illa vitia defenduntur excusantúrve sub persona aliena.

Scribimus inclusi.) Hoc & sequenti versu particula prima continetur: proponit dicturum se de poëtis & oratoribus: ac simul notat hoc illorum primum vitium, quod cum grandia & sublimia scribere affectarent, tumida inflatáque oratione veram eloquentiam corrumperent. Ait *inclusi*, quia secreto & libero ab arbitris loco scribentib. est opus. propterea quæ bonarum matrum familias laus est, τὸ οἰκουρικὸν καὶ οὐ φιλέξοδον, eadem & eruditi hominis: domi inquam se continere inclusum: Philo Iudæus in lib. de Abrahamo. συγκλεισάμενος, inquit, ὁ σοφὸς οἴκοι τὰ πολλὰ καταμένει, μόλις τὰς κλισιάδας ὑπερβαίνων, ἢ διὰ τοὺς ἐπιφοιτήσαντας συνεχέστερον, ἔξω πόλεως προελθὼν, ἐν μοναγρίῳ ποιεῖται τὰς διατριβάς. secedebant igitur ad stilum Romani vt ait Quintilianus: & scripturi intra cubicula sua in lectis se continebant, sicut ad Suetonium docebamus: vel penulis se inuoluebant, bis inclusi: nam ita loquitur idem Quintilianus alibi. Fortasse etiam ad illa respiciebat Persius, quæ apud eundem auctorem in libro De oratoribus Aper poëtis obiicit: *quod relinquenda ipsis esset conuersatio amicorum, & deserenda cætera officia, studio opinionis & famæ, cui soli seruiebant.*

numeros ille, hic pede liber.) Oratores ac poëtas promiscue exagitat Persius hac satira. etsi autem propriæ sunt quædam poëtarum, aliæ oratorum reprehensiones, vt postea videbimus:

in commune tamen πάντες οἱ ἀμφὶ τὰς λόγους sic reprehenduntur, vt quæ de alteris dicuntur, etiã ad alteros, qui similia peccarent, pertinere sit existimandum. habet enim omnis eloquentia aliquid commune, vt recte Quintilianus ait libro x. cap. de imitatione. *pede liber* est orator & quicunque prosa oratione vtitur. mirum extitisse, qui de dramaticis poëtis acciperent: quod non magis cum apertissima Persij mẽte pugnat, quàm ab eo seculo est alienum quo ista scribebantur.

Grande aliquid.) Sublime dicendi genus etiam grande dicitur. heic vero vt etiam in quinta atque alibi, in vitio ponitur hæc vox, & orationis ideam non vere grandem denotat, sed vægrandem, id est tumidam, & falsa specie sublimitatis blandientem. quia enim apex facultatis dicendi, seu versu seu prosa, est magniloquentia, atque vt Longinus ait ἀκρότης καὶ ἐξοχή τις λόγων δεῖ τὰ ὕψη; ideo multi ætate Persij, non quod magnarum virium sibi essent conscij, sed auiditate gloriæ eum characterem affectabant. infra, *Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ.* & Petronius quoque Arbiter in studiosis eloquentiæ reprehendit, *rerum tumores, & sententiarum vanissimum strepitum.* recte autem Quintilianus iudicat, cum pronuntiat quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conari: vt statura breues in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. *Nam tumidos*, inquit, *& corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborantes: vt*

corpora non robore, sed valetudine inflantur. Quare cum multa sint orationis vitia, nullum tamen est hoc familiarius illis, qui à sana & secundum naturam enuntiata semel discesserunt. multa de hoc Quintilianus diuersis locis: sed longe plura Longinus in aureolo nec satis vnquam lecto libello περὶ ὕψους.

Quod pulmo animæ prælargus anhelet.) orationem grandia professam sed turgentem describit his verbis, plane satiricè: nam vera magnitudo aliis longe rationibus paratur, quàm dictionum aut periodorum longitudine, quam solam heic istis tribuit. conferunt sane aliquid ad sublimitatem ampli soni verba, ac grandia & periodi longiores. verùm ita demum, si illa prius adsint in quibus vera magniloquentia est posita: materia grandis, verba cum iudicio & electa & collocata: figuræ cum verborum tum sententiarum non temere vsurpatæ, sed ex arte. his si oratio careat, & sesquipedalibus tantum verbis turgeat, aut longis periodis incedat: τὸ ὀγκῶδες & στόμφον καὶ παρὰ μέλος οἰδαῖνον habebit: à vera magnitudine quam alienissima erit. *animam* pro spiritu posuit, quod Hebræis familiarissimum. pulmo est ταμεῖον πνεύματος: spirationis & respirationis instrumẽtum: quod cum difficulter facimus, anhelare dicimur. id autem accidit vel propter defatigationem ex laboris nimietate: vel propter pulmonis paruitatem. orationem longis periodis contextam ita exprimit, quæ recitari non possit absque vexatione pulmonis, & anhelitu.

ſic comicus in Ranis dixit Æſchylum καταλεπτολογεῖν πλευμόνων πολὺν πόνον: irridens, non vocis nimiam contentionem, vt quidam putant, ſed ampullatam eius orationem & dithyrambica verba, quæ vocat ipſe illo loco ῥήματα ἱπποβάμονα καὶ γομφοπαφῆ πινακηδὸν ἀποσπώμενα γηγενεῖ φυσήματι. ſcholiaſtes rectę ibi notat: τὰ τοιαῦτα ῥήματα μετὰ πολλοῦ ἐξέρχονται πόνου. vere enim laborat pulmo cum pronuntiatur ex huiuſmodi verbis contexta oratio. ſed valde rem exaggerat Perſius, cum addit, *animæ prælargus*: vitioſiſſimam enim oportet eſſe illam orationem, quam ſine anhelitu pronuntiare ne illi quidem poſſint, qui optimo ſint pulmone. eſt autem laus præcipua pulmonis, vt ſit magnus: deinde vt mollis & validus, qui multum ſpiritum poſſit admittere & emittere, ταμιευόμενος ὡς ἂν βούληται, inquit philoſophus in libro Περὶ ἀκουστῶν. Proprie vitium eſt non orationis ſed pronuntiationis anhelatio: de quo vitio M. Tullius III. De orat. *Nolo verba exiliter exanimata exire: nolo inflata & quaſi anhelata grauius.* Prorſus aliò ſpectat Perſij hic cachinnus: quod attendenti non eſt obſcurum.

Scilicet hæc populo pexuſque togaque rec.) Hic incipit altera particula verſuum quatuor: quibus exponit Perſius finem cuius gratia plerique tum Romæ ſcribebant: ſimul mollitiem eorum commemorat. finem docet fuiſſe non vt cuiquam prodeſſent: ſed vt recitatione ſuorum ſcriptorum ingenij famam conſequerentur. ita malo fine rem per ſe laudabilem corrumpebant:

qua de re plura Persius postea. mollitiei duo argumenta profert, cultum nimium atque indecorum quoties ad recitandum prodibant: & in ipsa recitatione vocem fractam atque effeminatam, & aspectum arte deprauatum ad blanditiem. Scitum autem illud Fabij, *ex voce atque actione pellucere mores.* duo igitur reprehendit in suorum hominum recitationibus: rem ipsam primò, deinde rei modum.

Populo) duplex fuit recitatio, domi amicis conuocatis ad emendationem: publicè in auditorio vel alibi, in quanta maxima fieri poterat corona, ad ostentationem. *populus* & δῆμος de numerosiore cœtu dicuntur: sed Persius qui hæc carpendi studio dicit, ambitionem recitantium hoc verbo perstringit: multum enim laborabant recitaturi, vt esset auditorum concursus maximus. amicos igitur & notos sibi omnes aduocabant, & variis modis inuitabant. Quintilianus De caussis corruptæ eloquentiæ: *Bassus*, is erat poëta, *cum toto anno vnum librum excudit & elucubrauit, rogare vltro & ambire cogitur, vt sint qui dignentur audire: & nec id quidem gratis: nam & domum mutuatur, & subsellia conducit, & libellos spargit.* Synesius hoc vocat παραγγέλλειν ἀκρόαμα ἐπιδέξιον. vocat & θυροκοπεῖν, quasi ostiatim auditores essent conquirendi.

Pexusque togaque recenti.) Recitaturi elegantiæ studebant. Moris itaque fuit, vt loti prodirent, pexa coma, atque barba, & candidati: nihil denique omitterent quod aliquam ipsis gratiam &

commendationem posset conciliare. Synesius in Dione in luculenta descriptione ærumnarum quas miseri recitatores exantlabant: καὶ ἥκει φέρων ἄκουσμα χάριεντα καὶ ἡδὺ τοῖς ἀγερώχοις αὐτοῦ παιδικοῖς, δι' οἷς ἔχει μὲν πονήρως, σκήπτεται δὲ ὑγιαίνειν· ὁ δὲ καὶ ἐλούσατο πρὸ τῆς κυρίας, καὶ εἰς αὐτὴν ἀπήντησεν, ἐσθῆτι καὶ σχήματι σοβαροῖς, ἵνα καὶ θέαμα καλὸν ᾖ. Togam recentem & à fullone candentem Romani assumebant die quouis festo siue publica siue priuata solennitate vt hic: Græci pallium recens. vtriusque vestis & moris huius meminit Arrianus in dissertatione XXII. libri tertij: καὶ δεῖ σε ἐν κομψῷ στολίῳ ἢ τριβωνίῳ ἐναβαίνα ἐπὶ πούλβινον διαγράφειν πῶς Ἀχιλλεὺς ἀπέθανε. non sunt audiendi: qui vtramque hanc vestem ad Romanos referunt: nec cogitant de Græcis suis non minus quam de Romanis loqui Arrianum siue Epictetum.

Pexus.) proprie ὁ κτενισθεὶς, vt in Gloss. heic ὁ τρυφερὸς delicatus. sic apud Quintilianum lib. pr. *pexus pinguísque doctor.* & alibi idem, *nec perfert in iudiciis tristem & impexam antiquitatem.*

Et natalitia tandem cum sardonyche albus.) Mos eius ætatis hominum, vt anulis manus ornarent, aliquando etiam onerarent, in quibus preciosissimæ gemmæ inclusæ: præcipuæ autem sardonyches. Martialis,

Cuius & hinc lucet sardonychata manus.

& sæpius Iuuenalis, atque alij. *natalitia sardonyx*, vel quæ die natali, cum munera missitabant amici & clientes, esset accepta: Plautus Curculione:

Hic est anulus quem ego tibi misi natali die.

vel, quæ solis diebus natalibus assumi solita, vtro modo accipias pili non interest vnius. ratione caret quod quidam adnotant, gestatam gemmam die natali datam ad numerosæ clientelæ iactationem. oro te, qui anulum videbant, vnde potuerunt diuinare clientis eum esse munus? *tandem*, eo refer, quod qui ornantur postremo loco annulos assumunt post alia ornamenta omnia. vel refer ad longam expectationem recitationis: multo enim ante diem edicebant, cum populum inuitabant. Iuuenalis - *Iætam fecit tum Statius vrbem, Promisitq; diem.* hæc est quam modo Synesius vocabat τὴν κωλύμην: vocat & προθεσμίαν ibidem.

Albus.) vel albatus: ita erit dictum *toga recenti albus*, pro eo quod vulgò solet vno verbo candidatus. Ouidius de die natali,

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem:
Pendeat ex humeris vestris vt alba meis.

idem alibi

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno
Sumatur fatis discolor alba meis.

Vel potius, pallidus, & de euentu recitationis anxius. ita dicebat Synesius paullo antè recitaturos metu & reuerentia auditorum ἔχει πειρῶσι, non valere, etsi bonam simularent valetudinem. adde quod studium & ingens cura qua parabant se ad recitationem pallidos efficiebat. Synesius ibidem: καί τοι γε οὐκ ἐν δίκῃ πικρῶν πυγχάνει διατριβῶν, ὅς τις πολλὰς μὲν νύκτας ἀύπνους ἀνέτλη· πολλὰς δὲ ἡμέρας παρεπάθη, καὶ μικροῦ δεῖν ἀπεσάλαξε τὴν ψυχὴν ὑπὸ

τε λιμοῦ τε φροντίδων, ἵν' ἀγαθόν τι συλλέξηται.

Sede legens celsa.) Scribendum *leges*: etsi aliter antiquæ membranæ, in quibus est *legens*. simili errore vt cum *quotiens*, *totiens* & alia scripserunt pro quoties, toties. *Scilicet sede leges celsa*, id est, nimirum hic tuorum studiorum & scriptorum est finis, vt recites, & ex recitatione gloriam reportes inanem. Veteres dicebant stantes, recitabant sedentes. Plinius epistola sexta libr. VI. *dicenti mihi solicitè assistit, assidet recitanti.* & libro II. in epistola ad Cerealem recitantes ait sedentes agere, non vt oratores cum gestu, incessu, discursu etiam. in Protagora Platonis veterum magistrorum consuetudo notatur, qui discipulos iubebant ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγινώσκειν præstantium poëtarum poëmata. Sedebant autem qui recitabant *sede celsa*, Arrianus paullo ante, ἀναβάντα ἐπὶ πούλβινον. puluinum appellat, cathedram cui impositum puluinum. apud Senecam Consolatione ad Marciam, *ascendere puluinum*, de eo dicitur qui sella vehitur aut lectica. sed πούλβινον apud Græcos alibi non memini legere: legi πούλπιτον: quam vocem Arriano suspicabar restituendam: nec male conueniat indignanti ex histrionica arte translata dictio. eius enim est propria. Glossarium: *Pulpitum* θυμέλη, σανίδωμα, ἐπίπεδον. Iuuenalis

Haud tamen inuideas vati quem pulpita pascunt.

sed nihil affirmamus. *Celsa sedes* idem ac cathedra sublimior. Sulpitius Seuerus libro II. de B. Martino obseruat, illum in secretario nunquam fedisse in cathedra: sed in tripitiis, siue sellula ru-

sticana tripede: ibidémque pro magno flagitio refert visum à se quendam, *sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede sedentem.*

liquido cum plasmate guttur Mobile collueris.) Etiam Synesius nos docet, quantam curam adhiberent recitatores, vt sua vox auditoribus placeret. quosdam refert solitos tragacantham edere: quam herbam scribit Dioscorides libro III. arteriæ asperitates tollere, quæ vocem minutatim concidunt, cum melle delincta. alios commemorat Synesius, quibus recitantibus pone astabat seruus à pedibus, ampullam aut guttulum tenens: ad istum se conuertebant inter recitandum, & raucessere incipientem voculam sorbitiuncula reficiebant. Erant & alia medicamina ad fingendam vocem, imo ad corrumpendam teste Fabio: qui libro primo auctor est, à plerisque suæ ætatis vocem fuisse in canticum dissolutam, & effœminatam. πλάττειν φωνὴν dicitur phonascus, qui arte vocē corrigit, & format in melius. inde πλάσματα, remedia in eam rem. & πλάσις φωνῆς ac voces πεπλασμέναι, modo in bonam, modo in malam partem. Plutarchus in Cicerone, ἡ φωνὴ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ σκληρὰ, δὲ καὶ ἄπλαστος. deinde, ἥ τε φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν. *liquidum plasma*, ὑγρὸν & ὑγραῖνον: vel potius λειαῖνον: est enim de genere eorum medicamentorum quæ λεαντικὰ vocant Græci medici.

guttur Mobile collueris.) ita meliores membr. non *colluerit*, quod in aliis libris legitur. ineptè, nisi scribas *Sede leges celsa.* signata vox *colluere*,

de liquido plasmate. est enim ταργαρίζειν, & ἀνα-ταργαρίζειν Græcorum sæpe apud Plinium. dicitur & de amphoris ac similibus vasis quæ infusa aqua & intus agitata purgantur. *mobile guttur* vel propter agitationem necessariam in gargarismis: vel pro λεῖον, per quod vox facile transmittitur, omni asperitate sanata.

patranti fractus ocello.) oculis in lasciuiam resolutis: quales sunt qui κεκλασμένοι, & κλαδαροὶ, & ὑγροὶ ὀφθαλμοὶ Græcis, *putres* Horatio. apud Polemonem ὑγρὸν βλέπειν est signum φιλομαθείας. Synesius idem notauit in suis recitatoribus, sed mollioribus verbis expressit. προσγελᾷ, inquit, τῷ θεάτρῳ. nam ille vultus renidentis heic intelligitur à Persio: nisi quod ipsius ætate & vox & oculi & totus vultus vt cum effeminata oratione congruerent, studio ad mollitiem & lasciuiam componebātur: quod sæpe Quintilianus quoque reprehendit. *frangere* Latinis est idem ac effeminare, robur virile in muliebrem mollitiem corrumpere. Quintilianus: *Non enim puerum fœminea vocis exilitate frangi volo.* sic Græci θρύψιν dicunt: nam θρύπτειν est frangere. vocant & κεκλασμένους fractos delitiis. Obseruabis in eruditissimo poëta nullum verbum temere positum, & quod suo pondere careat: vt hic, *fractus* & *ocello*, & *patranti*, quæ vox est satiricæ licentiæ: notum enim quid sit patrare. Hieronymo Quæstionibus in Gen. *patrans voluptas* pro συνουσιασμός. inde *oculi patrantes.* vetus poëta ἀνώνυμος.

Cor non laudo hominis: nam perfidum & exitiale:

Non

Non laudo os: namque est vaniloquum & fatuum.
Non oculos: etenim sunt lusci oculi atque patrantes.
hoc autem vnico exemplo omnia damnantur quæ appellat Plutarchus recitantium χαμαὶ φορήματα.

Heic neque more probo videas, neque voce serena:) Hæc tertia pars est: qua narrat Persius, sed satirico more, corruptelam auditorum, qui poëtas recitantes non minus turpiter audiebant, quàm ipsi fœdè ac molliter & scribebant & pronunciabant. itaque similes habebant labra lactucas, erátque operculum patella dignissimum. Recitationum prima institutio pulcherrima fuit & formandis ingeniis vtilissima: amicos enim decumati iudicij paucos eligebant, quibus scripta sua communicarent, vt ex illorum censura ea emendarent. sed mox præclarum institutum in vanissimam ostentationem vertit: neque enim sua corrigere sed laudari postulabant recitatores, & grande sophos tollere. itaque Persij ætate eo ventum erat, vt sine iudicio vllo, sine modestia, inuerecundè prorsus atque impudenter qui recitationi intererant, confusam vocem attollerent, & omnia laudarent: sed illa potissimum quæ pastoritia fistula & sibilis erant dignissima: tum enim maximi clamores & plausus excitabantur, cùm tenerum aliquid ac molle ad aures acciderat. hinc illæ putidæ acclamationes σοφῶς, θείως, *Bene, Recte, Decenter*, & similes de quibus alibi dicebamus. Iure igitur Persius morem hunc damnat, & improbum vocat. non

prætermissa hæc pars à grauissimo scriptore Plutarcho in libro De officio audiendi, vbi multa peccata commemorantur illis familiaria, qui ad audiendum conuenerant. ibi etiam ait illos ἀσχημονεῖν & ὑπερασχημονεῖν καὶ πολλὰ βοιοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν. *heic*, id est, in recitationibus quarum præcedit mentio. ita veteres, non *tunc*.

neque voce serena Ingentes trepidare Titos.) videas, inquit, Romanos proceres incondita voce acclamare, vt homines leuissimos. *Titi* sunt Romani, qui prænomine hoc denotantur: quia

-- *gaudebant prænomine molles Auriculæ.* --

sic in quinta, *Marcus* pro ciuis Romanus. *Marcus dixit: ita est: adsigna Maree tabellas.* inter prænomina honestissima erant Marcus & Titus. nam quod in antiquorum scholiorum farragine legitur ab obscœna vocis *titus* notione, (vnde titulus verbum κακεμφατον apud nequitiarum scriptores,) Titos heic appellari Romanos: etsi probari scimus viris eruditissimis, esse tamen ab hoc loco alienum putamus. at *ingentes Titi* dixit quia proceres præsertim leuitatis accusat: etsi omnes Romani ciues Troiugenæ atque ingentes Titi haberi volebant. τὸ *trepidare* caue referas ad libidinem. sed est illi simile satiræ sequentis *lætari prætrepidum cor.* quibus in locis, & similibus, trepidatio est πτόησις μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἔπαινον. exilitio cum gestiente & indecora lætitia ad laudandum. tot verbis expressum à Plutarcho obseruabamus quod ingeniosissimus poëta voce vnica, nescio an apertius, certe ἐμφατικώτερον

dixit. sed loquitur Plutarchus de laudato non de laudante vt Persius. sic ille περὶ τοῦ ἀκούειν quo loco monet in recitationibus multum profici posse etiam ex vitiis recitantis: ἢ γὰρ, inquit, ὄγκου ὀνόματος δύσκλεια, ἢ ῥήματος κενότης, ἢ χρῶμα φορτικὸν, ἢ πόσις μὴ χρηστὴ ἀπειροκάλου τοῦς ἐπαίνου, ἢ ὅσα τοιαῦτα, μᾶλλον ἀκροωμένοις ἐφ' ἑτέρων, ἢ λέγουσιν ἐφ' ἑαυτοῦ καταφαίνεται. Græci πόσιν vel πόσιν recto iudicio opponũt. vt in Præceptis politicis eiusdem scriptoris, τοῦ αἱρεσις ἀρχὴν ἔχουσα κεῖσιν ἢ λόγον, ἀλλὰ μὴ πόσιν ἐπὶ δόξης κενῆς ἢ φιλονεικίας τινὸς, ἢ τοῦ ξέων ἑτέρων ἐπιθυμίας. *vox non serena*, est κροτοθόρυβος, confusa acclamantium simul & plaudentium vox atque plausus. Epicurus in epistola ad Leonteum Lampsacenum: Παμμακάριε, φίλον Λεοντέων! οἷον κροτοθορύβου ἀνέπλησας ἀκροατὰς ἐμοῦ τὸ ὄπιστόλιον. *serenitas* Latinis dicitur vacuitas passionum, ἀπάθεια, γαλήνωσις, vt mox dicemus. Ausonius de patre suo: *Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus.* at de iracundo magistro idem: *tristis senio, nec voce serenus.* sed melius expriment quid sit *vox non serena*, Plutarchi verba libro aduersus Colotam Epicureum: ἵνα τοῦ πίνοντος ἀξίως ὑμνῳδὰ τις ὑμετέρους βρόμους, ἢ ὀλολυγμοὺς, ἢ κροτοθορύβους, ἢ σεσάσης ἢ ὀπιθάσης αἷς τοῦτ' ἐπαθε & κατεμάνητε τὸν ὄπιν ἡδονὰς τοῦ καλοῦντα; Romæ verò temporibus Persij ingens amor erat teneræ atque effœminatæ vocis. Seneca pater Controuersiar. libro primo: *Cantandi saltandique nunc obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare*

cum fœminis, & immundißimis se excolere mundi-tiis nostrorum adolescentium specimen est. Igitur, & qui recitabant aut declamabant, vel etiam causas dicebant, cantabant, vt sæpe queritur Quintilianus: & qui acclamabant inflexu modulationis turpissimæ vocem torquebant: ipsæque acclamationes instar mollissimorum canticorum erant conceptæ. qua de re multa alibi dicebamus. extat Dionis Chrysostomi oratio, qua populum Alexandrinum grauissime obiurgat, propter similes acclamationes, quibus resonabant eorum theatra omnis obscenitatis plenissima.

cum carmina lumbos Intrant.) cum obscœnus recitator in animis audientium pruritus obscœnos excitauit. hæc enim vis est carminis: quare etiam medici, in his Paulus Ægineta disertis verbis, ad excitandam languentem Venerem vel præcipuum remedium præscribũt Priapeorum, & similis poëseos infamis assiduam lectionem. Lumbi nomen dupliciter à Latinis accipitur: angustius pro ea parte corporis quæ spinæ inferiores quinque vertebras complectitur. hanc veteres libidinis sedem agnouerunt: ipsósque adeo lumbos à libidine esse denominatos, non est vana hariolatio. nam & Græci eam partem (ψόαν nominant) ita describunt, ψόαι δ' ὧν αἱ ὀρέξεις κινοῦσι πφύκασιν. ex eo lumbi apud scriptores, Veneris sedes. Iuuenalis, -- *cum tibia lumbos Excitat.* —— aliquando lumborum appellatione dorsum intelligitur: quæ pars in ferendis oneribus plurimum laborat. ita apud Hora-

tium, *dolare lumbos fuste.* ideo roboris sedes in lumbis, vel ab hac notione, vel ab illa priore: quia virium argumentum est facultas generandi: eunuchi verò infirmi sunt, nec robore valent. hinc igitur *elumbis*, de parum virili, atque eneruato, aut eo qui laboret lumbagine.

& tremulo scalpuntur vbi intima versu.) *scalpere*, obscœna notione, vt apud Græcos ξύειν & κνήθειν. *tremulus versus* pro lasciuo, vel compositione & sensu, vel pronuntiatione & gestu. nam dixit, *patranti fractus ocello.* contrarium est vocis serenæ: sic apud Galenum in libro De curatione affectuum animi, γαλήνωσις (quæ dicebatur Stoicis τὸ εὐσταθημα, & κατασημαντικὴ καὶ ἵλεως τῆς ψυχῆς διάθεσις, Senecæ, *composita mentis habitus*:) opponitur τῇ τεθορυβημένῃ. & recte *tremulum* dicitur ex quo nascitur in audientium animis voluptas quædam titillans, contraria grauitati & constantiæ, vt ait Cicero. *intima* sunt αἱ ὀρέξεις, & pars animi qua concupiscimus, & quæ, vt loquitur M. Tullius, voluptate alitur: vel corporis partes quæ cõcupiscentiæ illi seruiunt. Quomodo autem vim suam exerant in corpora auditorum tremuli versus & lasciua cantica, ex iis clarum quæ de rerum sympathiis docent philosophi. de quo Aristoteles in septima Problematum parte multa, & quod huc maxime facit Virbius Stagirita Iulius Cæsar Scaliger exercitatione in Cardanum CCCII.

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?) Expositis vitiis eorum qui literas Romæ tractabant,

nunc aggreditur poëta eorundem castigationem. Ante omnia dictum est, qui scriberent, non alia fine scripsisse, quàm vt laudarentur. hoc studium vanum esse ostendit Persius: cùm præsertim illi quibus placere cupias, indigni sint, quorum iudicia facias tanti: vt plane contrarium sit eius quod dicebat Ennius: *Laudari à laudato viro pulchrum.* quarta hæc particula est, versuum duorum,

Tun' vetule aur.) non pertinet *vetuli* appellatio ad monitorem illum qui supra Persium compellauit: sed notantur ea voce, nisi fallor, quidam Romani, quos in senectute nugari non pudebat: ideo dicebat superius:

Tunc cùm ad canitiem & nostrum istud viuere triste
Aspexi. —— túne, inquit, ô stulte, & eo quidem stultior, quod in stultitia consenuisti, adeo amens es, vt versus faciendi laborem sustineas, non propter amorem literarum, aut vllam adeo voluptatem, quam ex studiis capias: sed vt tuorum scriptorum recitatione aliis voluptatem, tibi gloriolam parias? *auricularum escæ* sunt οἱ λόγοι, poëmata vel orationes. tritissimum est apud Græcos εὐωχεῖσθαι λόγοις, & εὐωχίαι & ἑστιάσεις ἀκοῶν, & similia multa. *colligere escas auribus*, vt in Pœnulo Plautina, *oculis epulas dare.* Ioannes Chrysostomus: ἔφη ὀφθαλμῶν θεωρία. at animi pabulum, literæ & eruditio. ideo etiam κοιλίας appellatione animus interdum denotatur. Gregorius Nazianzenus initio cuiusdam homiliæ quam habuit Nazianzi: κοιλίαν τὴν ἑαυτῆς ψυχὴν ὀνο-

μάζει κατὰ τοὺς τῆς τροπῆς νόμους· ὡς χωρητικὴν τὲ ἀναδοτικὴν, ἵν' οὕτως εἴπω τῶν ἐκ τοῦ λόγου τροφῶν· ὁ γὰρ ἐστι σώματι τροφὴ, τοῦτο ἐν ψυχῇ λόγος. & vt ciborum ita λόγων, id est eorum quæ legimus vel audimus quædam est concoctio: cùm non mandamus illa in memoriam, sed in succum vertimus & ad vsum reuocamus. Epictetus in Enchiridio: ἂν περὶ θεωρήματος ἐν ἰδιώταις ἐμπίπτῃ λόγος σιώπα τὸ πολὺ μέγας γὰρ κίνδυνος εὐθὺς ἐξέμεσαι ὁ οὐκ ἔπεψας. ad quem locum eruditè explicat Simplicius quid sit πέψις λόγων, quid ἐμετός· eum vide. Porro vis huius reprehensionis maxima in voce *alienis* posita. quippe alienissimum est à sapiente, facere aliquid propter alienam voluptatem. verùm hæc propria est miseria gloriam sectantium: quod felicitatem suam in aliena operatione ponunt: hoc est in voluptate quam capiunt alij ex ipsorum labore. finem videlicet quo suas actiones, si saperent, referre debebant, qui sic viuunt ignorant. hæc Persij mens: quem postea dicturi sumus, ex Stoicorum disciplina omnia semper ad suum finem voluisse referri. Appositissime ad hunc locum Marcus Antoninus libro VI. Ο φιλόδοξος ἀλλοτρίαν ἐνέργειαν ἴδιον ἀγαθὸν ὑπολαμβάνει· ὁ δὲ φιλήδονος, ἰδίαν πεῖσιν· ὁ δὲ νοῦν ἔχων, ἰδίαν πρᾶξιν.

Tun' vetule auriculis al.) Ioannes Saresberiensis libro III, *Porrò qui vultum induit alienum, & varias affectuum alternat facies, incolumitati sensuum insidias parat, & Sordidus auriculis alienis colligit escas.* non puto aliter legisse in Persio: sed de industria mutasse, & in aliam sententiam torsisse. nam in

voce *vetule* magna emphasis, vt ostendimus. Iuuenalis: *dic senior bulla dignissime.*

Auriculis, quibus & dicas certe perditus ohe.) tantum laboras vt placeas aliorum auribus? at quibus auribus? nempe eorum qui adeo sine iudicio laudant quos laudant, vt cogaris vel inuitus id agnoscere: qui sæpe sis expertus, illos tua scripta ita magnificè extollere, vt te, licet vanissimum suppuderet: adeo vt diceres illis ohe: satis est. Verissimè Boëtius de consolat. *qui falsò prædicantur*, ait, *suis ipsi necesse est laudibus erubescant.* hæc Persij mens: de qua miror ne suboluisse quidem tot interpretibus: qui in expositione huius versus mirè nugantur & variè. Quid sit apud Latinos poëtas *dicere ohe*, nemo tam hospes in literis quin sciat. nam qui *ohe* volunt esse αἰβοῖ bacchantium & lectionem omnium membranarum atque editionum mutant, ne verbo quidem refelli à nobis merentur. nos hunc locum aliter nunquam accepimus: sed postea obseruauimus & verba & sententiam ab Horatio Persium esse mutuatum: vt iam ne mutire quidem aliter sentientibus liceat. Horatij versus attulimus in diatriba de Persiana imitatione Horatij.

quibus & dicas cute perditus o.) Vetus dictum est, Βάρος τι καὶ τό δ' ἐστιν αἰνεῖσθαι λίαν. hoc præcipue verum est in liberalibus ingeniis, quibus molestissimum acroama in os laudari. ideo dixit alius poëta verè: Αἰνούμενοι γὰρ οἱ ἄγαθοι, τρόπον τινὰ Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. sed quem modestis viris etiam mediocris laudatio, sæpe etiam de-

bita, pudorem exprimit: eum ab hominibus vanis non elicias nisi immodicis encomiis & quæ omnem fidem longè superent: vt si cui pumilo nano ac Thersiti velis persuadere eum esse gigantem formæ absolutissimæ. ideo Persius de auidissimo gloriæ, & vanissimo loquens, ait, *quibus dicas & tu cute perditus.* propriè vitium corporis hæc verba designant, *cute perditus:* quæ vel de scabioso possumus interpretari, vel de eo qui aqua intercute laboret. sed conuitium corpori dictum, ad animum referri debet: quod in omnibus linguis familiarissimum est. sic etiam *prurire* & *scalpi* similiter transferuntur. conuenientissimum erit, si de hydrope accipias. reuera enim vani & φιλόδοξοι hydrope laborantibus similia patiuntur. Lucilius, *Aquam te credo in animo habere inter cutem.* itaque opinio sui & ὄιησις, vocatur hydrops. Sidonius Apollinaris libro IX. ad Faustum: qui Sidonio non communicauerat librum à se editum: *An supercilium tanquam difficilis ac rigidi plosoris extimescebas? & quænam est cuiquam peritiæ ceruix tanta quíve hydrops, vt etiam tepida vestra non feruentissimis laudibus persequatur?* sin de scabioso malis, simile erit illi Luciliano: *Tristem & corruptum scabie, & porrigine plenum.*

Quò didicisse? nisi hoc fermentum & quæ simel intus In.) Heic causſam agit ambitiosorum & φιλοδόξων hominum poëta, sub aliena persona. Quis igitur fructus erit studiorum, si is non est, vt per illa ad famã & nomen perueniamus? hæc illi: éstque particula quinta. Obseruandus au-

tem Persij mos proprius: quoties enim alium inducit sibi aliquid obiicientem, sic personam alienam sustinet, vt suam interea non ponat. hoc multis locis necessariò obseruandum: velut in isto: nam inde est quod ambitioni & κενοδοξίᾳ istorum patrocinans, simul tamen satirico sale eos defricat, ac ridet. patrocinium est ab eius mente cuius personam assumit: irrisus, est ab auctoris mente.

Quo didicisse?) quis est finis studiorum si hic non est? Iam diximus solere Persium ad contemplationem reuocare finis cuius caussa hæc omnia fiunt: de quo multa inferius. heic igitur ostendit, proposito hoc exemplo, ignotum vulgò esse finem studiorum, & sicut alibi dicit, *quidnam victuri gignamur.*

nisi hoc fermentum.) Volebat dicere is cuius vicem Persius loquitur: nisi scientia quam fuerit aliquis adeptus, proferatur in publicum. Persius σκωπτικῶς pro scientia dixit, *fermentum* & *caprificus*: quia vt fermentum in massa contineri non potest, quin det significationem sui, eámque feruefaciat, attollat ac tandem rumpat: item caprificus in saxorum commissuris enata impediri nequit quominus saxa disiiciat: ita eruditio in animo leui & inanem gloriam ambiente habitare non potest, quin vt fermentum attollat illum atque inflet, & vt caprificus, foras prodire & agnosci laudarique ab omnibus cupiat. Historiam variorum fermentorum, habes apud Plinium: cuius ætate, vel circa, primum

fieri cepit fermentum ex ipsa farina quæ subigitur, priusquam addatur sal. Plato inter ζέσιν & ζύμωσιν non distinguens definit sic: τῆς γεώδους οὐσίας ὁμοῦ κίνησις τὲ ἀέρωσις. sed optimi auctores ad affectus animi hanc vocem trãsferunt. pro ira apud Plautum, *esse in fermento.* hoc est, θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Iuuenalis, --*accipe & istud*

Fermentum tibi habe. -- hoc est, indignandi caussas. simillimè Hebræi חמץ quod fermentare est, pro turgere ira, & βιάζεσθαι accipiunt. dicitur & de aliis affectibus etiam in sacris libris, tum etiam aliorum auctorum: quia fere παθήματα sunt οἰδήματα, & φυσιοῖ. Prudentius: *Cùm fermentati turgescant mores.* frequens vox in Nouo instrumento.

& quæ semel intus Innata est.) Non displiceat *simul.* nam cum doctrina simul ingeneratur ac crescit in horum animis gloriæ titillatio, sed aliter omnes membranæ: nec muto.

rupto iecore.) Non constant sibi veteres in assignandis sedibus cuique affectui: nam pudorem, verbi gratia, modò in oculis habitare dicunt, modò in fronte. sic & amorem vanæ glogloriæ, modò in pulmone collocant: Persius, *pulmonem rumpere ventis.* modò in iecore, vt heic: mox etiam, --*neque enim mihi cornea fibra:* οὐ πάνυ ἀφιλόδοξός εἰμι. Dio Chrysostomus, in Diogene, aut de virtute, loquens de Hercule: τὸν Προμηθέα, σοφιστήν τινα ἐμοὶ δοκεῖν καταλαβὼν ὑπὸ δόξης ἀπολλύμενον, καὶ νῦν μὲν οἰδοῦντος αὐτῷ καὶ αὔξοντος τοῦ ἥπατος, ὁπότε ἐπαινοῖτο. πάλιν δὲ φθίνοντος ὁπότε ψέγοιεν αὐτόν.

ξεήσας & φοβήσας, ἔπαυσε τοῦ τύφου. Est & intelligendi fons ac sapiendi. in quinta:

Quod latet arcana non enarrabile fibra. notissimus versiculus est, *en cor Zenodoti iecur Cratetis.*

exierit caprificus.) fico sterili saxa disiici omnes norunt, vel ex poëtarum testimoniis. sed non sola caprificus id potest. Seneca Naturalium quæst. libro II. de spiritu & aëris intensione loquens: *Consideremus quam ingentem vim per occultum agat. Paruula semina, & quorum exilitas in commissura lapidum vix locum inuenit, in tantum conualescunt, vt ingentia saxa distrahant & monumenta dissoluant: scopulos rupésque radices minutißimæ ac tenuißimæ. Hoc quid est aliud quàm intensio spiritus, sine qua nihil validum, & contra quam nihil validum est?* Proclus apud Epiphanium contra Origenem de ficus grano idem dicit, & fusè explicat, non de caprifici: quam arborem Græci ἐρίνεον vel ὄλυνθον, Messenij τράγον vocabant. etiam hederæ vis eadem. in Bœoticis narrat Pausanias Mineruæ templum Alalcomenis sua ætate concidisse, cum innata hedera in commissuris saxorum ea disiecisset. de virgultis idem potest obseruari. Cassiodorus libro II. ad Aloisum architectum: *Virgulta quoque noxia importunitate nascentia, euulsis cespitibus auferantur: ne radicum quidam capilli paullatim turgentes, fabricarum visceribus inserantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriant, vnde se compago casura disrumpat.*

En pallor seniúmque! ô mores!) Sexta particula: increpationem & indignationem Persij con-

tinens, ob vanitatem istorum. Ergóne, ait, in ea tempora deuenimus, vt nõ in alium finem literis insudetur, quàm ad ostentationem ingenij?

O pallor.) in tertia: *Hoc est quod palles:* Quintilianus septima institutione: *nemo expectet, vt alieno tantum labore sit disertus: vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum.* Palloris huius duas caussas affert Philo: laboris assiduitatem, & spem incertam finem optatum consequendi: ait in Allegoriis, ὠχροὶ οἱ ἐν ἀσκήσει, διά τε τὸν τρύχοντα πόνον καὶ διὰ δέος τοῦ μὴ τυχεῖν ἂν ἴσως τοῦ κατ' εὐχὴν τέλους. omittit præcipuam caussam, corporis incuriam & genij defraudationem: quæ fuit veterum contentio in studiis admiratione digna. describit multis Aretæus capite de affectibus stomachi, libro De diuturnis morbis. legant studiosi illum locum; est enim elegantissimus & plane memorabilis. ibi igitur de abstinentia vel potius famè veterum eruditorum loquens, inter cætera hæc scribit. οἷσιν ὑπερόψιν μὲν διαίτης, ἁδρῆς καὶ ποικίλης, λιμὸς δὲ ἡ τροφὴ, καὶ ὕδωρ ποτὸν, καὶ ἐν ὕπνῳ ἀϋπνίη. *his*, inquit, *contemtus inest victus copiosi ac varij: pro cibo est fames: pro potu est aqua: pro somno insomnia.* Persius tangit in tertia: -- *cur quis non prandeat hoc est.*

seniúmque.) Aretæus ibidem: τοῖσδε οὖν τακεδὼν μὲν τοῦ σκήνεος, ἄχροοι, καὶ ἐν νεότητι γηραλέοι, καὶ ὑπ' ἐννοίης κωφοὶ, ψυχὴν δὲ ἀμειδέες, ἀμείλιχοι. *comitatur hos corporis tabes: sunt pallidi, in iuuentute senes, ob cogitationem muti, animo à risu alieno, insuaues, & incommodi.* ita scribendum est: nam in editis libris pro κωφοὶ ridiculo errore κοῦφοι scri-

ptum est. id vult quod aliis verbis expressum à Persio: *Obstipo capite, & figentes lumine terram.* namqui in alicuius rei cogitatione sunt toti, nec vident nec audiunt: quod exemplo suo probauit Archimedes. *senium* est non solum properata & πρόωρος senectus, cuius meminit Aretæus: sed κακουχία; illuuies & pædor. in sexta.

—— *vsque recusem*

Curuus ob id minui senio, aut cœnare sine vncto. & hominem odiosum & δυσχερῆ vocabant *senium.* Lucilius: *In numero quorum nunc primus Trebellius multum Obmarcessebat, febris, senium, vomitus, pus.* vide ad sextam.

ô mores!) imitatur M. Tullium in Catilinam. Martialis:

Dixerat ô mores, ô tempora Tullius olim.

Vsque adeóne Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?) Consentiunt omnes auctores sapientiæ, eum qui vitam rectè & sapienter instituat, nihil quicquam suscipere aut facere opinioni ac famæ seruientem. passim leges apud Græcos philosophos: ὁ σοφὸς οὐδὲν ἐπιτηδεύει ἢ πράττει τοῦ εὐδοκιμεῖν χάριν. insipiens è contrario, nullius rei, quamuis honestæ ac pulchræ studio ducitur, nisi persuasus sit eam sibi vtilitatem & gloriam allaturam. id verò aliter fieri non potest, quàm si notum aliis fuerit, scire ipsum quod sciat. Dio Chrysostomus in Rhodiaca: οὐδεὶς αἱρεῖται τῶν πολλῶν, ὅ, τι ἂν οἴηται καλὸν εἶναι μόνον αὐτὸ πεπράχθαι μηδένα δὲ εἰδέναι. multa disputat in hanc sententiam Marcus Antoninus libro XIV. & re-

fert Eustathius in ὀδυσ. A. veteris cuiusdam dictum, Μηδὲν ἐθέλω καλῶν ἔχειν ἀνάγνωστον: negat velle inesse sibi aliquid pulcrum & honestum, quo se præditum esse alij ignorent. Hi sunt quos Græci dicunt ὑποκριτὰς & φαντασίας: cuius contrarium est, disciplinis incumbere propter ipsas, & ἀπεριφανῶς: quod doctum se scribit Marcus Imper. à Sexto philosopho. & præcipitur omnibus ab Epicteto: μηδὲν βούλεσθαι δοκεῖν ὑπεισιόντας. Gregorius Nazianzenus, τὸ δίκαιον οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ὥσπερ οὐδ' ὄναρ ἀλλότριον. Plutarchus inter signa profectus hunc quoque ponit, velle facere quod rectum est: neque id velle sciri, & vt ipse loquitur, foras non spectare. Origo erroris huius quem heic carpit Persius, est, quod finem actionum suarum male statuerent: in fama nempe vulgi & lingua hominum: qui finis nugatorius est, & inanis ac ventosus. extat B. Augustini grauis epistola, qua Dioscorum hoc insaniæ genere cum vulgo insanientem, seuerè castigat allato etiam hoc Persij loco.

Scire tuum nihil est.) non iuuat, nihil valet. formula contemnendi. Clemens Alexandrinus τῇ κενοδοξίᾳ ὑπολέγεται, Ψευδεῖς ὄνειροι χαίρετ', οὐδὲν ἦτ' ἄρα. dicebant & Οὐδεὶς πύπυ λόγος. vt in veteri prouerbio, Τῆς λαρδανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος. ita olim concinnabamus, quod Suetonius vertit, *Occultæ musicæ nullus est respectus.*

At pulcrum est digito monstrari.) Septima particula, aliâ eiusdem farinæ obiectionem complectens ex persona collocutoris. *digito monstrari*,

δακτυλοδεικτεῖσθαι. quo verbo Philo vsus atque alij. *monstrabilis* δακτυλόδεικτος. Sidonius libro III. *ob omnia felicitatis naturæque bona monstrabilis*. vel δάσημος.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendas?) Mos veterum ludimagistrorum erat, vt discipulis suis non eorum tantum auctorum scripta prælegerent, quos vetustas commendaret, sed etiam nobilissimi cuiusque æqualium suorum. Marcus Tullius ad Q. fratrem. *Alterum est de Caluenti Marij oratione quod scribis: miror tibi placere me ad ipsum rescribere: præsertim cùm illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meam in illum pueri omnes tanquam dictata perdiscant.* videntur hoc docti viri excogitasse, & studiosi expetiisse, quo facilius in notitiam hominum peruenirent. quare narrat Eusebius libro IX. Maximum tyrannum & acerrimum Christianismi hostem, literas sub Pilati nomine confictas, cõtumeliarum in Seruatorem mundi plenas, ludimagistris tradidisse, in scholis prælegendas. *cirratos* dici pueros qui ludum frequentant, item *capillatos* & *crinitos*, etiam pueri sciunt. Hieronymus Aduersus Rufinum: *quasi non cirratorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantet*. vide eundem in Apologetico ad Domnionem, vbi hoc loco vtitur.

ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi.) In hac parte octaua satiricum cachinnum poëta exercet, vt istis qui laudari sua poëmata à Nerone & proceribus tanti æstimabant, rei vanitatem ostẽ-

ostendent. Docet igitur, non inter res serias, sed inter oblectamenta literas haberi à plerisque magnatum: ac laudari quidem ab iis poëtas, & encomiis maximis ornari: sed inter pocula & in vino: vt facilè omnes intelligant quanti laudationes istæ fieri debeant, à parum sobriis & madidis profectæ. Ingeniosè autem Persius rem ob oculos sic ponit, vt horũ hominum vanitas manifestissimè appareat.

inter pocula.) Vetus hic mos & à Græcis acceptus: sed hoc oblectandi sui caussa, non vt accuratius quicquam tractarent. Hieronymus aduersus Rufinum. *Quaso te, amice charissime, huiusmodi deliramenta dimittas, & prandiorum cœnarúmque fabulas, pro argumento non teneas veritatis.*

Romulidæ saturi.) nec viri solum, sed etiam fœminæ. Iuuenalis in sexta:

Illa tamen grauior, quæ cùm discutere cepit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Hic aliquis cui circum humeros hyacinthina lana est.) Erat moris vt in missuum intertuallis, aut remotis mensis, aliquis conuiuarum vel memoriter, vel de scripto σῶν aliquius poëtæ recitaret: vnde mox conuiuiis ansa fabulandi nascebatur. hoc nunc facit iste inter delicatos delicatulus, *cui circum humeros hyacinthina lana est.* vestis tricliniaris mollior & coloris exquisiti argumentum est solutorum morum. satis constat ea ætate qui elegantiores videri volebant cœnato-

ria & vniuersam vestem tricliniarem splendissimam habuisse. in dibapha igitur purpura, & in coccinis aut hyacinthinis discumbebant. Petronius Arbiter: *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria sine dubio, sed iam semel lota.* sic iste in hyacinthina veste accubitoria accumbit. *lana* enim hoc loco ὑπνίνδα vestem hibernam designat: etsi non id propriè significat. color hyacinthi suaue rubentis proprius magnatum in vestibus: idque iam olim: nam in Sapientia Siracidæ capite XL. opponuntur ὁ ὑάκινθον φορῶν, & ὁ ἀμόλινος. quid? quod etiam hyacinthinas comas feminarum lasciuarum legere est? adeo in deliciis erat ille color. exemplum habes apud Lucianum in Rhetorum mag. *hyacinthina* autem legitur constanter in omnibus codicibus ac membranis antiquissimis meis, Puteani, atque Bongarsij. imitatus hunc versum Claudianus de bello Getico:

Hic aliquis grauior natu cui plurima dictis
Consiliisque fides. —— & Persius in III.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum.
Rancidulum quiddam balba de nare locutus.) quod supra dicebat recitatores suorum operum vocem frangere solitos, & ad muliebrem sonum torquere: id nunc docet etiam à proceribus seruatum, si quando animi caussa poëtarum carmina legerent vel recitarent. *Rancor* est certarum rerum diutius asseruatarum corruptus odor: veteres magistri vertunt ταγγὸν, quod oleo vitiato proprium, sic *olei rancor*, apud Latinos: sed di-

citur & de aliis. inde transfertur ad res ingratas, & deformes: planè vt σαπρὸς apud Græcos ad quamlibet ἀηδίαν καὶ δυσχέρειαν. Martialis:

Qui sic rancidulo loquatur ore.

balba de nare.) duriore translatione vsus, nari tribuit, quod linguæ conuenit. balbuties enim vitium est linguæ peculiare. sed poëta multa vitia congestim ponit, quod loquatur rancidè, quod balbè, quod de nare. quæ caue sic acceperis vt verba sonant: hoc enim solùm voluit significare, naturalem vocis modum ab istis effœminari. *de nare* loqui dicuntur, quibus spiritus qui per nares exit, non liberè fluit, ob angustiam tramitis.

Phyllidas Hypsipylas, vatum & plorabile si quid.) Omnia reprehendit: quod animi tantum caussa sacra Musarum attingerent: quod vocem turpiter fingerent: & quod non Homeri nec Virgilij aut veterum tragicorum, vel omnino alicuius masculi poëtæ carminibus se oblectarent: sed tenera adamarẽt poëmatia non magnæ rei: puta elegias de infelicibus amoribus Phyllidis aut Hypsipylæ, & similia alia. vnum enim ponit exemplum pro omnibus. *plorabilia vatum* quid aliud interpreteris quàm elegias? quod carmen esse querulum & aptum plorantibus, sciunt & qui nondum asse lauantur. ideo sequitur,

—— non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres. —— quid? Phyllis & Hypsipyle an non elegiis aptæ materiæ? an non inter Nasonis epistolas vna est Phyllidis ad De-

mophoontem, altera Hypsipylæ ad Iasonem? hæc dubio procul ita perspicua, vt aliter interpretantibus silere liceat.

& plorabile si quid Eliquat.) Claudianus in Eutropium, *-- verbisque sonat plorabile quiddam Vltra nequitiam fractis. —— eliquat* translatum à metallis & id genus rebus, quæ naturâ sua compactæ sunt & duræ: cùm liquantur molescunt & corrumpuntur. sic isti vocem quam à natura acceperant virilem, delicatam reddunt ac fœmineam. sed variè hoc verbum capitur. aliquando pro liquorem exprimere, vt apud B. Cyprianum, *de saxo durissimo oleum eliquare.* idem alibi, *eliquamus in vobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostro & visceribus sapor dilectionis infusus.* interdum pro purgare & liquidum reddere. Seneca Quæst. natur. lib. III. de quodam fonte, *fœda quædam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatúsque est.* vnde & pro exponere accipitur. Augustinus epist. XXII. *Sed prius opus est eliquare, quomodo sententiam tuam recipiam.*

& tenero supplantat verba palato.) vocem naturalem ac robustam arte frangit ac corrumpit. palæstræ verba sunt, *supplantare, subneruare,* ὑποσκελίζειν, περιπίζειν: quæ venustè ad ea significanda transferuntur, quæ non ex vera virtute fiunt: *verba supplantare palato*, est, non bene nec plenè pronuntiare, sed molliter palato illidere. in formanda voce palatum est quasi πλῆκτρον: at plectri loco est ὑπογαστρεών, vt explicat Galenus. Sidonius Apollinaris libro IX. diuersum ab hoc vi-

rium pronuntiationis notat, cùm ait, *orationem salebrosas passim iuncturas, per cameram palati volutatam balbutire.*

Assensêre viri:) qui ῥῶσιν poëtæ recitabat, illud agebat, vt mollia carmina molliter pronunciaret: laudant reliqui vtrumque & vocem & & carmen. atque illi thiasotæ suo assentiuntur, pulcerrimum esse carmen quod recitauit. effunduntur igitur omnes paullatim in auctoris tam bonorum versuum laudationem. quod si virorum grauium id iudicium esset, non temeraria vox malè sanorum, prorsus felix talibus encomiis erat poëta ille prædicandus. nunc quia ab illaudatis laus illa proficiscitur, falsè Persius eos deridet.

nunc non cinis ille poëtæ Felix?) annon iustam hîc poëta caussam habet, cur certam fiduciam concipiat, de fama nominis sui etiam vltra cineres ac post obitum mansura?

non leuior cippus nunc imprimit ossa?) Virgilium imitatur, apud quem ait Cornelius Gallus poëta, —— *ô mihi tũ quàm molliter ossa quiescant*
Vestra meos olim si fistula dicat amores.

Ridere lubet veterum stultitiam: qui amicorum defunctorum vrnis cippos & columnas marmoreas cùm imponerent, optabant tamen iisdem terram leuem. notissima formula est ad quam Persius alludit. iidem contra, inimicis quorum memoriæ non fauebant, nullum saxum imponebant, & grauem tamen terram, atque vt pondere vrgerentur, optabant. Tibullus,

Quisquis es, infelix, vrgeat ossa lapis.

Propertius,

Vrgeat hunc supra, vis caprifice tua. τῷ imprimit Græci verbi ἐπίσημα vim expressit.

Laudant conuiuæ.) primò assentiuntur laudanti: deinde ipsi laudant: nempe vbi plus poti calidiores & alacriores sunt facti. plane hîc locus est eximius.

nunc non è manibus illis, Nunc non è t.) Veteres Græci ac Latini, quorum felicitatem plus quàm humanam volebant videri, dicebant de viuis, ex eorum vestigiis flores nasci: vel terram sponte sua in illorum honorem flores producere: de mortuis ex ipsorum tumulis suauè olentes quosque flores erumpere. quæ sententiæ ex veteri more sunt ortæ aspergendi floribus, honoris causa & fauoris: quod Græcis est φυλλοβολεῖν, de quo multa ad Suetonium notabamus. hinc illud Virgilij de puero Salonino,

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

cui geminum votum apud Persium in secunda:

——— *quicquid calcauerit hîc rosa fiat.* & similia his passim, quæ putidum sit adnotare. hinc etiam est, quod ver perpetuum optabant suorum tumulis, eóque frui perpetuò manes bonorum credebant. Iuuenalis,

Dij maiorum vmbris tenuem & sine pondere terram
Spirantésque crocos, & in vrna perpetuum ver.

inde *vernare* pro continua felicitate vti apud multos scriptores. Vereor ne huiusmodi poëtica figmenta occasionem iis præbuerint qui vi-

tas sanctorum, atque omni veneratione dignorum hominum conscripserunt, talia multa fingendi, & pro rebus gestis narrandi. sæpe enim legas, ex eorum tumulis, vel manna exiisse, vel lilia aut violas erupisse, aut simile aliud. illud singulare in morte Hieronymi viri maximi, quod recedente eius anima dicitur flagrantissimus odor subsecutus, & per dies non modicè durasse. non dissimilis apud Plutarchum De oraculorum defectu narratio, de illo miraculoso homine, ex cuius ore loquentis suauissimus odor manabat.

fortunatáque fauilla.) κατάχρησις in voce *fauilla*, propriè enim est cinis callidus fouens ignem, & vt poëtæ dicunt σπέρμα πυρός.

rides, ait, & nimis vncis Naribus indulges.) Nona pars: in qua ἀνθυποφέρει hic malorum caussarum patronus, sine caussa Persium cachinnari & rem non ridendam ridere: quippe communi quodam consensu omnes mortales, & viuis sibi celebritatẽ nominis optare, & defunctis famam perennem. cur igitur contemnit Persius eum honorem quem poëtis Romani proceres deferunt? *ait* constanter membranæ, non *ais*.

os populi.) τὸ διὰ στόματος εἶναι: quod dixit Ennius, -- *volito viuus per ora virûm.*

& cedro digna locutus.) Athanasius: ἡ κέδρος ἀναιρετικὴν ποιεῖ τῶν σκωλήκων τὴν κεδρείαν apud Marcellum empiricum sæpe fit mentio cedriæ librariorum, quæ aliis dicitur cedriũ. libros enim eo liquore quem cedrus exsudat, linebant: quia res vnctæ cedrio, à tineis & carie non læduntur. Lu-

cianus aduersus indoctum: τὰ βιβλία ἀνελίττεις ἀεὶ, καὶ διακολλᾶς, καὶ περικόπτεις, καὶ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ καὶ τῇ κέδρῳ. Vide Plinium libro XIII. cap. XIII. & eo priorem Vitruuium libro II. cap. IX. Nec solùm cedria vngi soliti melioris notæ libri, sed etiam in arculis materiæ cedrinæ seruari: ac fortasse etiam tabulis cedrinis amiciri à bibliopegis propter æternitatem, vt loquitur Vitruuius.

nec scombros metuentia carmina nec thus) Sidonius de cartha vbi versus suos exarauerat:

Quæ scombros meritò pipérque portet:
Nam quisnam deus hoc dabit, relictæ
Vt vel suscipiat bonos odores?

vbi venustè alludit ad Græcorum prouerbium, si pereundum, ἐξ ἀξίου γεῦν ξύλου.

Quisquis es ô modo quem ex aduerso dicere feci.) Decima hîc pars incipit τοῦ πρώτου μέρους: in qua Persius non vt salebrosus poëta, quod isti aiunt, saltuatim & leuiter: sed grauiter & more philosophorum accuratissimè superiori obiectioni respondet. Primùm distinctione vtitur è philosophiæ penetralibus petita: docens aliud esse gloriam sectari tanquam finem actionum suarum; & eandem probare tanquam ἐπακολούθημα & vt Stoici vocabant ἐπιγγύνημα quoddam τῶν κατορθωμάτων, & gratam atque amabilem virtutum omnium comitem, illos igitur tota via à recta ratione aberrare, qui ad gloriam, ceu ad scopum vnicum collimarent: non illos qui laudem honestis artibus partam in bonis & expetendis, aut certè sumendis censerent: quod & se facere in-

genuè profitetur. Deinde aliam distinctionem subiungit veræ solidæque laudis & falsæ atque manis: nam vanas futiles atque cachinno satirico dignissimas esse eas laudationes de quibus egit, duplici via probat: priùs quidem à persona laudantium: qui sine iudicio bonos malósque poëtas acclamationibus illis suis insanis prosequerentur: tum autem à persona eorum qui laudabantur: quos arguit non virtute & recta via ad famam grassari: sed obliquis itineribus & artibus fœdissimis: adeo quidem vt illis ipsis irrisui essent, qui corrogati & munusculis deliniti solebant ipsos laudare.

si forte quid aptius exit.) Singularem modestiam suam vir diuinus vbique ostendit: heic verò quot illius argumenta ἐπιστρόφους? ab eadem mente est etiam verbum *exit*, quod de opere dicitur studio & labore ad finem perducto. non, vt in prologo dicebat de poëtis μουσοπαπάκτοις, repente & Musarum sola inspiratione proueniunt. apud Senecam epist. xci. *festinari*, *& lente exire* sunt contraria. Horat. *cur vrceus exit?* Seneca, *Aliquo vel casu uel exercitatione exibunt recta.* id est, finem rectum consequentur: nam *exire*, est πλεισθαι. sic tela exit, cum detexta à iugo depositur, & vt dicam cum Theocrito, καταξαίνῃ ἀφ' ἱστοῦ. Lactantius, *per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summum bonum tendimus.* & heic *exire* ad finem ac metam peruenire est. contraria notione aliquando accipitur: vt in quinta,

——— *momento turbinis exit.*

Quando hæc rara auis est.) Non habet hunc versum codex Bongarsij: at Puteani habet, & omnes alij quà editi quà inediti. *hæc* non *hæc* iidem codices rectè.

Laudari metuam.) Stoici enim bonam famam non negligebant: sed inter res indifferentes quidem, sed tamen præpositas numerabant. ἀδιαφόρων duo genera illis erant, προηγμένα & ἀποπροηγμένα. προηγμένα in triplici distinctione versari docebant: circa animum, corpus, aut res externas. Laërtius in Zenone: λέγουσιν ἀδιάφορα προηγμένα ὅτι τῆς ἕκτης, πλοῦτον, δόξαν, εὐημερίαν καὶ τὰ ὅμοια. sed de fama dissenserunt Stoici: aliis, propter se præpositam & sumendam esse dicentibus, quod Carneadi placebat: aliis non propter se, verùm propter aliquam vtilitatem, qua detracta, dicebat Chrysippus, ne digitum quidem εὐδοξίας χρὴν esse porrigendum. plura M. Tullius in libro de finibus III. & præclarè ac sapienter Galenus initio libri septimi Therapeut. Eos autem qui ὑστεροφημίαν, id est claritatem quæ post mortem contingit, negarent bonum esse, refellit Seneca epistola CII. Marcus imperator, libro IV. Τί γάρ ἐστιν ὅλως τὸ ἀείμνηστον; ὅλον κενόν.

neque enim mihi cornea fibra.) etsi ἀπαθὴς audimus nos Stoici, amorem tamen non exuimus bonæ famæ: sed tangit & nos ea cura. *fibra* heic est cor: item in quinta,

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

licet insint fibræ etiam aliis partibus naturalibus, vitalibus. at sedem intelligentiæ & cæte-

rarum animi facultatum creditum est etiam Chrysippo & aliis Stoicis esse cor: de quo disputat multa Galenus in libris de dogmatis Platonis & Hippocratis. idem sæpe docet præsertim in libris De vsu partium, corpora, aut partes corporis duras, pene esse sine sensu. in tertio scribit τὸ ἐσχάτως σκληρὸν ἐγγὺς ἥκειν ἀναισθησίας ἀνάγκη. cuius rei demonstratio est apud Platonem in Theæteto, & Aristotelem in secundo De anima. Iure igitur Persius ei quem voluit intelligi ἀναίσθητον, honestarum rerum intelligētia & amore carentem, tribuit cor prædurum. fibram enim posuit pro corde, vt diximus. fibræ autem cordis sunt illæ quidem duræ, hoc est omnibus aliis duriores: sapientissimus enim ille ἀριστοτέχνης prouidit, ne facilè possent lædi: ideo καὶ σκληρότητι καὶ τόνῳ τε τῇ ξυμπάσῃ ῥώμῃ τε καὶ δυσπαθείᾳ πολὺ δήτι παραλλάττουσιν αἱ τῆς καρδίας ἶνες ἁπασῶν τῶν ἄλλων, ait Galenus in VI. De vsu part. at præduræ tamen non sunt, ne plane fierent ἀπαθεῖς, ac sine sensu. *cornea* heic pro valde dura. Catullus, *corpora sicciora cornu*. apud Dionem Chrysostomum κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα, *cornea reddere* siue *dura*. Sidonius in tertio Ep. *cornea crura*, *cornea substantia*. idem Persium imitatus Gelonis tribuit initio libri IV. *corda cornea*, *fibrásque glaciales*. imitatur & alibi, vt libro VIII.

Saxa & robora, corneásque fibras,
Mollit dulciloqua canorus arte.

at Persius Homerum videtur: cuius est versus de Vlysse vxorem post annum vigesimum sine

vllo animi motu intuente,

Οφθαλμὸς δ' ὡσεὶ κέρα ἔστασαν, ἠὲ σίδηρος.

etiam vulgò Romæ *corneos* vocabant τοὺς ἀπαθεῖς, & humanis affectibus carentes, & quibus natura concreta essent ossa, vt scribit Plinius lib. VII. cap. XIX. vulgò Græci homines in affectibus lentos vocabant de nominibus lignorum prædurorum ilicis & aceris, πρινίνους καὶ σφενδαμνίνους: Synesius, τοῦ λοιποῦ σφενδαμνίνῳ μοι καὶ ἀκλινεστέρῳ συνέσεσθε. id est, amori vestro non ita vt anteà indulgebo.

Sed recti, finémque extremúmque esse recuso Euge tuum & belle.) Laudem, inquit, non respuo: sed pro fine & vltimo scopo eam mihi proponere nolo. Omnino Stoicum sapientem ex his facilè agnoscas: vtitur enim distinctione Stoicorum, sine cuius notitia hunc locum bene interpretari non est. Heic verò obseruari à studiosis Persij volumus, si ex antiqua eius vita nesciremus, aut coniici aliunde non posset, Stoicæ disciplinæ hunc fuisse alumnum: tamen ex eo liquidò potuisse nobis constare, quod subinde ad finis contemplationem nos reuocat. Consentiunt sanè omnes sapientiæ magistri, doctrinæ moralis esse principium, maximéque necessarium illud caput, quo totius vitæ propositum, hoc est finis & summum hominis bonum constituitur. hoc enim qui norit vnicum probè, omnia eum rectè facturum, hoc est sapientem futurum, Marcus Tullius ait in v. de finibus: *cognitis rerum finibus, cùm intelligitur quid sit & bo-*

norum extremum & malorum, inuenta vitæ via est, conformatioq. omnium officiorum. & sæpe alibi. idem & Dio Chrysostomus in tertia de gloria: ὁ σωτὴρ περὶ τί ἐρῶντα, καὶ τί βουλόμενον πάντα τὰ ἄλλα χρὴ πράττειν, ἐς οἰκονομίαν, ἅπαντα αὖ ἤδη καλῶς διαπραττόμενα, ἐς τὰ μείζω δοκοῦντα καὶ τὰ σμικρότερα. Galenus quoque seriò affirmat, in consideratione finis causam effectricem sirmam esse humanæ felicitatis: ἐν τῇ περὶ τέλους σκέψει τὸ κύριον δεῖ τῆς ἀνθρωπίνης εὐδαιμονίας. ibidem vocat τὴν περὶ τέλους ὑπόληψιν ῥίζαν vnde oriuntur benefacta & secus. Cicero similiter, *stirpem.* cùm igitur philosophia quæ ad mores spectat sit duplex, dogmatica & paranetica, priorem illam quæ velut basis est cui altera incumbit, sapientissimus quisque orsus est à disputatione de fine: quod ante omnes fecisse summum philosophum initio Nicomacheorum videmus. Nos verò putamus οὐκ ἀπεὶ factum illud ab Hebræo sapiente, qui regem librorum, Psalmos regis poëtæ & paucorum aliorum, in ordinem redegit, vt cæteris omnibus eum anteponeret quo hæc de fine quæstio luculenter, etsi verbis non multis, explicatur. Sed omnium maximè in hac quæstione immorati sunt Stoici, quod ex Cicerone, Seneca & Græcorum fragmentis satis constat. hinc est quod toties Persius in tam paucis versibus finis meminit: velut hoc loco, & in secunda:

Quid iuuat hoc, nostros templis immittere mores?

hoc est, quo fine hoc facimus? in tertia,

Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum?

iterum,

Iure etenim id summum, quid dexter senio ferret
Scire erat in voto. —— in quinta,
-- petite hinc iuuenésque senésque
Finem animo certum. —— Heic verò

Persius non solùm finis meminit, verùm etiam Stoicorum distinctionem adhibet, vt monitori suo os obturaret. Dicebat ille errare Persium, qui laudem præclaris ingeniis delatam flocci faceret: respondet, non aspernari se quidem ingenij famam: sed non pluris quàm par sit eam æstimare: pro fine igitur eam non habere, qui nullus sit alius præter summum bonum: sed inter ἀδιάφορα ducere, quorum adeptio nullum ad beatam vitam momentum afferret. hanc rerum differentiam quomodo Stoici explicarent, paullò antè attigimus. est huic adfinis & alia distinctio scholæ eiusdem, inter οἰκεῖον πρῶτον, siue τέλος, & ἐπιγένημα. quædam enim, vt voluptatem, non propter sui naturam assumi docebant, sed tanquam accessionis vice. hæc Laërtius. Seneca De beata vita ita expressit capite IX. *Sicut in aruo quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos tantum operis insumtum est: aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit: sic voluptas non est merces, nec caussa virtutis, sed accessio.* quod Græcis Stoicis ἐπιγενᾶσθαι & ἐπιγένημα, Senecæ *superuenire, & accessio.* aliter M. Tullius. Cæterum non Stoicorum est inuentum hæc distinctio, vt multis placet: sed & rem & verba ab Aristotele sunt mutuati: nam quod

illi ἐπιγένημα, maximus philosophorum ἐπιγενόμενον τέλος. vt in Nicomacheorum vltimo, capite quarto: τηλειοῖ, inquit, τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ οὐχ ὡς ἡ ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγιγνόμενόν τι τηλός, οἷς τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα. idem & de gloria sentiendum. *recti finem extremúmque* dixit pro τ' ἀγαθὸν ὅπερ ἐστὶ τηλός καὶ ἔσχατον. *rectum* est τὸ καλὸν vel ἀγαθόν. *recti finis*, τὸ κάλλιστον vel ἄριστον. simile est cùm ὅρος κάλλιος ponitur pro κάλλιστος, ὅρος πενίας, pauperrimus. præclarè & nos in idiomate nostro res in suo genere præstantes, tanquam finem vltimum assecutas vocamus *fines* siue *finitas*, vt pannum, telam & similia. ita Græci τηλείας à τέλος.

Euge tuum & belle.) laudationem, præsertim tuam. sic accipiendum, ne videatur de inani fama solùm sentire, cùm negat esse finem.

nam belle hoc excute totum.) vide & seriò expende quam dignæ sint quæ expetantur laudationes ab istis profectæ. *belle totum* valet hic, cunctos illos qui laudantur, & quasi orbem illorum vniuersum. *excutere*, ἐκτινάσσειν heic pro singula seorsum considerare. de Iliade Attij suprà. recentem poëtam, non veterem tragicum intelligi indubitatum est.

ebria veratro.) hoc est quam illi expressit non copia ingenij; ἀφυὴς enim & ineptus poëta erat: sed labor improbus ac gloriolæ pruritus, & si quæ alia sunt infelicium ingeniorum irritamenta. cum alia autem excitando ingenio tardo valent, tum etiam interdum pharmaca, ínque his veratrum. clarum vel exemplo Carneadis Aca-

demici, qui solitus elleboro purgari, quoties cum Zenone Stoico res illi erat futura. iamque ea res in morem studiosorum transierat. Plinius libro xxv. cap. v. *Candidum purgat, vomitione, causasque morborum extrahit: quondam terribile, posteà tam promiscuum, vt plerique studiorum gratia ad prouidenda acrius quæ commentabantur sumsitauerint. Ilias*, igitur *verato ebria*, siue plena, Persio dicitur, ad quam scribendam multa potione ellebori Attio fuerit opus. quod certum est argumentum infelicis poëtæ: quia veri poëtæ naturæ munere fiunt, inquit Pindarus: hac verò destituti & solo studio freti, corui loquaces euadunt, non poëtæ. sic ille Olympionic. oda II. σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ μαθόντες δ' ἀλαθροι παγγλωσσία κόρακες ὡς ἀκραντα γαρύετον. aliis verbis sententiam eandem sæpe expressit, magniloquus ille poëta, naturam vbique attollens, artem verò deprimens. lege septimam & nonam eius libri odam. in tertia etiam Nemeonicarum ψιλωοὺς ἄνδρας, & imperfectos nec germanos poëtas, qui arte fiderent pronuntiat. Rectè obseruat Plutarchus & scriptis & factis hominum hoc inesse, vt careant gratia cùm apparent coacta & labore multo expressa: quem parum felicem genium facilè animaduerti potuisse scribit in Antimachi poësi, Dionysij tabulis, & Pelopidæ factis: hæc enim ἰσχνὰ ἔχοντα καὶ πόνον, ὀκνειασμένους, inquit, καὶ καταπόνοις ἔοικε.

non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres?) illa maximè solita laudari significat, quæ à diuitibus

bus ac potentibus scriberentur: licet essent ipsi quidem *crudi*, hoc est, ventri & luxui magis quàm Musarum studiis dediti: & carmina quæ componebant, *elegidia*, hoc est, non magna poëmata & opera legitima: sed minuta quædam opuscula, vt elegiæ non πολύστιχοι: & similia momenti non magni carmina. Rudes adhuc & πρωτιζοντες candidati poëtices, solent elegiaco carmine scribendo vires ingenij periclitari: idcirco elegia appellarunt etiam alia parua atque εὐτελῆ carmina. Dio Chrysostomus in IV. De regno appellat ἐλεγεῖον heroicos versus quibus inscriptus erat nequissimi Sardanapali tumulus: τὸ τοῦ Σαρδαναπάλου ἐπιφέρεται πολλάκις ἐλεγεῖον,

Τόσ' ἔχω ὅσ' ἔφαγον, & ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἐρώτων
Τέρψιν ἔπαθον· καὶ τὰ λοιπὰ καὶ ὀλίγα, πάντα λελοιπάς.

similiter Latini *elegidia* & *elegidiaria* dixerunt. istos tamen de quibus loquitur Persius veras elegias scriptitasse ille versus indicat,

Phyllidas Hypsipylas vatum & plorabile si quid.

τὸ *crudi* etiam ad studia potest referri: vix bene adhuc inchoata istis, nedum perfecta. sic accipit Petronius Arbiter.

non quidquid denique lectis Scribitur in citreis.) diuitum omnes nugas, qualescunque tandem essent, laudari solitas indignatur Persius. *lecti citrei* opulentorum proprij: qui vt Plinius docet vsque inde è Libya materiam lignorum petebant. Virgilius in Ceiri:

Nec Libys Assyrico sternetur lectulus ostro. Veteres autem lectulos habuisse lucubratorios, vbi stu-

derent ac versus facerent, obseruabamus ad Suetonij librum II. ac multis exemplis probabamus. ad eum morem Persij hunc locum ibi referebamus: quod cur damnarent quidam, alia caussa non erat, nisi ea quam nolo dicere. etsi non nego etiam ad tricliniares lectos referri posse, & eos versus quos inter cœnam bene madidi proceres interdum funditabant. omnino rectior est prior interpretatio.

calidum sis ponere sumen.) postquam ostendit ἀκρισίαν & vanitatem laudantium: nunc artes exponit vanissimas eorum qui laudabantur. corrogabant enim auditores & impensis cœnarum suffragia illorum redimebant. quod & in causidicis notat Iuuenalis satira XIII. Mos autem notus ex Horatio, aliisq. Petronius, *Multò me turpior es tu, Hercule, qui vt foris cœnares, poëtam laudasti.* eadem consuetudo etiam apud Græcos. Lucianus, Ρητόρων διδασκ. οἱ φίλοι δὲ πηδάτωσαν ἀεὶ καὶ μισθὸν τῶν δείπνων ἀποτινέτωσαν. Est apud Philostratum in Polemone sophista faceta historia de quodam indocto, sed diuite recitatore, qui fœnus exercebat, & pacto de vsuris hoc semper addebat, τὸ δὲ μηγετῶντος ἀκροάσεσθαι: atque ex hac pacti conuenti lege aduersus eos agebat, qui recitationibus suis non interessent. *sumen calidum* ait, quia cibos quam feruentissimos mensis inferre moris erat: vt ad Athenæum monebamus.

Et verum, inquis, amo.) Mira elegantia vanitatem horum φιλοδόξων poëtarum ob oculos ponit, μιμήσεως figura venustissimè vtens. isti, ait,

postquam aliquid recitarunt, auditores quid sibi visum fuerit rogant. ac quasi proficere non laudari cuperent, verum sibi dici orant: & veritatem se amare dictitant. putes cùm hæc videas quamuis graues esse viros. pari suauitate vanitatem eandem expressit, Arrianus libro tertio, eo capite quod aduersus τοὺς ἀναγιγνώσκοντας καὶ διαλεγομένους ἐπιδεικτικῶς de quibus heic Persius, est scriptum πρώην, inquit, ἐπαινεθεὶς περιήρχου, καὶ πᾶσιν ἔγεγες, τί σοι ἔδοξα; Θαυμαστὸς Κυρίε, τὴν ἐμὴν σοι σωτηρίαν. πῶς δ' εἶπον ἐκεῖνο; τὸ ποῖον, ὅπου διέγραψα τὴν Πάνα καὶ τὰς Νύμφας. Ὑπεφυῶς. ne dici quidem potest, quam bene hæc Persij locum illustrent. sed poëta doctissimus istum versum

Et verum inquis amo: verum mihi dicite de me,

ex Plauti Mostellaria pene ad versum transcripsit: vbi Philematium Scapham ancillam sic alloquitur. *Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendaces odi.* lege totum principium eius scenæ, actu primo: est enim singulari lepore conditum. Marcus Tullius ad Quintum fratrem iudicium Cæsaris de suis versibus scire cupiens: *Dic mihi verum: num aut res eum, aut χαρακτὴρ non delectat? nihil est quod vereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. Hac de re* φιλαλήθως, *& vt soles scribe fraterne.*

Quî pote?) non potest ab istis verum audiri: semper enim vt Quintilianus scribit in x. *à corrogatis laudabantur etiam quæ non placerent.* Rectè autem notat vetus interpres & hunc & sex continuos versus esse per parenthesim insertos.

vis dicam?) ego qui blanditiis tuis non sum corruptus, possum tibi verum dicere, modò velis ipse audire.

nugaris, cùm tibi calue Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.) hoc est Persij de istis iudicium. accipe igitur de te quid sentiam: ego te stultum pronuntio, qui vitam omnem ad canitiem vsque traducas in nugis & inutili poëtandi studio: cùm sint alia potiora quæ ei studio præuerti debeant: imprimis autem mores emendare, & vitam corrigere quam per voluptates traducis, in curanda cute plus à quo operatus. *nugari* pro versus facere vulgatissimum est. *calue*, vt suprà *vetule*: sed caluus in stultos & improbos notissimum & vsitatissimum conuitium est. periphrasis est γάστρωνος κατασεσαρκομένου ὑπὸ τρυφῆς, vt loquitur Basilius, & hominis qui ventri abdominíque seruiat in istis, *Pinguis aqualiculus*: quia vt ex aquali funditur aqua, sic ab illa parte vrina. sed Latini ea voce vsi variè. apud medicos interdum etiam pro ventriculo. quomodo Marcellus Empiricus accipit non semel. Seneca ad Lucilium: *cùm peruenit cibus in ventrem, aqualiculi feruore concoquitur, tunc demum corpori accedit.* heic stomachi ventriculus dicitur Senecæ aqualiculus. Theodorus verò Gaza imam inferioris ventris partem, quam Aristoteles sub ἤτρῳ locat & ἐπίσειον vocat, *aqualiculum* dixit, Persium potius secutus, quàm aliorum vsum vocis huius. *propenso* omnes membranæ constanter: non *protento*, vt apud Hieronymum in Hieremiam, &

Priſcianum libro VI. alibi apud Hieronymum leges, *propenſus aqualiculus*, vt libro ſecundo aduerſus Iouinianum. *extet* autem κυρίως: inde *extantia ventris* apud Cælium Aurelianum, cui ea vox familiaris.

O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit.) Hoc verſu & duobus ſequentibus iudicium ſuum quod modò expoſuit, confirmat etiam aliorum ſuffragiis: vt intelligerent iſti, non ſuam vnius ſententiam hanc eſſe: verùm publicam omnium, atque adeò illorum ipſorum qui fœda aſſentatione ſoliti laudare. nam iſtos palam quidem & in os laudare: abſentes verò non continere ſe, quin quod ſentiant, vel voce vel geſtu exprimãt: ipſos verò ſtupidos vehementer eſſe, qui irriſiones illorum non intelligerent. exclamat igitur, ἀναισθησίαν iſtorum & ſtuporem admirans. hæc nuda eſt huius loci ſententia. verùm eam poëta ἐσχηματισμένως διὰ τοῦ ἐναντίου enuntiat: nam vt iſtorum infelicitatem oſtendat, beatum prædicat Ianum bifrontem illum deum: cui ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω cernenti, facile ſit à fuco eorum ſibi cauere, qui incoram laudarent, à tergo ſubſannarent. Eodem argumento vtitur Ariſtides aduerſus eos qui laudationibus imperitorum corrupti, eloquentiam ipſius ætate corrumpebant: negat vel imperitiſſimos homines, & fæcem ipſam vulgi vitioſam orationem ex animo laudare: ſed repentina quidem voluptate titillatos, grande ſophos exclamare: cæterùm vbi ad ſe redierint, culpare atque irridere eos ipſos, quos antea viſi

essent admirari. σκεψώμεθα δὴ, inquit, τὸ τόδε· ὅτι οὐδὲ οἱ δῆμοι τὰ θεάματα ταῦτα, ὧν μάλιστά τις αὐτοὺς ἡττᾶσθαι φήσειεν, παντὶ τῷ θυμῷ φιλοῦσιν, οὐδὲ ἀσπάζονται· ἀλλ' ἐν μὲν τῷ πρόσχρημα γαργαλίζονται· ἀπελθόντες δὲ εὐθὺς καταγελῶσι de Iano bicipiti & quadricipiti omnia & pueris nota.

O Iane.) supple quod reticuit poëta: beatum te! μακαρίζω σε τῆς τύχης: laudo fortunas tuas: vt cùm in Rudéte Plauti Labrax è mari eiectus ait:

O scirpe scirpe laudo fortunas tuas,
Qui semper seruas gloriam aritudinis.

qui locus, non propter sententiam, sed propter τὸ ἦθος, huic geminissimus.

à tergo quem nulla ciconia pinsit.) hoc est, quem nullus laudator pictus pone subsannat. sed poëta pro generali verbo subsannare, tres species siue modos sannarum posuit, quibus veteres vtebantur. Sanna irrisio est, non simplicib. verbis, sed cum gestu, quod propriè dicunt Hebræi לעג. hic gestus pro lasciuia hominum & fuit & hodieq. est multiplex. olim tres illius modi erant vsitatissimi, quos heic poëta describit. Primus est cum indice digito in eum directo quem ridebant, crebra eiusdem curuati motitatione, ciconiam rostro pinsentem imitabantur. hanc sannam vocabant ciconiam: vel propter prælongum huius auis rostrum: vel quia symbolum erat ciconia non solùm grati animi, verùm etiam prudentiæ. Græci pro ciconia cornicem videntur in ea re nominasse: Hesiodus,

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν·

Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

caue, inquit, domum relinquas imperfectam: ne caput tibi tundat garrula cornix. Scholiastæ; ἵνα μὴ ψέγοντές τινες τρόπον κορώνης πολλὰ κρωζούσης πολλὰ φθέγγωνται ἐπὶ τῷ ἐλλιπεῖ. Ioannes Tzetzes: μή τις μωμοσκόπος καὶ λίαν κρακτικὸς καὶ λάλος, ἐπιστὰς αὐτῷ μώμους καταχέῃ σου. Sannam verò istam aliter Hieronymus exprimit, quam descripta est à nobis: nam in epistola ad Rusticum monachum ita scribit. *Ne credas laudatoribus tuis: imò irrisoribus aurem ne libenter accommodes: qui cum te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint: si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari: aut manu auriculas agitari asini: aut æstuantem canis protendi linguam.* vult ciconiam colli motu exprimi, non vt dicebamus digiti motitatione. potest fieri vt vtrumque sannæ genus ciconia diceretur. à nostra mente stat vetustissimus interpres cuius extat in hos versus breue, sed eruditum scholium. quod enim nos pluribus diximus, ille sic, *manu ciconiam significare.* stat & Hieronymus ipse, cuius sunt verba ex præfatione in Sophoniam, *Qui si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, nunquam post tergum meum manum incuruarent in ciconiam.*

pinsit.) Antiquissimi quidam critici legerunt *pisat*, vel *pisit*. Diomedes grammaticus libro 1. *Pinso, pinsas, pinsare: pinso, pinsis, pinsere. vel piso, pisas, pisare: pisis, pisere. est apud Persium ambiguum,*

O Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit:

pinsit an pinsat, vel pisat aut pisit legendum sit: sed

apud veteres reperimus n literam additam, & pinsit secundum tertium ordinem : vt Ennius decimo Annalium , pinsunt terram genibus. sic legimus corruptissimum hunc Diomedis locum in vulgatis libris. duplex fuit dubitatio grammaticorum super hoc loco: vtrum prior syllaba cum *n* scribi deberet an sine eo:& posterior syllaba per *a* scribenda esset , an per *i*. non enim deerant qui deriuatas voces à pilo, cùm pro pistillo capitur, sine *n* scriberent, sicut *pisitare* dicitur pro pinsitare. legas & *pisere* pro pinsere: nam in XVIII. Plinij meliores libri habent, *pisente pilo præferrato.* at in septima Vitruuij Institutione leges, *rudus pinsatione solidare.* item, *rudus pinsum.*

Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.) Alter hic sannæ modus. quos enim esse asinos significare volebant, oppositio temporibus pollice, & manu commota sannam eis faciebant. ratio autem est, quia solus fere ex animalib. homo aures à natura accepit immobiles: asinus cõtra maximè mobiles. huic sannæ affine est, quod ad contemtum rei alicuius declarandum, caput mouebant, quia aliter aures non poterant. ideo etiam σείειν τὰ ὦτα id dicebant. Galenus De differentia pulsuum libro secundo : ὅτι πυπτὶς ὁ γέρων ὥσπερ ὄνος ἔσεισεν ἤδη τὰ ὦτα.

nec manus.) supplendum sic: & ad quem irridendum nullius manus imitata est auriculas asini.

Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, tantæ.) Tertius sannæ modus, linguam exertare ad con-

tumeliam alicuius. mos vetustissimus, vt apparet ex historia illius Galli qui cum Manilio Torquato pugnauit, apud Liuium libro VII. & A. Gellium lib. IX. cap. XIII. Locutio autem similiter supplenda, vt proximo versu. & cuius irridendi caussa nemo linguam exeruit. nemo est qui ignoret canes fessos, cùm per æstum diei currunt, solitos linguam ex ore patulo proiicere. *sitiat* prægnans vt vocant verbum, pro sitiens promat, vt *oscitat*, satira tertia, pro oscitando eructat. *esurire* apud B. Cyprianum pro edere more esurientium. in libro De spectaculis: *prima victoria est, vltra modum humani ventris esurire potuisse super titulo coronæ.* loquitur enim περὶ τῆς ἀναλκαιοφαγίας veterum athletarum.

canis Appula.) Apulia feruida est regio, & vt vocat Horatius siticulosa. non soli autem canes linguam proiiciunt sitientes. Nonnus libro XI. de tauro: —— καὶ γλῶσσαν ἑῆς ἐπιμάρτυρα δίψης
Χείλεσιν οἰγυμένοισι προίσχανεν ἀνθερεῶνος.

tantæ.) non aliter membranæ: puto tamen scripsisse Persium, *tantum.* quæ lectio & elegantior longe est, & planior. sic autem & quidam editi præferunt.

Vos ô patricius sanguis, q.) In hac particula postrema secundæ partis, id agit poëta, vt si nequeat vulgus populi Ro. abducere à vanitate illa ac vitiis quæ hactenus descripsit: at patritios saltem, & nobilissima quæque ingenia ab iis institutis deterreat, quæ adeo fœda sint, & liberaliter natis educatísque tam indigna. Captare enim fa-

mam ex scriptione versiculorum aut similium nugarum, feras vtcunque in eo qui aliam rationem nullam inire potest, qua se tollat humo & rei familiari prospiciat: in eo iure rideas, quem natales & auitæ opes ad rempublicam capessendam vocant.

quos viuere fas est Occipiti cæco) quos natalium humilitas non cogit spe alicuius commodi scribere ac recitare: sed licet famam iis artibus quæsitam contemnere, & eximere vos eorum cachinnis qui miseros recitatores palàm laudant, clam subsannant. *viuere occipiti cæco illis fas*, qui nihil coguntur admittere cuius gratia optare debeant Iani oculos, de quo modò dictum.

posticæ occurrite sannæ.) quid sit sanna iam diximus. errant qui Græcam vocem putant. olim obseruauit Aristophanes grammaticus Cratinum comicum ex omnibus Græcis scriptoribus σαύνας vocem posuisse pro stulto. coniicit autem Eustathius à Sannis populis quos ipsius ætas vocabat Tzanos, hoc nomen translatum esse ad significationem stultitiæ: vt Latini rupiconem & agrestem, dixerunt Opicum, pinguem Vmbrum, stultum Marrucinum. nos suspicamur originem vocis esse ab Hebræorum verbo שנן *acuere*: vnde שן dens, & שנינה aculeata oratio, cuiusmodi est sanna. Græci eadem notione etiam vocem μῶκος posuerunt. nam μῶκον ita definit Simplicius in Epictetum: μῶκός ἐστιν ὁ μυκτηρισμὸς ἢ ὁ διὰ στόματος χάσματος ὑπερισμός. plane sannam melius non est definire.

Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli N.) Hæc tertia satiræ pars: cuius sententiam antè exposuimus. quanquam non displiceat si prioribus hæc connectantur: vt sit hoc duodecimum μέρος τοῦ πρώτου μέλους. nam vt veteres critici censent rectè, iungi hæc debent cum illo versu,

Et verum, inquis, amo verum mihi dicite de me.

ibi putidam κενοδοξίαν arguebat hominum laudari in os cupientium: heic fœdam adulationem describit Gnathonum istorum de quibus antè est dictum.

quis enim?) ἐμφατικώτατα dictum: quasi vrbs vniuersa admiratione percita adeo boni poëtæ, aliud nihil loqueretur nisi laudes eius & encomia. similem emphasim obseruabamus apud Theophrastum in verbo κατενεχθῆναι isto loco ex descriptione adulatoris: ἠυδοκίμεις χθὲς ἐν τῇ στοᾷ. πλειόνων γὰρ ἢ τριάκοντα ἀνθρώπων καθημένων, καὶ ἐμπεσόντος λόγου τίς εἴη βέλτιστος, ἀπ' αὐτοῦ ἀρξαμένοις πάντας ἐπὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατενεχθῆναι.

nisi carmina molli Nunc demum numero fluere.) Iudicia auditorum carpit, qui eam solam orationem probabant, siue ἔμμετρον siue ἄμετρον, quæ tenera quadam elocutionis cute esset operta, vt scribit, & Quintilianus libro v. capite XII. vbi ostendit, quod & alibi repetit, è declamatorum scholis hanc deprauationem masculæ orationis manasse.

vt per leue seueros Effundat iunctura vngues.) Quintilianus ibidem: *dum leuia sint ac nitida,*

quantum valeant nihil interesse arbitramur. sic apud Græcos rhetoras λειότης ὀνομ[illegible] & λεαίνειν τὴν κατασκευήν. locutio ab arte fabrili translata: nam qui marmora poliunt aut ligna, operis leuitatem vngue explorant: quod propriè ἐξονυχίζειν dicunt. Sidonius Apollinaris libro IX. epistola VII. ad tessellarios & psephothetas retulit: sic enim Persij verba περιέφρασε. *Tota denique*, (loquitur de structura orationis) *liquida prorsus & ductilis: veluti cùm crystallinas crustas, aut onychitinas non impacto digitus vngue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur.* sed & marmorariorum ac statuariorum verbum est ἐξονυχίζειν: vnde ἐν ὄνυχι ὁ πήλος γίγνεσθαι dicitur, cùm vltima restat manus operi admouenda: vt in celebri dicto Polycleti plastæ significis, χαλεπώτατόν ἐστι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γένηται.

scit tendere versum Non secus ac si oculo rubricam dirigat vno.) quasi dicat, optimus est versuum faber. simile illud Cratini in Eumenidibus: τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων. quod ridet Aristophanes in Ranis. sed caret culpa Persius, qui non ex persona sua hoc dicit; verùm ineptis & imperitis hominibus conuenientem attribuit sermonem: quod cùm etiam in sequentibus ingeniosè ab eo sit factum, vulgò non est animaduersum. Cur vno oculo ἀκριβέστερον res videamus ac melius, caussa hæc est: quod vis optica quæ ab vno principio diuiditur in geminos oculos, cùm alterius operatio impeditur, ad alterum tota se confert, fitque hoc modo se ipsa validior: non enim ces-

ſat otioſa facultas videndi : ſed quò poteſt ad actum pergit. adeo vt ſi diuturnius fuerit illud impedimentum, conſuetudine in alteram naturam vertente, ſpreto inutili organo, vis illa hæreat tota penes alterum oculum. ſic Geta quidam, vt narrat Appianus, cum metu triumuiralis proſcriptionis pelle alteri oculo impoſita luſcum ſe finxiſſet, longo poſt tempore, vbi periculum euaſiſſet, detecto oculo, luſcum reapſe factum ſe eſt expertus. Non prætermittam luculentos Gregorij Nazianzeni ſuper hoc verſus, in encomio virginitatis. Sic ille :

Ηδη καί τιν' ὄπωπα λιθοξόον, ἠέ τιν' ἔργων
Ιδριν δουρατέων, πινυτοὺς καὶ φράδμονας ἄνδρας,
Ιθείην σταθμῃσιν ἐπὶ ὑπὸ διατεκμήρωνται,
Ωκ φαέων ἕτερον μὲν ὑπὸ βλεφάροισιν ἔδησαν,
Τῷ δ' ἑτέρῳ πέμψαντες ὅλον φάος εἰς ἓν ἀγερθὲν
Ατρεκίης ἐτύχησαν.——

Siue opus in mores, in luxum in prandia regum.) imitatur vanitatem ſtultè & per adulationem laudantium: quibus parum eſt ſimplici laudatione eum quo de agitur afficere: niſi mirè amplificent, & ſingularem hominis facultatem cuiuſuis argumenti quoquo modo tractandi deprædicent. ſed cùm ait, *Siue opus in mores : τὸ opus* bifariam poteſt exponi : ſiue opus ſit in mores inuehi : vel, ſiue opus fuerit inſtitutum ab illo aduerſus mores. *opus* autem *in mores & luxum*, interpretor de ſatirico ſcripto : quod videntur ea ætate multi tentaſſe, partim carmine heroico vt Perſius, partim per ſaturam mixtis oratione & verſu, vt Petronius. non aſſen-

tior veteri interpreti & aliis qui *mores* de comœdia accipiunt, *luxum* de satira. pridem enim comœdiæ scriptio Romæ frigere cœperat. Satiræ autem obiectum esse non vnum aut alterum vitium, sed in vniuersum, corruptam publicorum morum disciplinam, sæpe diximus. *prandia regum* de tragœdia accipio cum veteri interprete, maximè propter ista satiræ V.

Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Feruebit, sæpè insulso cœnanda Glyconi.

ex quibus constat nobis sæpius tractatum à diuersis poëtis Neroni æqualibus illud argumentum. notemus tamen loquendi genus, *dicere in prandia regum*, pro tragœdias scribere, quarum hypotheses prandia regum contineant: putem locutionis huius insolentiam veteres nonnullos grammaticos impulisse, vt ἐν *in* aliter in hoc versu acciperent, pro de, & ὑπὲρ: quomodo etiam apud Græcos κατὰ vsurpari, modò in laudem modò in vituperationem, notum. atque ita hunc locum etiam Priscianus capit libro XVIII. sed hæc interpretatio coacta est, ne dicam inepta: nam illa *in luxum* quomodo huic interpretationi aptabuntur?

Dicere res grandes.) eam laudem scriptores eius ætatis affectabant. Suprà,

Grãde aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.
nostro dat Musa poëtæ.) huic de quo loquimur: sunt enim populi verba recentis adhuc è poëtæ cuiusdam recitatione. sed Neronem præcipuè intelligi existimantibus assentimur.

Ecce modò heroas sensus afferre docemus.) Exposita inani grandiloquentia quam tunc omnes peruerso iudicio sectabantur: nunc caussam vnam è præcipuis commemorat, illius vitij. ea autem est, praua institutio: nam cùm stilus sublimis consummata quædam sit perfectio artis rhetoricæ, vt antè dicebamus ex Longino: nihil poterat aut ineptius aut absurdius fieri, quàm cùm in scholis rudes discipuli instituebantur loqui grandia. sed culpa huius rei penes parentes erat potius quàm penes rhetoras: voluntatem enim patrum non iudicium suum secuti in his exercitationibus doctores peccabant. Persius igitur, & præceptores obiurgat ob præposteram hanc docendi rationem: & mox etiam in parentes omnem ferme culpam reiicit. Omnino autem confetenda hæc Persiana sunt, cum iis quæ eadem de re grauissimè disseruntur initio Satirici Petroniani. videbis mirum consensum duorum eruditissimorum scriptorum in damnanda iuuenum institutione quæ ipsorum ætate obtinebat. non ignoramus omnes interpretes aliter ista accipere: sed ij quàm fallantur Persius ipse optimè docuerit. Non malè autem heic statuas tertiam partem satiræ huius: cuius quidem nexus cum præcedenti aptissimus: & transitio clara cùm ait, *Ecce modo h.* sic paullò pòst, *Est nunc Brisæi quem.*

heroas sensus.) pro heroos: & fortasse sic scribendum. Statius: -- *heroos gressu truncare tenores.* omnes tamen membranæ aliter, éstq. hæc enal-

lage poëtis familiaris & Latinis & Græcis, vt ad Theocritum olim obseruabamus: sic infrà,

Italo quod honore supinus. —— hoc est, Italico. *heroes* siue *heroi sensus* sunt materiæ sublimis generis, & ille cuius meminit Petronius, *tumor rerum.*

afferre docemus.) nos patres docemus, vel iubemus vt rhetores doceant. Legitur in aliis *videmus.* quam scripturam etiam vetustissimi quidam libri seruant. firmat quod sequitur, *cùm videas.* & ita superiùs: *Heic neque more probo videas.* placet tamen *docemus*, cum Bongarsij codice, & aliis nonnullis. refero enim ad doctores iuuentutis, qui inanes eorum animos rerum cognitione, ad magna priùs aspirare præcipiebant, quàm in planis & humilibus stilum exercuissent.

nugari solitos Græcè.) hoc est puerculos vix adhuc primas literas doctos. ea ætate Romani puerorum studia à literis Græcis auspicabantur. Fabius libro primo, *A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus qui pluribus in vsu est, vel nobis nolentibus se perhibet: simul quia disciplinis quoque Græcis priùs instituendus est, vnde & nostræ fluxerunt. non tamen hoc adeò superstitiosè velim fieri, vt diu tantùm loquatur Græcè aut discat, sicut pleriſque moris est.* ex his Fabij liquidò constat, Persium his verbis *nugari solitos Græcè* σειφεσιακὰς expressisse pueros primis adhuc literis operatos: quod & sequentia testatius adhuc faciunt.

nec ponere lucum Artifices.) pueri cùm primùm rhe-

rhetorum scholam salutauerant egressi è grammatico ludo, exercebant stilum in descriptionibus ac narrationibus historicis. Quintilianus lib. II. cap. IV. *Hinc iam quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam.* mox: *apud rhetorem initium sit historica narratio, tantò robustior quantò verior.* rhetores, vt vides, discipulis tenerrimis argumenta narrationum proponebant, ex historiis petita. similia sunt argumenta quæ heic proponuntur: descriptio luci, vel ruris luculenti, aut vitæ rusticæ. est autem *rus saturum*, rus siue prædium bonis refertissimum, & quod describere vel laudare cupientibus, futurum sit benigna materia. ita dixit Seneca Naturalium libro V. cap. IX. *locos ob humidam cœli naturam saturos & redundantes.* familiare verbum poëtis *ponere* de scriptione. in quinta Persius,

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.

& ita Horatius.

vbi corbes. Et focus, & porci, & f.) explicat pluribus quod voce vnica significauerat, cùm rus *saturum* vocauit. copias ruris breuiter recensens, & loca aliquot indicans, vnde ruris encomia duci & latè diffundi poterant. ad copiam spectant hæc, corbes, focus, porci, fœnum: loca ἐγκωμιαστικὰ ruris sunt historiæ rerum memorabilium quæ ruri sunt factæ: nam qui rus aut rusticam vitam laudare aggredientur, in rem suam illas historias scitè conuerterint. porrò eiusmodi historiæ sunt, quæ heic tanguntur, Parilia siue Romæ vrbis origo, & Romuli ac Remi na-

tales, & L. Quinctio Cincinnato delata dictatura cùm rus coleret. Sed obseruandum est poëtam sigillatim hæc ita recensere, non tanquam rhetorem, qui suos discipulos instituat, & ad fontes digitum intendat: sed vt satiricum cachinnonem: solent autem & satirici poëtæ & comici & omnes qui in carpendis vitiis versantur, ad singulorum facta sæpe respicere: vt quasi sub exemplo doceant, & acriùs pungant. haut dubiè Persius sæpe in hoc libello id fecit: vt paullò pòst, ipsis etiam Neronis versib. prolatis & satiræ suæ insertis: verùm nos hodie amissis auctoribus illi æqualibus & memoria rerum illarum extincta, multa necesse est ignorare. hæc ideo dicimus, quia persuasum habemus, Persium isto loco vbi rus saturum describit, certum aliquem suorum æqualium ridere, qui in eo argumento ineptè atque infeliciter fuerat versatus. omnino hoc ita esse euincunt vel illa verba quibus hic locus clauditur, *Euge poëta.* quibus significat, tam ineptum carmen recitatum nihilominus fuisse, & plausus magnos tulisse. Quid potissimum in eo poëmate reprehenderet Persius, eo amisso nescimus. sed docent rhetores, huiusmodi rudium ingeniorum exercitamenta, vel eo nomine solita reprehendi, quòd arida essent atque ieiuna: vel contrà, quod sinuosa & accersitis descriptionibus, in quas, ait Quintilianus, plerique imitatione poëticæ licentiæ ducuntur, lasciua. an igitur vtrunque Persius carpit? quid aridius aut ieiunius fingi potest, quàm si cùm insti-

tueris rus saturum laudare, circa corbes, focum, porcos, & fœnum immoreris? leuia enim ista sunt ac nihili, præ Bacchi Cereríque muneribus, fructuum copia, gregibus atque armentis aliísq. multis, in quib. sitæ sunt agrorum diuitiæ ac suauitates. rursus sinuosa ac lasciua sit oratio necesse est, si historias quæ heic tanguntur, fusè prosequaris, nec modum serues: quod longè difficillimum est.

vbi corbes.) & corbes & corbulæ apud rei rusticæ scriptores passim.

Et focus.) Scripti quidam, *Et fucus.* perperam. caminus luculentus non minima pars est commodorum vitæ rusticæ. Virgilius,

Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.

& fortasse qui hîc ridetur poëta, alium locum erat imitatus parum feliciter, vbi focum laudat Maro:

Hîc focus & tedæ pingues: hîc plurimus ignis,
Semper, & assidua postes fuligine nigri.
Hîc tantùm Boreæ curamus frigora, quantùm
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

& porci.) videtur quem hîc tangit, nimius fuisse in hoc immundo pecore.

& fumosa Palilia fœno.) Varro apud veterem interpretem: *Palilia tam priuata quàm publica sunt apud rusticos: vt congesti cum fœno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.* purgationum quæ die Palilium fiebant etiam Ouidius meminit: sed mos iste transiliendi ignē è fœno & stipulis excitatum, cuius Propertius

quoque meminit libro quarto, valde notandus est: quia ex eo cognoscimus vnde mos ille esset ortus quo & veteres quidam Christiani leguntur vsi, ignem transiliendi certa anni die, expiationis caussa & diuinationis. Theodoritus in Quæstionibus nondum editis eius meminit, sed aliam originem illius facit: nam explicans morem transmittendi filios per ignem, cuius sæpe fit mentio in veteri Fœdere: adhuc sua ætate seruatam à nonnullis fuisse eam consuetudinem scribit, idque se in quibusdam ciuitatibus fieri vidisse testatur. ἐγὼ, οἶμαι, inquit, τὸ μέχρις ἡμῶν φθάσαν τῆς πλάνης εἶδος τὸν λόγον αἰνίττεσθαι· εἶδον γὰρ ἔν τισι πόλεσιν ἅπαξ τοῦ ἔτους ἐν ταῖς πλατείαις ἀπτομένας πυρὰς, καὶ ταύτας τινὰς ὑπερθηλομένους καὶ πηδῶντας, οὐ μόνον παῖδας ἀλλὰ καὶ ἄνδρας· τὰ δέ γε βρέφη παρὰ τῶν μητέρων φερόμενα διὰ τῆς φλογός. ἐδόκει δ' ἀποτροπιασμός τις εἶναι καὶ κάθαρσις diem non indicat Theodoritus huius superstitionis: ne Glycas quidem secunda Annalium parte hunc illius locum laudans. & fortasse de paganis loquitur Theodoritus, non de Christianis. sed & hos morem illum πατροπαράδοτον vsurpasse constat. atque vt Palilium catharmi exeunte vere, aut ineunte æstate agitabantur à rusticis Romanis: sic isti Iunij die XXIII. aut XXIV. in quam Ioannis Baptistæ natalis incidit, ignem è fœno excitatum transiliebant. Refert Balsamo Cyri Michaëlis Constantinopolitani patriarchæ verba, quibus ritus multos adnotat quos ea die nonnulli vsurpabant. ibi igitur inter cætera hæc scribit: κατὰ τὴν ἑσπέραν τῆς κγ. τοῦ

Ιουνίου μηνὸς ἠθροίζοντο ἐν ταῖς ῥυμίσι καὶ ἔν τισιν οἰκίαις ἄνδρες τὲ γυναῖκες, τὲ δι' ὅλης νυκτὸς πυρκαϊὰς ἀνάπτοντες ἐπήδων ὑπερθέω αὐτῶν, καὶ ἐκληδονίζοντο, ἤτοι ἐμαντεύοντο περὶ εὐτυχίας καὶ δυστυχίας καὶ ἄλλων τινων δαιμονιωδῶς. referuntur autem hæc Cyri Michaëlis verba à Balsamone, ad concilium Trullense: cuius LXV. canone disertè vetantur huiusmodi πυρκαϊὰς pro domibus atq. officinis extari solitæ, ἃς καὶ ὑπεράλλεσθαι, inquiunt patres, κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπιληροῦσιν. propterea diem illum Ioanni Baptistæ sacrum Lampadem vocarunt: vt ex Ioanne Chrysostomo Iosephus Scaliger obseruauit, in septimo operis magni.

Cùm trepida ante boues dictatorem induit vxor.) rectè *cùm*: non vt alij *quem*. hoc enim vult tunc ipsum arasse cùm aduenerunt legati. Liuius: *ibi ab legatis seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cùm araret, operi certè, id quod constat, intentus*. nota historia.

trepida) festina, more Virgilij, inquit Seruius. Liuius: *togam propere è tugurio proferre vxorem Raciliã iubet*. vel metu perculsa: vtiq. cùm exponentes legatos audisset, qui terror esset in exercitu. omnia enim trepidationis plena.

Et tua aratra domum lictor tulit.) δείνωσις est in his verbis: nam quantum hoc, quod aratori lictor publicus ministrauerit, eiúsque aratra domum retulerit? sed videtur ille de quo sentit Persius malè eum locum tractasse.

Est nunc Brisæi quem venosus liber Acci.) Quarta hæc pars satiræ istius, poëtis & oratoribus ex

æquo conueniens: qua eos irridet, qui in iactationem eruditionis voces poëticas vsurpabant. in quo vitium duplex obseruant dicendi magistri: prius cùm obsoleta verba putidè in vsum reuocantur: quæ multorum hodie est fatuissima insania: alterum est, cùm duriores poëtarum translationes, & ea quæ vix ipsis poëtis sunt permissa, putant sibi licere vsurpare, aut imitari. vtrunque errorem multis locis magnus ille magister eloquentiæ Fabius reprehendit. velut in octauæ Institutionis prooemio: *Quid quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod & alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* & capite secundo eiusdem: *Obscuritas fit etiam verbis ab vsu remotis: vt si commentarios quis pontificum, & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his: vt quæ inde contraxerit non intelligatur*: HINC ENIM ALIQVI FAMAM ERVDITIONIS AFFECTANT, VT QVÆDAM SOLI SCIRE VIDEANTVR. hæc ille Dionysius quoq. Halicar. grauissimam aduersus id genus moriones sententiam profert. ait enim hoc illos facere, ὑπὸ ὀψιμαθείας καὶ ἀπειροκαλίας, τοῖς αἰσχίστοις τῶν παθῶν περιπεπτωκότας.

Brisei quem venosus liber Acci.) Ita vetus lectio: non *Brisæi*, neque *Acti* vel *Atti*. L. Accium veterem poetam tragicum Pacuuij ὁμόχρονον intelligit, non autem Labeonem de quo facta bis

mentio in præcedētibus. Accium & Pacuuium ita passim coniungunt scriptores. Martialis,

Attonitúsque legis terraï frugiferaï
Accius & quicquid Pacuuiúsque vomunt.

pro *Brisei* lego *Briseis*. notissimum fœminæ nomen ex Homero & aliis poëtis: eius casus tragœdiæ conuenire nemo potest negare. *Briseis* igitur liber venosus & *Antiopa verrucosa* duarum tragœdiarum nomina sunt, quarum hanc Pacuuius composuerat, illam Accius. figuratè verò omnia illorum scripta designabantur duabus illis vocibus. Non ignoramus quæ scripta sunt tam à vetustis, quàm à nostri seculi viris doctis ad interpretationem alterius lectionis. sed videtur nobis plane durum, & sine exemplo vt Accium Persius *Brisæum* siue *Briseum* dixerit, Bacchi cognomine, quia tragœdia Baccho sacra. quam coactum hoc? quam longè petitum?

venosus liber.) deformis, vt sunt homines macri & senes vieti quibus dedit longa ætas *deformem pro cute pellem*. istis enim venæ extant, carne senio absumta. *venosus* autem omnes membranæ non *nauosus*, vt suspicabatur Hadrianus Turnebus lux & decus suæ ætatis.

ærumnis cor luctificabile fulta.) verba Pacuuij, in quibus duo notari voluit ac rideri Persius. metaphoram primùm impropriam, duram & ineptam. nam *fulcire* κυρίως quidem est ὑποστηρίζω, vt vertunt antiqui magistri & στηρίζειν, ἐρείδειν. cùm autem transfertur, auxilij semper significationem habet. sic apud Lucretium, *fulcire cibis atq.*

omnia sustentare. sicut dicitur Gregorio Nysseno, ἡ τροφὴ ὑποστηρίζειν τὸ τῆς φύσεως ἡμῶν ἐνδεὲς: & *fulcire rempublicam* sæpe M. Tullius. *animo fulcire corpus* Seneca De beata vita. Pacuuius verò *ærumnis fulcire* pro cingi vndique & opprimi posuit, sanè quàm ἀκύρως: deinde autem vox *luctificabile* sententiæ non quadrabat: éstque in eo manifesta affectatio vocabuli soni grandioris: cuiusmodi sunt eius formæ omnia: quibus solet Maro maiestatem suo carmini conciliare: vt, *lachrimabile bellum*: *ineluctabile fatum*: *illætabile murmur*: alioquin religiosiores fuisse veteres Latinos in eiusmodi vocibus, docet M. Tullius, qui καταληπτὸν cùm vertisset *comprehensibile*, quasi magnum aliquod ausus, *feretis hæc?* inquit. & Seneca notat apud Mæcenatem *irremediabile* pro ἀνήκεστον, epistola CXIV. simile apud Lucilium, *monstrificabile*: apud disertissimum scriptorem Lactantium *insustentabilis dominatio* libro VII. capite XVI. pro eo quod Græcis ἀνυπόστατος ἀρχὴ, de quo ad Athenæũ libro III. cap. XX. & *incogitabilis* ὁ ἀνόητος, eidem Lactantio libro I.

Hos pueris monitus patres infundere lippos Cùm videas.) à doctoribus eloquentiæ in patres culpam transfert. Petronius. *Quid ergo est? parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos seuera lege proficere. Primùm enim sicut omnia spes quoque suas ambitione donant: deinde cùm ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, & eloquentiam qua nihil maius confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus.* hæc Petronij verba cum iis

conferri debent quæ superiùs dicta sunt in tertia satiræ huius parte. rectè *infundere*, nam puerorum ingenia instar vasorum sunt: præcepta instar liquoris: qua similitudine multi veterum vsi.

quærísne vnde hæc sartago loquendi?) misturam probatarum & damnatarum dictionum in oratione vocat *sartaginem loquendi*. allusum videtur ad panes ταγηνίας, (nam τάγηνον siue τήγανον sartago est:) Athenæo atque aliis descriptos: qui confiebant è variarum rerum miscella, farinæ, adipis, mellis, sesami, casei & similium. An respicit ad stridorem ingratum rerum quæ in sartagine friguntur? vt autem Persius *sartaginem* de oratione dixit: sic Eubulus Græcus comicus feruentium patinarum sonum, appellauit λάλημα, id est, loquelam:

Λοπὰς παφλάζει, inquit, βαρβάρῳ λαλήματι
Γηδῶσι δ' ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις.

sartago, vox origine Syriaca שרת vnde est משרת *sartago*.

vnde istud decus.) corruptæ eloquentiæ, cuius facinoris cum pudere auctores deberet, illi contrà de teneris sensiculis & sententiolis vibrantibus sic triumphant, quasi de re bene gesta.

Trossulus.) notum qui propriè dicti sint trossuli: sed vulgò ita vocabant τοὺς κομψοὺς καὶ φιλοκάλους, qui cultu & toto vitæ genere cæteris præstare vellent. Varro Sesquiulysse: *Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgò Attico talento equum.* Seneca epistola LXXXVII. *O quam cuperem illi nunc oc-*

currere aliquem ex his trossulis in via diuitibus.

exultat tibi per subsellia l.) iactitat sese inter eruditos, vt cùm in subselliis sedet, aut cùm transit per subsellia habita recitatione. Quid si hoc accipias de auditoribus, quorum culpa non minor quàm eorum qui perperam scriberent, vt sæpiùs dictum antè? optimè verò quadrabit huic interpretationi quod ait, *exultare per subsellia*. nam ea fuit audientium immodestia, vt non solùm inuerecunde acclamarent: sed etiam subsilirent atque exilirent. ideo Plutarchus Περὶ τοῦ ἀκούειν, inter ea quæ vocat τὰ κενὰ τῆς ἀκροάσεως, ponit τὰς κραυγὰς, τοὺς θορύβους καὶ τὰ πηδήματα τῶν παρόντων. qua de re plura dicta sunt ad illum versum, *Ingentes trepidare Titos.*——

leuis.) λεῖος. mollis ac τρυφερός. propriè ὁ παρατετιλμένος, vulsus & resinatus.

Nil ne pudet capiti non posse pericula cano P.) Quinta hæc pars satiræ, ad oratores propriè pertinet: aduersus eos scripta qui tenerum dicendi genus ne in scholis quidem & auditoriorum vmbra ferendum, transferebant in forum, & veras caussas sic agebant tanquam fictas declamationes: vt si in arenam de vita pugnaturi, non veris armis ornati descenderent, sed ludicris & ad ostentationem comparatis ornamentis. Laborasse hoc vitio eam ætatem, neque sine caussa hanc querelam Persium instituisse, en testem exceptione maiorem. Fabius libro IV. cap. II. *Ne sententia quidem velut fatigatum intentione stomachum iudicis reficere dissuaserim*: mox: *quod cùm sit factum*

iis quoque temporibus, quibus omnis ad vtilitatem potius, quàm ad ostentationem componebatur oratio, & adhuc erant seueriora iudicia : quantò nunc faciendũ magis, cùm in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas? capite III. *Plerisque moris est, probato rerum ordine protinus vtique in aliquem latum ac plausibilem locum, quam maximè possint fauorabiliter excurrere. quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, iam in forum venit postquam agere caussas, non ad vtilitatem litigatorum, sed ad patronorum tactationem repertum est.*

cano.) vel verè cano: quod auget πάχος : vel atrato & squallido, reorum more : quæ etiam res canitiem solet accelerare.

quin tepidum hoc optes audire decenter!) quin gloriæ tuæ seruias, & id præcipua cura agas, vt plausum feras : quod institoris eloquentiæ proprium, non viri sapientis. nam vt Quintilianus ait in VIII. vbi res agitur & vera dimicatio est, vltimus esse debet famæ locus. sed quid vocat *tepidum decenter*? placebat legi *trepidum* : quod verbum est Horatij ac Persij. prorsus ita dictum superius, *Ingentes trepidare Titos* : qui locus validè confirmat nostram emendationem. atque hanc lectionẽ inuenimus adnotatam in vno eorum veterum codicum quos à clarissimo Bongarsio accepi. verumtamen & liber ille & cæteræ omnes membranæ quibus vsi sumus, consentiunt cum vulgatis. videtur etiam Sidonius Apollinaris hunc locum imitatus, vt sæpe alios, cùm scribit in epistola ad Faustum libro IX. *quæ-*

nam est cuiquam peritiæ ceruix tanta, quíve hydrops, vt etiam tepida vestra non feruentissimis laudibus persequatur? vocantur autem *tepida* Sidonio, dicta mediocria, nec primæ notæ. ita heic capi ea vox potest: vt sit *audire tepidum decenter*, velle laudari, vel modica laudatione. sensus hic erit: cùm defendens reum capitis criminibus suis infamem, sperare non possis eas acclamationes, quas mereri solet bonæ causæ disertus patronus: tu tamen adeo væcors es, vt ne sic quidem gloriolæ studium ponas: sed omni studio id conaris efficere, vt vel tepidè lauderis, si pleno ore non potes. *tepere, feruere, frigere, & frigefacere*, sic sæpe vsurpantur. alienissimum est quod causæ Pedij Blæsi hoc verbum quidam accommodant. in vniuersum enim loquitur.

Fur es, ait Pedio.) vt Mæuius ac Titius, & apud Græcos Dio ac Plato, apud Arabes Zeidon & Amron, nomina sunt στάσεως atque exempli causa vsurpari solita: sic Pedius heic pro mali oratoris exemplo sumi potest: nam ita Horatius posuit, cuius verbis sæpe loquitur Persius. hoc si sequimur, *Fur es*, interpretabimur, fur est ille à quo dicis inepte causidice Pedi. solent patroni alienam causam sic tueri vt suam: ideo Persius & heic & in sequentibus oratorem non aliter alloquitur, quàm si suam ipse causam ageret. Atq. hoc nomen insulsi causidici eo libentius videtur Persius vsurpasse, quod poterat eadem opera ad Pedium Blæsum facere allusionem: qui, vt narrat Tacitus, Nerone imperante repetunda-

tum postulatus damnatúsque est à Cyrenensibus. nam quod illum ipsum Pedium Blæsum putat vetus interpres intelligi, stare non potest aliter, nisi vt concedamus hunc reum suam per se causſam egisse. magis putem oratorem illum perstringi, qui pro Pedio in senatu orauit.

crimina rasis Librat in antithetis.) non vno modo corrupta erat illorum temporum eloquentia. sed plurimi eo peccabant, quod præcipuam oratoris virtutem ponerent in sententiarum argutiis, quibus naturale orationis robur eneruabatur, vera in pulcritudine in fucum & nugas degenerante. Quintilianus libro primo: *plerique nouorum*, inquit, *omnium operum solam virtutem sententias putauerunt.* & libro VIII. *consuetudo iam tenuit vt mente concepta sensus vocaremus: lumina autem, præcipuéque in clausulis posita sententias: quæ minus crebræ apud antiquos, nostris temporibus modo carent.* posteà: *nunc illud volunt, vt omnis locus, omnis sensus, in fine sermonis feriat aurem.* prætermitto similes locos, quibus cum aliorum eloquentia damnatur à præstantissimo illo doctore: tum imprimis Senecæ, qui id genus sententias plurimum adamauit & sectatus est. huiusmodi sententias Persius heic intelligit, appellatione antithetorum: non quod propriè antitheta & sententiæ illæ sint idem: sed ita exponi id verbum eius ætatis consuetudo postulat: nam sententiæ illæ de quibus diximus, acuta quædam erant dicta & τῇ διανοίᾳ figurata & τῇ λέξει: itaque enuntiabantur per antitheta, isoptota, homœoteleu-

ta, & ſimiles Gorgiæ inuentiunculas. neq. aliud Perſius intelligit, quàm quòd in XI. dixit Quintilianus, *ſententiolis flere.* & quod in XII. *periodis poſtulare.* Sed & ipſa per ſe antitheta, & totus ſimilium figurarum apparatus, ab oratione vbi res agitur & vera dimicatio eſt, ſunt aliena: ideo pronuntiat Dionyſius Halicarnaſſeus, Iſocratis orationē in ſuo genere alioquin præſtantiſſimā, ad pugnam tamen & veras cauſſas futuram fuiſſe ineptam: quia ſeruit apud illum ἡ διάνοια τῷ ῥυθμῷ τῆς λέξεως, & vt eleganter ait, τοῦ κομψοῦ λείπεται τὸ ἀληθινόν. appellat autem antitheta, & totum Gorgiæ artificium, τὰ κομψὰ καὶ θεατρικὰ καὶ μειρακιώδη. rectè ſane. nam vt ait Demetrius, ἡ ὁμοιότης ἡ περὶ τὰ κῶλα καὶ ἡ ἀντίθεσις ἐκλύει τὴν δεινότητα διὰ τὴν κακοτεχνίαν. idem ſemper iudicium fuit ſapientiſſimi cuiúſque viri: qui in ſuis æqualibus hoc vitium acriter reprehenderunt. Extat Philoſtrati ſophiſtę epiſtola ad Iuliam Auguſtam ex qua poteſt intelligi quantopere grauiſſimus cenſor Plutarchus has adfectatas elegantias habuerit exoſas: poſtquam enim probare conatus eſt veteres ſapientes non abhorruiſſe ἀπὸ τοῦ γοργιάζειν, ſubiicit πεῖθε δὴ καὶ σὺ ὦ βασίλεια, τὸν θαρσαλεώτερον τοῦ Ἑλληνικοῦ Γλούταρχον μὴ ἄχθεσθαι τοῖς σοφισταῖς. μηδ' εἰς διαβολὰς καθίστασθαι τοῦ Γοργίου· εἰ δ' οὐ πείσεις. σὺ μὲν οἵα που σοφία καὶ μῆτις, οἶσθα τί χρὴ ὄνομα θέσθαι τῷ τοιῷδε. ἐγὼ δὲ εἰπεῖν ἔχων οὐκ ἔχω.

raſis.) politis nimia arte. tranſlatum ab eborariis, & ſtatuariis. Statius de Phidia,

—— *quod ebur Piſæo pollice raſum.*

librat.) eleganter & aptè. nam Gorgiæ imitatores, non solùm periodos accuratè polibant: sed singulas etiam dictiones ac syllabas in fine periodorum maximè expendebant atq. appendebant, vt exirent tandem illæ figuræ quas adeo affectabant parisa, isocola, homœoteleuta & similes. *libratio* ῥυθμικῆς dictionis propria. sic Hebræi rhytmos suos definiunt. שיהיה הדבור בו במשקל *cuius oratio est librata.* Imitatur Persij hunc locum Hieronymus in epist. ad Pammachium, cùm scribit: *Non pudet Christianos & sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare sententias, quibus loquens magis quàm audiens decipitur.* & sæpius eodem libro.

doctas posuisse figuras Laudatur.) Malim, *doctus.* Iuuenalis, —— *doctus spectasse lacunar.*

an Romule c.) an adhuc vir es? minimè verò, sed mollis & effœminatus. *Romulus* est quiuis Romanorum. mollia facta dictáque nec Romano nec masculi spiritus viro conueniunt. Marcus Antoninus libro II. πάσης ὥρας φρόντιζε στιβαρῶς ὡ Ρωμαῖος τὸ ἄρρην τὸ ἐν χερσὶ μετὰ τῆς ἀκριβοῦς καὶ ἁπλάστου σεμνότητος. quia credebant Romulum vrbi à se conditæ præsidere, ideo bona & mala illi ferebant accepta. inde ista Persij expostulatio. similiter Iuuenalis cum Marte expostulat satira II.

—— *ô pater Vrbis*
Vnde nefas tantum Latiis pastoribus? vnde
Hæc tetigit Gradíue tuos vrtica nepotes.

Men' moueat quippe, & cant.) Quintilianus In-

ſtitutione vndecima: *Commoueatúrue quiſquam eius fortuna, quem tumidum ac ſui iactantem, & ambitioſum inſtitorem eloquentiæ in ancipiti ſorte videat? Non: imò oderit reum verba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui eſſe diſerto vacet.* cauſſam pete ex eodem auctore libro ſexto, & Dionyſio Halic. in Iſocrate. vbi ſic lege hunc locum: χριεντισμὶς πᾶς ἐν σπουδῇ καὶ κακοῖς γινόμενος ἄωρον πρᾶγμα καὶ πολεμιώτατον ἐλέῳ. non vt editum eſt, ἐν σπουδῇ καὶ καλῶς. atque hic eſt, cui vt ait Demetrius Phalereus, ſiue alius eſt eius libri auctor, vetus prouerbium conuenit, ἐν πενθοῦσι γελᾷν. eum vide.

cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes) Quia magis afficiunt quæ oculis quàm quæ auribus percipiuntur: ideo picturam adhibebant ad mouendam miſericordiam, non naufragi ſolùm, quod multi teſtantur, ſed etiam patroni quidam in foro. auctor Quintilianus libro VII. *Sed non ideo*, inquit, *probauerim quod factum & lego & ipſe aliquando vidi, depictam tabulam ſupra Iouem* (is locus in foro) *in imaginem rei cuius atrocitate iudex erat commouendus.* Argumentum tabularum huiuſmodi habes apud Lucianum initio libri de mercenariis conuictorib. ſimiles erant tabulæ quas diis dedicabant & qui naufragio euaſerant, & quicunque alio inſigni periculo fuerant liberati: quocirca dicit Iuuenalis in XII.

—— *pictores quis neſcit ab Iſide paſci?*

hinc eſt ortus ille mos, vt alios taceam, veterum Chriſtianorum, vt qui è morbo conualuerant illi ſancto cuius ope credebant ſe ſanatos dona-

ria

ria suspenderent ex auro vel argento, vel viliore materia, imaginem habentia partis quæ fuerat affecta. narrat Theodoretus octaua Therapeutica.

verum nec nocte paratum Plorabit.) *verum plorare* quod philosophus dixit πεφυκότως, voce significantissima: quasi naturam ipsam flentis assumeret qui flentem inducit. sic apud Dionysium & alios rhetoras ἡ ἐγκθινὴ λέξις, opponitur nimia arte paratæ, & panegyricæ. *nocte paratum flere* Aristoteli πεπλασμένως. sic ille libro II. Rhetoric. διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως. vide locum. Dionysius Halicarnasseus αὐτοφυῶς καὶ αὐτοπραγματεύτως λέγειν significantissimè illud prius de Lysia loquens. eidem *nocte paratum* dicitur ἐκ κατασκευῆς λέγειν καὶ μεμηχανευμένα πρὸς ἀπάτην: qualem ait fuisse Isæi orationem. Quintilianus in X. *Vt illa quæ dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus sumsisse videamur, & oratori & ipsi caussæ plurimum confert: nam & magis mirator, & minus timet iudex quæ non putat aduersus se præparata.*

qui me volet incuruare querela.) Seneca Consolatione ad Polybium: *intelliges non magis tibi incuruari licere, quàm illi, si quis modo est, cuius humeris mundus innititur.* idem lib. III. De ira: *non est magnus animus quem incuruat iniuria.* Græcum est, κάμπτειν. Sidonius imitans hunc locum *inflecti* pro eo posuit, epistola VII. libri primi: *quis super statu eius nimis inflecteretur, quem videret accuratum delibutúmque latumiis aut ergastulo inferri.*

Sed numeris decor est & iunctura addita crudis.) Commodus atque è vicino transitus est à Gorgianis figuris in prosa ad versuum rhythmos: de quib. in sexta hac parte agit. γοργιάζειν in carmine, res vetus: neque enim defuerunt ne inter Græcos quidem vel meliore seculo, qui eam vanitatem in poëmata sua inueherent. Plutarchus professus hostis huiusmodi ineptiarum Aristophani inter cætera obiicit τὸ φορτικὸν ἐν λόγοις & δυσχερὲς καὶ βάναυσον. λέγω δ', inquit, τὰ ἀπήθη καὶ ὁμοιοπτώτα καὶ παρωνυμίας. sed in comœdia quæ pullatæ maximè turbæ iudiciis stat, vtcunque hoc feras: in alio carminis genere odiosa res atq. ridicula: vtiq. in iis prorsus intolerabilis, qui grādia scribere aggressi, maiestatē heroici carminis puerilibus his figuris infringerent. notant sane critici veteres, Maronem cuius iudicium pro lege aliis poëtis esse debet, ne huius generis ὁμοιοπτώτων faceret, cecinisse,

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ:

non autem *timidæ*. Ab hoc autem principio, & ridiculo studio τῶ γοργιάζειν in poëmatis, originem habuerunt versus rhythmici, quos ætate Persij primus vel inter primos vsurpauit Nero. hoc solū differunt Gorgiæ imitatores in versu, ab eiusdem æmulis in soluta oratione: quod hi πλάσεως similitudinem ponebant in fine coli, vel clausula periodi: illi modò in coniunctorum versuum vltimis syllabis: modò in quinto semipede eiusdem versus & fine. sicut ex allatis à Persio exemplis constabit. Sotadicam verò hanc poësim supe-

rius vocabamus, non propter metri aliquam similitudinem: sed propter similiter corruptum fractúmque libidine animum, ex quo manabat hoc dedecus, sicut mox verissimè dicturus est Persius.

Sed numeris d.) Hunc versum profert is qui tota hac satira vulgarium poëtarum causam agit.

decor.) non τὸ πρέπον, sed τὸ κάλλος.

& iunctura addita.) quidam codices *abdita.* inepte. hoc vult iste: priorum temporum oratores ac poëtas artem non tenuisse componendæ orationis: quo nouo inuento recentiorum hominum, quos damnábat Persius, ad perfectionem perducta sit dicendi scribendíque facultas. *numeri crudi* sunt oratio nondum satis expolita, & vt loquitur Plautus, eodem genere translationis vsus, nondum probè cocta. *iunctura* spectatur in cuiuscunque orationis compositione: éstque ea in verbis, incisis, membris, periodis, vt in nona scribit Quintilianus. ita leges apud Græcos magistros dicendi ἁρμογὴν ὀνομάτων, ᾠδὴν λόγων, κῶλων.

Claudere sic versum didicit Berecynthius Attin.) bene mones, inquit respondens Persius: sanè enim præclarè isti de Musis Romanis sunt meriti, qui non contenti solutam orationem corrupisse, etiam poëtices sacra polluerunt, inuento hoc genere nouo versuum rhythmicorũ, cuiusmodi sunt isti Neronis: —— *Berecynthius Attin,*
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

item,

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo..

in primo exemplo ſpectari debent duorum verſuum vltimæ dictiones eodem modo deſinentes: in tribus ſequentibus ſinguli verſus ſuam modulationem intra ſe abſoluunt: éſtque ὁμοιοτέλευτον mutua partium inter ſe, ſicut in aliis, prioris verſus cum poſteriore. hanc ὁμοιοτέλευτον, hoc eſt, deſinentiæ παρόμοιωσιν, & vt rhetores appellant, τὸ ὁμοιοπτωτον ἢ ὁμοιοτέλευτον, hodiernorum idiotiſmorum poëtæ vocant rhythmum, & rhythmicos verſus quibus in pleriſque linguis hodie eſt vſus. at Græcis & eorum diſcipulis Latinis, ὁ ῥυθμὸς τῆς λέξεως longè eſt alius. εὔρυθμον enim illi, hi *numeroſam* aut *concinnam* orationem appellarunt, non quæ referta eſſet periòdis aut colis ſimiliter deſinentibus, cadentibúſve: ſed quæ characteri ſuo conuenientes pedes haberet, nec lege omni ſoluta ferretur præceps. philoſophus in tertio Rhetoricorum τὸ εὔρυθμον & τὸ ἀπερίγραφον opponit vt contraria: idémque τὸ εὔρυθμον & τὸ ἔμμετρον diſtinguit vt diuerſa. volunt enim & Ariſtoteles & omnes doctores eloquentiæ, oratoris dictionem numeris quidem conſtare, & pedibus certis, id eſt rhythmo: at dimenſionem certam, ſiue τὸ ἴσον τῷ ῥυθμῷ nequaquam habere: id enim poëmatis eſſe propriũ. At is qui hodie dicitur rhythmus, in ſyllabarum paritate & ſimilitudine deſinentiæ totus eſt poſitus. nõ dubito verum eſſe quod

ſu prà dicebamus ſuper origine huiuſmodi rhythmorum. etſi fuit Romæ aliquis horum vſus antiquiſſimus, in acclamationibus militaribus: quas Saturnio metro legimus componi ſolitas: hoc eſt ad rhythmum ſolum, vt ait Seruius ad II. Georgicorum. Cùm igitur vitio & affectatione paucorum ſciolorum, ab his principiis corrupta fuiſſet vera ac legitima poëſis, paullatim creſcente imperitorum numero, ſolidaverò eruditione languente, ac tandem deficiente, in locum legitimæ poëſeos, corruptela illius & fucus ſuccedere cepit. Mirus verò gentium conſenſus in poëſeos rhythmicæ, ita enim vocant, amore: nam omnes ferè populi Europæ, Aſiæ, Africæ, ab aliquot retro ſeculis non alios præter iſtos verſus norunt. Hebræi duplici poëſi vtuntur: alteram vocant חרוזה ἁπλῶς, quaſi perforatam dicas, & lineam ductam, quomodo dicimus lineam margaritarum: quia propter χέσιν inuicem verſus connectuntur, atque alter pendet de altero. hæc poëſis vnicam habet obſeruationem, vt prioribus concinant poſteriora, atque ita fiat rhythmus. cui ſimiles ferè erant adclamationes militares primò & theatricæ: deinde etiam ſenatoriæ & ſynodales, vt alibi dicebamus. eſt & alterum operoſioris aliquanto poëſeos apud eoſdem Rabbinos genus, cùm præter rhythmũ, temporum quoq. ac pedum ratio habetur: שיר חרוזה שקול. de Arabum rhythmica poëſi, qua ferè cõtextum eſt Muhammedis Alcoranum, ſi clementiſſimo Deo fuerit viſum,

aliàs disseremus. Ex iis quæ dicta sunt intelligitur quæ fuerit poëseos illius origo, quam hodiernarum linguarum poëtæ colunt. Sed non desunt qui putent, nihil vetare quo minus antiquæ poëticæ leges etiam in recentibus hisce linguis retineãtur. quod cùm in nostra Gallica antè à nonnullis frustra & ridiculè tentatum esset: audet tamen N. Rapinus ingenio fretus quo excellit, idem propositum vrgere: súntq. adeo nobis ab illo ἔμμετρος quædam ᾠδαὶ ostensæ, exquisitissimæ elegantiæ atque ἐμμελέσταται.

Berecynthius Attin.) Sic legendum est: quod pridem monuit Iosephus Scaliger: qui primus huc pertinere vidit Dionis in Nerone verba hæc, ἐκιθαρῴδησεν Ἀττῖνα ἢ Βάκχας. quæ verba cùm aliter legerentur, princeps ille ita constituit doctissima coniectura: veteres & *Attys* dixerunt & *Attin*, vt idem vir diuinus probat. Fabulam Attyos fusè persequitur Arnobius in v.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.) hic versus ei subiectus fuerat à Nerone cuius extrema tantùm verba posuit Persius: ex quib. inepta patet affectatio eiusdem desinẽtiæ. Sed non puto adeo væcordem fuisse, vt integra carmina hoc modo contexuerit, quod fecere postea minores. nimis tamen frequentasse has figuras Neronem certo certius. nam alioquin quem mihi dabis ex primæ notæ poëtis in cuius libris tales versus non possint adnotari? Sed multùm interest fluãt ista sponte sua, an ex affectatione putidula manent. Quare sine caussa Persij de Neronis versi-

bus iudicium doctissimi quidam viri improbarunt, quia meminerant apud Virgilium & alios eximios poëtas, rhythmicos hoc genus versus extare.

Sic costam longo subduximus Apennino.) in penthemimeri & vltima versus est rhythmus. Atque hoc genus carminis ita probatum est, cùm latè regnum occupáret barbaries, vt tota cœnobia τῶν μοναζόντων poëmatis fuerint impleta eiusdem farinæ. exempla adferrem, nisi versarentur in omnium manibus quamplurima, partim sacri, partim historici argumenti. Inuenies & apud optimum quemque veterum similes versus, vti iam diximus, sed raros. Homeri est ille omnium elegantiarum patris:

Εκ γὰρ Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων.

cui versui numerosissimo par est hic Virgilij,

Cornua velatarum obuertimus antemnarum.

Alibi Homerus, Εκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο.

Hesiodus,

Χαίρεις πῦρ κλέψας, καὶ ἐμὰς φρένας ἠπροπεύσας.

idem,

Ἄλλοτε δ' αὖτε λέοντος ἀναιδέα Θυμὸν ἔχοντος.

& alibi quoque similiter. Sic apud Latinum poëtam interdum: vt in III. diuini operis,

Lumina; vidi atro cùm membra fluentia tabo:

& mox,

Nam simul expletus dapibus, vinóque sepultus.

deinde,

Aetnæos fratres cœlo capita alta ferentes. alibi,

Vináque fundebat pateris animámque vocabat.

etiam in duobus iunctis versibus interdum: vt,

Hesperidum templi custos, epulásque draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos.

vtrobique ὁμοιοτελευτον quintus semipes & syllaba vltima. reperias etiam in tribus coniunctis versibus eiusdem desinentiæ ξυνωειαν potius quàm obseruationem, apud Statium in carmine quod inscripsit Abascantij pietas:

Nuntiat è celsis alces Tegeaticus astris:
Quæque cadit liquidas Iunonia virgo per auras,
Et picturato pluuium ligat æra gyro.

similia multa possunt obseruari apud Ouidium & alios omnes antiquos poëtas: quæ operibus illiorum rarò interspersa, venustatis laudem merentur: cùm contrà propter crebram ac continuam id genus figurarum vsurpationem, iure merito censor noster Neronem ac Neronianos poëtas non solùm φορτικοτητος notet, verùm etiam effœminatæ ac flagitiosissimæ vitæ, vt mox videbimus. Quod enim plerique Neronis versuum essent huiusmodi, etiam iste arguit,

Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ:

quem tamen versum Seneca vocat disertissimũ: eapte credo ratione, qua eiusdem principis clementiam alibi dilaudauit.

Subduximus Apennino.) Inuenimus scriptum *à Pœnino.* contra fidem antiquarum membranarum, & auctoritatem Quintiliani. Sic ille libro nono, *Est in eo quoque nonnihil quod singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solùm vbi quina syllabæ nectuntur, vt in*

his fortißima Tyndaridarum : sed etiam vbi quaternæ, cùm versus cluditur Apennino, & armamentis & Oriona.

Arma virum, nonne hoc spumosum & cortice pingui?) Et Nero & similes poëtæ in quos Persius inuehitur, tanta stultitia fuerunt, vt qui omnia faciebant quò tenerum carmen scriberent, egregios tamen diuini Maronis imitatores se putarent iactaréntque. adeo nimirum istis obbrutuerat palatum, vt grandiloquentiam & maiestatem Maroniani carminis se assecuturos sperarent, si nihil eorum negligerent, per quæ lasciuis Romuli nepotibus, Troadibus non Troibus scripta sua placere posse intelligerent. Hunc furorem castigat heic veræ poëseos vindex Persius. Inducit patronum illum malorum poëtarum caussam suam Virgilij auctoritate defendentem: quippe nihil grandius quàm *Arma virum.*

ARMA VIRVM.) Familiarissimum est Hebræis, Græcis & Latinis loquendi genus, cùm à primis libri vocibus totum librum designamus. non malè sic ista accipias: tota enim Æneis magnum spirat, tota est ὑψηλή. sed non malè etiam ad prima illa verba restringas quæ posita sunt, nam Virgilius grande opus aggrediens, verè grandi vsus est exordio, & vt monebat Pindarus, ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον ἔθηκε τηλαυγές. magnitudo hæc in duobus posita, rebus & verbis. vtrumque heic magnificum. ait canere se, quid? *Arma*; nihil nobilius armis: adeo quidem vt multorum iudicio sola arma nobilitent. addit

Virum. quid secundum superos homine præstantius in hac rerum vniuersitate? imo alter mũdus ipse homo est: atqui inter homines pauci viri. Iam si verba spectes, illud insigne quod tantum opus auspicatus est à voce quæ & incipit & desinit in vocalissima omnium vocalium, ARMA. literam verò R quam multi refugiunt vt caninam, quis non videt virilem facere pronuntiationem, sublata omni mollitie?

nonne hoc spumosum.) Meminerit lector eius quod antè monebamus: eum qui Persio contradicit, sic animi sui sensa eloqui, vt verbis tamen vtatur ex mente Persij. inde est quod sublime dicendi genus ita heic exprimit, *spumosum & cortice pingui:* quæ verba vitiosum characterem denotant, non verè grandem, quem iste tamen voluit intelligi: sed ita illum facit Persius loqui de industria: quoniam tumor erat non vera magnitudo pro qua iste pugnabat. ἀφρώδη & spumosa dicuntur aptissimè, quæ magni præter inanem speciem nihil omnino habent.

& cortice pingui.) hoc est φλοιοῦ μεστὸν, aut φλοιώδες. sic enim Græci appellant nugatoria & quæ vitiosa tument magnitudine. Longinus Περὶ ὕψους de Clitarcho: φλοιώδης γὰρ αὐτῷ, & φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα, Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβείας δὲ ἄπαν. *cortex pinguis* hoc loco non est ὁ πίων, qualis est quarundam arborum liber: sed ὁ παχὺς & crassus.

Vt ramale vetus magrandi subere coctum.) Responsio Persij allegorica: metaphoram enim

continuat qua vsus fuerat qui dixerat Virgilij poëmata esse cortice pingui. assentitur Persius, crassum corticem, hoc est τὸ ὑψηλὸν, habere Maronis scripta: sed tumorem vanum illis negat inesse. sublimitatem ostendit operum Virgilij, comparans illa cum arbore grandis corticis: at sublimitatem illam castigatam esse, & veram, non speciem solùm inanem, indicat, comparans eius scripta non cum quauis arbore μεγαλοφλοίῳ: verùm cum illa arbore siue ramo, qui natura quidem magni sit corticis, sed quem longa dies & Solis radij siccauerint, multúmque imminuerint.

ramale vetus.) Ouidius:

Multifidáſque faces ramaliáque arida tecto.

hinc *veternosa ramalia* apud Cassiodorum.

vægrandi ſubere.) non φελλὸν significat heic vox *ſubere*: sed ἁπλῶς quemuis grandiorem corticem, quia suberis longè crassissimus est liber. inde etiam κατ' ἐξοχὴν cortex dicitur. Horatius, *Tu leuior cortice.* quod Græci dicunt, κουφότερος φελλοῦ. sic *natare ſine cortice*, hoc est, αὐτὸν φελλοῦ.

coctum.) quicquid laudare vellent coctum vocabant: vt contrà quæ vituperabant, cruda. modò Persius, *--numeris iunctura addita crudis.* ramorum autem exciſorum cortices soli expositi, humore omni exhauriuntur quo anteà tumebant.

Quidnam igitur tenerum & laxa ceruice legendum?) Colloquentis cum Persio verba. ita autem se ab illo interrogari facit, vt ampliùs posset ipse ma-

los poëtas irridere, pro quibus dicebat ille alter, *laxa ceruice legendum.*) alludit ad recitationes quæ fiebant de scripto. quare Græcis recitatores vocantur οἱ ἀναγιγνώσκοντες. Qui molliter recitabant, etiam ceruicem suo quodam & peculiari modo inflectebant: is quippe mos ac gestus delicatorum & τρυφητῶν. Lucianus de molli sed virum fortem simulante. μυρία ἐστὶ τὰ ἀντιμαρτυροῦντα τῷ σχήματι, βάδισμα καὶ βλέμμα καὶ φωνὴ καὶ τράχηλος ἐπικεκλασμένος. Firmicus Maternus Contra gentes: *Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus, vix caput lassa ceruice sustentant.* Seneca epistola CXIV. de Mœcenate qui etiam in oratione diffluebat. *Incipítque respirans vt ceruice laxa feratur.* Dio Chrysostomus inter mollitiei probrosæ certas notas duobus tribúsve locis τὸ τὴν τράχηλον ἐπικλίνειν posuit. scriptor quoque grauissimus Gregorius Nazianzenus in altera Στηλιτευτικῇ, quo loco signa enumerat in Iuliano sibi notata, ex quibus iam olim erupturam quandoque illius nequitiam prædixerat, omnium primum recenset laxam ceruicem. οὐδενὸς, inquit, ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηστοῦ αὐχὴν ἀπαγὴς, ὦμοι παλλόμενοι καὶ ἀνασκευόμενοι, & quæ deinceps enumerat.

Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.) Ironica Persij responsio. quæris quinam versus pulcri sint iudicandi? qui autem nisi isti, & similes his, *Torua M.* Sunt autem Neronis versus, ex eius Bacchis: cuius carminis etiam Dio nominatim fecit mentionem, vt anteà ostendimus. Laborant verò hi versus eadem illa affectatione

rhythmi, de qua superiùs est dictum. Nihil agunt eruditissimi viri qui Neronem ineptiarum absoluunt, Persium ἀχειρίας damnant, quia Catulli versum è Pelei nuptiis

Multi rauciſonis efflabant cornua bombis,

suo isto sit imitatus. nam Catulli quidem carmen propter hunc versum illius non magis est reprehẽdere, quam formam bonam propter aliquem næuulum. at Neroniana poëſis, quæ tota ex maculis & verrucis erat conflata, quî poterat videri pulcra? quid quod homo furiosus Bacchas non scripsit solùm, sed & saltauit? quod virum grauissimum Persium non paullò magis offendebat, quàm versus eiusdem mali. Adde quod multum interest μᾶλλον ὃ τὸ πᾶν, inter eum qui certo consilio vitia affectat, & pro virtutibus sectatur, & eum cui fortè aliquid exciderit negligentius ac molliusculum.

Torua.) pro torta. etiam veteres magistri exponunt *torvum* λοξόν.

Mimalloneis.) Nonnus,

Βακχιὰς ἀκρήδεμνος ἐπεκροτάλιζε Μιμαλλών.

lege Strabonem lib. x.

bombis) Tubarum & instrumentorum sonos Latini bombos vocant aliter quàm Græci. inde apud Seruium, *bombi organariorum.*

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo.) *vitulus*, est Pentheus, propter adiectam vocem *ſuperbo*. vel est ταῦρος ὕβεισης: nam etiam apud Euripidem Bacchæ vitulos occidunt vaccas & tauros:

——— αἱ δ' ἠμιθήλεις χλόης

Μόσχοις ἐπῆλθον χερὸς ἀσιδήρου μέτα.
Ἄλλας δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασι

posteà:

Ταῦροι δ' ὑβρισταὶ κ' εἰς κέρας θυμούμενοι
Τὸ πρόσθεν, ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας,
Μυριάσι χερῶν ἀγόμενοι νεανίδων.
Θᾶσσον δὲ διεφορεῦντο σαρκὸς ἔνδυτα
Ἢ σὺ ξυνάψαις βλέφαρα βασιλείοις κόραις.

ex his versibus possumus interpretari Neronis verba *vitulo superbo*. Atque hinc intelligimus Bacchas Neronis eiusdem argumenti fuisse cum Bacchis Euripidis.

Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.) Fingunt poëtæ currum Bacchi à lyncibus trahi. Nero autem fecerat lyncibus vehi Bacchas, tantáq. facilitate animal ferum ab illis regi, vt pro frenis essent ipsis hederæ. nam *flexura* heic est ἡνιοχήσουσα, vt rectè quidam sunt interpretati. corymbi συνεκδοχικῶς pro tota hedera, non enim κυρίως accipiendum. Hoc autem spectat eò, vt diuino afflatu furere Bacchæ probarentur, non impulsu humano ferri. in quam sententiã multa apud Euripidem. Porro hic & sequens versus rhythmo non peccant ita vt præcedentes: molles tamen & vitiosi sunt, nec planè rhythmo destituti. verùm heic τὸ ὁμοιοτέλευτον in disiunctorum versuum fine spectatur, non vt antè in continuorum clausula. Duplex σχέσις siue καταλήξεως ταυτότης in his quatuor Neronis versibus. duorum priorum vterque in penthemimeri & fine propriam modulationem habet. sed hoc am-

plius primus & tertius ſimiliter deſinunt, *bombis* & *corymbis*: item ſecundus & quartus, *ſuperbo*, & *Echo*. hoc malo ſequi nunc, quàm quod aliquãdo ſum ſuſpicatus, ſecundi & tertij verſuum Neronis permutatas ſedes fuiſſe, cùm auctor feciſſet hoc modo:

Torua Mimalloneis impleuit cornua bombis
Baſſaris: & lyncem Mænas flexura corymbis:
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Euion ingeminat: reparabilis adſonat Echo.

Mænas.) Philo, Περὶ φυτουργίας: τὴν ἀρετὴν τῆς περὶ τὸν οἶνον ἐργασίας μαινομένην ἐκάλεσαν οἱ πρῶτοι, καὶ τὰς ἐξ αὐτοῦ κατασχέτους γενομένας Βάκχας, Μαινάδας.

Euion ingeminat.) Euripides:

——— αἱ δὲ τὴν τεταγμένην
Ὥραν ἐκίνουν θύρσον εἰς βακχεύματα,
Ιακχον ἀθρόῳ στόματι τὸν Διὸς γόνον
Βρόμιον καλοῦσαι. πᾶν δὲ συνεβάκχευσ' ὄρος
Καὶ θῆρες. ———

clamabant autem εὐοῖ, εὐοῖ, *Euohe Bacche pater.*

reparabilis adſonat Echo.) Auſonius, *reſonabilis Echo.* ac Calphurnius ecloga v.

——— *reparabilis inchoat vmbras.*

Hæc fierent ſi teſticuli vena vlla paterni Viueret in nobis?) hoc eſt, ſi quid in nobis virilis roboris maneret, vt loquitur Quintilianus libro 1. Petronius: *Si quid ingenui ſanguinis habes, non pluris illam facies, quàm ſportam: ſi vir fueris, non ibis ad ſportam.* Philo Iudæus de mollibus loquens: οἱ νόσον θήλειαν νοσεῖν ἐθιζόμενοι, τάς τε ψυχὰς καὶ τὰ σώματα διαῤῥέουσι μηδὲν ἐμπύρευμα τῆς ἄῤῥενος γενεᾶς ἐῶντες

ὑποτύφεσθαι. Persij verba Seuerus Imp. eleganter retulit ad corruptam maiorum disciplinam, in epistola quam refert Spartianus. Non est autem minus verum quàm graue & seuerum sophi huius de caussa corruptæ poëtices iudicium. nam plane ita est à natura comparatum, vt sit oratio veluti speculum morum, & intimorum animi affectuum: atq. vt Græcorũ est prouerbium, οἷος ὁ βίος, τοῖος ὁ λόγος. neq. existimare debemus distinctum, solutum, ac Sotadicum genus dicendi ab animo sobrio, composito aut casto posse proficisci. Quare inter cætera argumenta quibus pij patres impietatis nefariæ reum peregerunt infelicem illum Arium, etiam hoc fuit, magni à mano præsertim Athanasio æstimatum: quod de re omnium maxima soluta atque in modum canticorum fracta oratione tractasset. eiusmodi namque fuit eius Thalia: sicut alibi, cum bono Deo, ad lucem multorum locorum Athanasij, & aliorum patrum quos parum cepere magni nominis viri, multis probabimus.

summa delumbe saliua Hoc notat in labris.) adeo, inquit, vir non est Nero, vt mollitie certet cum fœminis. itaque nihil mirum si eius poëmata vt Mænas, id est, Bacchæ, & Attin elumbia sint atque eneruata. nam vox ipsa illius loquentis non virum notat, sed fœminam. solent enim & fœminæ delicatiores, & earum æmuli viri loquelam non ex imo pectore, vt Homerus ait, petitam edere: sed in extremis labris formatam. hoc cum Neroni exprobrat Persius, simul scri-

scriptorum & vitæ totius mollitiem illi obiicit. *delumbe hoc*, id est delicatuli huius poëtis. *natat summa saliua in labris*: id est, nullum habet solidæ eruditionis fundamentum: sed in extremis labris ex superficiaria doctrina quadã nascitur temerè, & sine arte. Quintilianus lib. x. cap. III. *sine conscientia profectus non à summo petiti, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modò loquacitatem dabit, & verba in labris nascentia. illis radices, illis fundamenta sunt: illis opes velut sanctiore quodam ærario reconditæ.* sic λέγειν ἀπὸ τῶν χειλῶν & λέγειν ἀπὸ τῆς διανοίας opponit Epictetus apud Arrianum, libro secundo, capite XVI. qui locus huic illustrando est appositissimus.

& in vdo est Mænas & Attin.) & coria, & multa alia aquæ immersa & madefacta robur suum ac τόνον priorem amittunt, fiúntque languida & mollia. ex eo dixit poëta, *in vdo esse* pro ὑγρὸν εἶναι, molle, fœmineum atque eneruatum, neque vllo partum labore.

Nec plutcum cædit, nec demorsos sapit vngues.) idem dicit, sed aliter. negat enim Neronis ac similium scripta oleum redolere & lucubrationem solicitudinémque verè doctorum: sed leuium esse hominum, qui animi solùm caussa & vt viderentur docti, literas tractarent. Quintilianus libro x. capite tertio: *Tum illa quæ apertiorem animi motum sequuntur quæ ipsa animum quodammodo concitant, quorum est, iactare manum, torquere vultum simul, & interim obiurgare, quæque Persius notat cùm leuiter dicendi genus significat.* Nec

pluteum, inquit, cædit, nec demorsos sapit vngues: etiam ridicula sunt, nisi cùm soli sumus.

Sed quid opus teneras mord.) Hactenus rationibus conatus est Persij monitor, à proposito eum dimouere: quibus cum nihil se intelligeret proficere, palàm minas intentat in septima hac parte.

mordaci radere vero.) Græcorum est prouerbium, τὸ ἀληθὲς πικρόν. apud Socratem historicum, & alios Græcorum. Dio Chrysostomus initio Troici: τὸ μὲν ἀληθὲς πικρόν ἐστι καὶ ἀηδὲς τοῖς ἀνόητοις. τὸ δὲ ψεῦδος γλυκὺ καὶ προσηνές. hanc persuasionem vt ex animis hominum delerent Ægyptij, sacra Mercurio instituerunt facere XIX. die primi mēsis, in quibus mel & ficus edentes dictitabant DVLCIS VERITAS. Plutarch. De Iside & Osiride: Τῇ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ πρώτου μηνὸς ἑορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ μέλι καὶ σῦκον ἐσθίουσιν ἐπιλέγοντες, ΓΛΥΚΥ ΗΑΛΗΘΕΙΑ. huic Ægyptiorum consuetudini, adfinis est ritus Iudæorum vescendi intybis & aliis herbis amaris cùm Pascha celebrarent: quod Hebræi ἑλληνίζοντες dicunt, τὸ ἐπὶ πικρίδων τὰ ἄζυμα ἐσθίειν. Lege Philonem, Περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου: & Iosephum Scaligerum in sexta Emendatione temporum. Præclarè Augustinus in epistola ad Romulum: *Veritas & dulcis est & amara, quando dulcis est, parcit: quando amara, curat. si non recusas bibere quod in hac epistola offero, probabis quod dixi.* Adi B. Hieronymum in illa verba, sub finem Ecclesiastæ: *Verba sapientum vt stimuli.* sic & reliquæ virtutes corru-

ptis hominum iudiciis amaræ censentur, vitia dulcia. caussam affert Ioannes Chrysostomus homilia v. in posteriorem ad Titum. tangit & Persius heic: *teneræ* enim *auriculæ* sunt quæ appellat Chrysostomus corrupta αἰσθητήρια, & τὴν τῶν κακουμένων διαστροφήν. at contrà in v.

Stoicus hic aurem mordaci totus aceto.

de eo qui & audire & dicere verum libenter solet. sic δάκνειν apud Græcos, & apud Sidonium *piperata dicta* & *piperata facundia*. Erat autem è Stoicorum scitis hoc vnum, omnes sapientes esse austeros, & illis similes vinis, quæ medicaminis vim habent ad compotationes inepta. Diogenes Laërtius in Zenone: φασὶν αὐστηροὺς εἶναι πάντας τοὺς σπουδαίους, τῷ μήτε αὐτοὺς πρὸς ἡδονὴν ὁμιλεῖν, μήτε παρ' ἄλλων τὰ πρὸς ἡδονὴν προσδέχεσθαι. ὡς ἄλλως δὲ εἶναι αὐστηρὸν (τὸν σοφὸν) παραπλησίως λεγόμενον τῷ αὐστηρῷ οἴνῳ, ᾧ πρὸς μὲν φαρμακοποιΐαν χρῶνται, πρὸς δὲ πρόποσιν οὐ πάνυ. ita scribendus hic locus. atque ad hoc Stoicum dogma allusum videtur à Persio illo versu satiræ v.

Vide sis, ne maiorum tibi forte Limina frigescant.

ne incipias potentibus ac Neroni imprimis odiosus esse. refer ad quotidianarum salutationum morem. nam qui parum grati erant durius tractabantur ab ostiariis & admissionum magistris. hoc vocat Persius eleganter, *limina frigescere*, translatum à cibis pridianis & frigidis, qui minus placent. vnde & Græcorum prouerbium: qui cùm aliquid eleuarent soliti dicere, ad forum frigidorum ciborum id pertinere. Plutar-

chus De communibus notionibus contra Stoicos: ταυτὶ μὲν εἰς τὴν τῶν ἑώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν εἰ βούλει παρώμην. ἐν δὲ τοῖς ὡς ἔνι μάλιστα πραγματικοῖς καὶ μετὰ σπουδῆς λεγομένοις ποιησώμεθα τοῦ λόγου τὸν ἐξετασμόν: *Maiores* vulgò Latinis οἱ προγενέστεροι: heic aliter: *maiores* enim dixit pro eo quod Horatius, *maiores amici*.

sonat heic de nare canina Littera.) *heic*, id est, in liminibus Neronis ac procerum. *sonare litera canina* dicitur, cùm irritatus aliquis minas funditat. propriè in canibus hirrientibus locum habet. non incommodè Persio possent hæc verba tribui: tum autem *heic* fuerit, in tuis verbis mi monitor. sensus erit, intelligo quid velis: periculum enim præsens denuntias, si in proposito permansero. priorem interpretationem iure aliquis præferat.

Per me equidem sint omnia protinus alba.) Non discedit Persius à familiari sibi ironia, de qua superiùs diximus. *alba*, id est, approbatione & laudatione digna. Saresberiensis libro VIII. *Omnia maiorum alba sunt & decora: nihil in eis est, quod canino morsui pateat, aut sannam vt Satiricus ait, posticam mereatur.* omnia ista ex Persio.

Nil moror.) omnem iam pono curam publicos mores carpendi, ac proinde satiræ scribendæ.

euge omnes, omnes bene miræ critis res.) adeo censoris tristem personam exui, vt contra laudare ex æquo omnes, bene aut secus vitam instituentes, sim paratus. obiter ostendit poëta qui-

bus artibus tenuioris sortis homines procerum amicitiam sibi conciliarent ac seruarent: assentatione videlicet, cùm omnia illorum dicta factáque laudarent, ac mirari se dicerent. Porro hic versus insuauis, durus ac planè ridiculus est. nam quis ita loquitur, vt de iis quos vult laudare dicat, *vos estis bene miræ res:* deinde monosyllaba quæ versum claudit omnem illi concinnitatem adimit. Quid igitur? an ridiculus Persius talis versus auctor? minimè verò. quin eo maiore dignus laude, quo duriora hæc sunt atque inconcinniora. de industria enim persæpe Satirarum scriptores in vitiis obiurgandis elegantiam refugiunt, & de re ridicula pene ridiculos versus scribunt: non quia nõ possint meliores: sedvt hoc quasi cõtemtu suæ existimationis, ex animo se scribere probent, & qui reprehenduntur agnoscant, nihil ea scriptione quæri præter ipsorum emendationem. Horatij fuit hæc mens, cùm satirarum poëtæ sic præciperet in decima libri primi.

Et sermone opus est modò tristi, sæpe iocoso,
Defendente vicem, modo rhetoris atque poëtæ,
Interdum vrbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consultò.

quod aliis præcepit, ipse in eo argumento tractando seruauit: suis inquam viribus pepercit, eásque consultò extenuauit: vt nemo facilè lyricum Horatium in Satiris agnoscat. cùm igitur Horatio suo heic obtemperauit Persius: tum etiam Chrysippo item suo, qui in primo de rhe-

torica disertè scripsit, sapientem de virtute scribentem non illas solùm minutas rhetorum præceptiunculas insuper habiturum, quibus cauendum præcipiunt vocalium concursum, & si quæ sunt similia, sed & maiora quædam alia in oratione peccaturum, solœcismos etiam interdum admissurum, quorum alios puderet. Chrysippi verba sunt hæc apud Plutarch. Οὐ μόνον ταῦτα (loquebatur περὶ τῆς τῶν φωνιέντων συγκρούσεως) παρετέον τοῦ βηρτίονος ἐχομένους, ἀλλὰ καὶ ποιὰς ἀσαφείας, καὶ ἐλλείψεις, καὶ νὴ Δία σολοικισμοὺς ἐφ' οἷς ἄλλοι ἂν αἰσχυνθείησαν οὐκ ὀλίγοι.

Hoc iuuat?) Legendum cum interrogatione, vt apud Horatium vnde sumsit. postquam dixit se omnia & omnes paratum laudare, An, inquit, placet hoc vobis? vt si dicat: nimirum hoc vultis, & hoc exigitis à clientibus amicísque minoribus vestris, vt vestra omnia assiduè mirentur. *Iuuare* Latinis sæpe est non βοηθεῖν, sed delectare. sic Græcis ὠνεῖν. verùm aliter construunt. in Apologia Socratis apud Platonem, ὡς ὤνησας. *quam me iuuit hæc tua responsio.* non vt est editum ὤκνησας.

hîc, inquis, veto quisquam faxit oletum.) ἐπιμονή. hanc procerum Romanorum mentem pluribus verbis explicat. nempe hoc ais, pro sacrosanctis haberi velle Neronem & illi similes proceres: atque vt grande nefas existimatur, si quis in loco sacro aluum exonerauerit, aut minxerit: sic postulare istos, vt pari religione caueant omnes vel loco vel serio ipsos carpere. *facere oletum*, vnica voce dicitur *oletare* in antiqua lege apud Frōtinū.

Pingue duos angues:) Appone indicium loci consecrati deûm vel heroum alicui. eius rei symbolum apud veteres fuit anguis, vt notum est. Aristophanes Pluto: Ἐξῃξάτην οὖν δύο δράκοντ' ἐκ τοῦ νεώ. vbi vides eundem numerum atque heic. Scholiastes: κοινῶς πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο. alibi de his plura.

pueri, sacer est locus: extra M.) Calphurnius ecloga secunda:

—— *ite procul, sacer est locus, ite profani.*

extra Meiite.) Summæ impietati tribuebant veteres, in loco sacro vrinam facere: quod tamen per lasciuiam à multis fieri solitum legimus apud Aristophanem, Iuuenalem, alios. Plutarchus de Chrysippo loquens: ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ πάλιν Περὶ φύσεως λέγει. καλῶς μὲν ἀπαγορεύειν τὸν Ἡσίοδον εἰς ποταμοὺς ἢ κρήνας οὐρεῖν· ἔτι δὲ μᾶλλον ἀνεκτέον εἶναι τοῦτο τοῦ πρὸς βωμὸν οὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα θεοῦ· μὴ γὰρ εἶναι πρὸς λόγον εἰ κυνὲς καὶ ὄνοι τοῦτο ποιοῦσι, καὶ παιδάρια νήπια, μηδεμίαν ἐπιστροφὴν μηδ' ἐπιλογισμὸν ἔχοντα περὶ τῶν τοιούτων. ita scribendus hic locus. Porro eadem reuerentia posteà etiam simulacris statuísq. principum est exhibita: vnde sub malis principibus calumniandi occasio delatoribus: vt probat exemplum quod in Caracallo narrat Spartianus.

secuit Lucilius vrbem.) posita ironia consilium prius suum exemplo Lucilij atque Horatij confirmat.

vrbem Te Lupe, te Muti.) irrisit & Romani populi publicos mores, & nominatim primores populi.

& genuinum fregit in illis.) enallage personæ poetica, pro in vobis. *fregit* pro tanta vehementia infixit vt frangeret. δύο δι' ἑνὸς, vt sæpe. sic in symbolo Pythagoræ, ὀδόντας μὴ καταγνύειν. ita ferè Iuuenalis, *frangere subsellia* de magno plausu. Terentius Adelphis, *colaphos infregit.*

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico T.) *vafer*, *callidus* & *solers*, cum infinitiuis apud Persium, nihil aliud nisi Græcorum δεινός. τὸ *ridenti* accipe pro συμπαίζοντι. leuiter enim mutat illud Horatij, *ridentem dicere verum.*

& admissus circum præcordia ludit.) ὑπομαγή. ludendo admittitur circum præcordia. admittere circum præcordia, Homero, ἐνὶ φρεσὶ κατθέσθαι.

Callidus excusso populum suspendere naso) notissimum & hodiéque vsitatissimum sannæ genus, cùm aliquid eleuantes caput quatimus sursum versus: quem gestum mirè expressit post Horatium Persius, verbo *suspendere.*

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?) Plena modestiæ oratio. sic enim loquitur, quasi futurum sit ipsi satis, inter amicos familiares de corrupta à Nerone & Neronianis poësi intra priuatos parietes conqueri: quod minus est eo quod Lucilius & Horatius voluerunt sibi licere. *men'* vetus lectio non *me.* idque multò melius. *cum scrobe* ἀκύρως pro in scrobe. Ausonius Paulino:

Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit: idq; diu texit fidissima tellus.

Hic tamen infodiam.) ἐναποθήσω τῇδε τῇ δέλτῳ.

quamuis te dissuadente, ego tamen iudicij mei testem satiram scribam: non vt eam temerè in lucem edam: sed quia vocem rumpere amor rectæ eruditionis, præ indignatione æquissima, me cogit. *hic*, id est, in hoc carmine, siue hoc libro, non autem in scrobe: ideo sequitur, *vidi vidi ipse libelle. infodiam*, id est, cõsignabo & huic chartæ credam, deinde eam occulam ac quasi aggesta humo obruam. duas enim actiones vox ista hic denotat: quarum vtramque exponit Ouidius in XI. Metam. de tonsore Midæ loquens. alioquin *infodere*, siue καταχωννύειν pro arcanum diligenter celare ponitur. Ioannes Chrysostomus in III. ad populum Antiochenum homilia: ἂν ἄρα ποτε τὸ δόξῃ ἀνέχεσθαι τῶν ἑτέροις λεγόντων κακῶς, κατάχωσον, ἀπόκτεινον τὸ λεχθὲν, λήθῃ παράδος.

Vidi, vidi ipse libelle, Auriculas asini Mida rex habet.) Apud Ioannem Saresberiensem lib. III. scribitur, *Auriculas asini Midas habet.* sed aliter in antiquissima Persij vita. idque melius: nam priorem eius vocis Græci, Latiníque corripiunt. Homerus,

Χαλκῆ παρθένος εἰμὶ Μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.

Ouidius: *Vnius sermone Midæ.* reddidimus autem Persio suam scripturam: quam à Cornuto interpellatam Neronis metu, perpetuo exulare à sua sede iniquum erat. Et mirum profectò posteriorum criticorum extitisse neminem, qui ad huius rei absurditatem animum aduerteret. nihil enim Cornutum impulit vt audaculus heic esset & manum Persij sollicitaret, nisi quod me-

moriæ illius, & domui vniuersæ, atque adeo sibi ipsi qui fuerat eius præceptor, timebat. tolleres timendi causſam: nihil mutaſſet. nihil igitur iam mutemus: qui eius faciendi causſam nullam habemus. Porrò his paucis verbis ſumma ac præcipuus ſcopus primæ huius ſatiræ continetur: breuiſſimo enim hoc elogio ſuum oſtendit iudicium de Neronis poëſi, & omnium qui eius exemplum ſequebantur. ſed animi ſui mentem allegoria pulcherrima extulit. τὸ ῥητὸν & verba tonſori Midæ conueniunt: de quo Naſo,

——*ſecedit humúmque*
Effodit: & domini quales aſpexerit aures
Voce refert parua: terræque immurmurat hauſtæ.

ſed tum dicendum fuerat *ô ſcrobs*: pro quo dixit *ô libelle*, cæterum ἡ διάνοια & poëtæ mens ſic poſtulant verba accipi, quaſi eſſet ſcriptum: etſi palàm quod ſentio dicere non licet: ego tamen profiteor, atque huius mei iudicij te, mi libelle, teſtem apud poſteros eſſe cupio: profiteor inquam de Nerone & Neronianis, qui ſacra Muſarum turpiter inquinant, ita iudicare me, vt meros eſſe aſinos pronuntiem.

hoc ego opertum Hoc ridere meum tam nil) Concluſio hæc eſt vltima totius deliberationis, quæ hactenus eſt agitata. referri autem hæc verba debent ad illa præcedentia:

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint. —— ibi dicebat ideo damnari conſilium ſuum de ſatira ſcribenda ab illo ſuo monitore, quia proceres Rom. vel La-

beonis Iliadem ipsius satiris essent antepositurі: nunc postquam caussas sui consilij fusè explicauit, negat se velle cum quoquam eorum poëtarum qui vulgò accepti essent has suas satiras commutare. nimirum pluris faciebat Persius generosam qua vtitur in hoc libro in carpendis vitiis libertatem: quàm cuiusquam gratiam, aut spem vllorum commodorum. viri magnanimi hæc certa nota. Dio Chrysostomus in ea de inuidia, ὁ πρὸς δόξαν ἀνδρεῖος καὶ μεγαλόφρων οὐκ ἂν πρόοιτο τὴν ἐλευθερίαν τὴν αὑτοῦ καὶ τὴν παρρησίαν, πρὸς πινος ἀπίμου χάριν, ἢ δυνάμεως, ἢ χρημάτων. Labeo heic in exemplum nominatur, eorum poëtarum qui tunc florebant & gloria & gratia. sed eius nominatim fit mentio propter superiorem versum. strenuè enim errant, qui ad Neronis Iliadem hunc locum referunt. Satiras eleganter σεμφαίζει duabus adhibitis notis: quod sit carmen opertum, & ad mouendum risum appositum. quàm belle hæc naturam eius generis carminum aperiunt? qua de re dictum est suo loco. *opertum* translata vox à sacris opertaneis, quæ μυστικὰ Græcis: vbi obscurè & δι' αἰνιγμῶν res diuinæ significantur. *ridere meum* τὴν ἐμὴν παρρησίαν καὶ ἐμπαιγμόν. *tam nil*, quod initio huius deliberationis tantopere eleuabas vulgi iudicum secutus.

nullâ tibi vendo Iliade.) πρὸς οὐδεμίαν σοι ἀλλαξαίμην Ιλιάδα. Montes auri non meream vt mutato ingenio fierem Labeo, vel quilibet alius ex istis ineptis poëtis, qui assentando & miserè versificando Neronis amicitiam nacti, vulgò ceu beati

prædicantur. Digna vox generoso animo: qualis illa Promethei ad Mercurium apud Æschylum:

Τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυσπραξίαν
Σαφῶς ἐπίστασ', οὐκ ἂν ἀλλάξαιμί ἐγώ.

Audaci quicunque afflate Cratino.) In hac vltima satiræ istius parte philosophos imitatur Persius: quos persæpe est videre qualem lectorem desiderent, quibus scripserint, & vt philosophus loquitur, quis futurus sit οἰκεῖος ἀκροατής, diligenter explicare. Facit hoc Aristoteles in primo Nicomacheorum libro. Strabo etiam accuratè in primo ἐν γεωγραφουμένων. sic & Galenus non vno loco, Simplicius in Epictetum, cùm initio tum alibi, atque alij magni scriptores. simul verò Persius ad illa monitoris sui superiora verba, *Quis leget hæc?* serio respondet: Mea, inquit, leget is qui scriptis Eupolidis, Cratini & Aristophanis, ac reliquorum priscæ comœdiæ poëtarũ fuerit innutritus. hos enim in suggillandis vitiosis hominibus imitamur: hinc toti pendemus.

audaci Cratino.) verè audaci. omnium enim veteris comœdiæ poëtarum Cratinus liberrimus fuit, vel potius maledicentissimus: & qui conuitia, quibus refertæ erant illius comœdiæ, nullo sale condire curaret: quod Eupolis & Aristophanes studiosissimè fecerunt: sed aperto capite, quod aiunt, cum vitiis manum consereret. Aristophanis scholiastæ: Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς ἅτε δὴ κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις (fortè, κατὰ τὰ Ἀρχ. ζήσας ἔτη) αὐθηρὸς τὰς λοιδορίας ἦν. οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπέτρεπεν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι

ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν. ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.

adflate Cratino.) Familiaris Persio enallage. *ô quicunque afflate Cratino*, pro ô tu quicunque es afflatus Cratino. in tertia:

Censorémve tuum vel quod trabeate salutas.

dicitur autem *afflatus Cratino* is qui Cratini fabularum lectione assidua fuerit affectus, & amorem virtutis inde conceperit. translatum ab animalibus quæ τῇ ἐντὸς αὔρῃ προσπνέουσιν, vt loquitur Hippocrates in epistola ad Crateuam. vel à pratis, quemadmodum de Platonis dictione dixit Dionys. Halic. ὥσπερ ἀπὸ τῶν εὐωδεστάτων λειμώνων αὔρᾳ τις ἡδεῖα ἐξ αὐτῆς φέρεται. sed Græci auram appellāt & afflatum vim omnem quæ ab alio in alium transit: vt cum, exempli caussa, consuetudine sapientum sapientes fimus, doctorum docti. sic ait Philo, De insomniis, sapientem spiritum quendā longè latéq. fundere quem attrahentes eius vicini meliores mores assumant: ὅσοι γείτονες, ait, καὶ ὅμοροι σοφοῦ τῆς ἀπ' αὐτοῦ σπῶντες αὔρας ἐπὶ μήκιστον χρονίως βελτιοῦνται τὰ ἤθη. inde passim apud illum leges, τῆς ἀρετῆς αὔρᾳ ἐπιπνεῖσθαι, & αὔρᾳ τῆς ἐπιστήμης καταπνεῖσθαι, ac similia multa. sic αὔρᾳ συνέσεως apud Epiphanium: *veritatis auram colligere*: apud Lactantium, in tertia Institutione. & *veritatis odore afflari*, eo sensu idem in VII. Vt autem *afflari à Cratino*, hoc est, scriptis Cratini dixit Persius: sic πνεῖν τὰ βιβλία dicuntur Græcis. Origenes in extremo operis contra Celsum, τοῦ ἐντυγ-

χανόντος ἐστι τῷ ἐκείνου συγγράμματι καὶ οἷς ἡμεῖς κατ' αὐτοῦ ὑπηγορεύσαμεν, κρίναι ὁπότερα μᾶλλον πνεῖ τοῦ δεινοῦ θεοῦ. quod aliter accipiendum, quàm apud Dionysium Halic. cùm Xenophontem ait πνεῖν, siue ἐμπνεῖν. hoc est ad sublimiorem stilum paululum accedere. κἄν ποτε, inquit, διεγεῖραι βουληθείη τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα ταχέως σβέννυται. sed quod heic verbo afflari significatur, id Græci solent exprimere voce προσαναχρώννυσθαι, quasi colorem aliquem induceret assidua & attenta lectio: vt in IX. Symposiacorum Plutarchi, καὶ πρὸς τοῦτο παίζειν Γλάτωνα τῇ Ὁμηρικῇ νεκυίᾳ προσαναχρωννύμενον.

Iratum Eupolidem.) Cogitandum cur Eupolidem vocet *iratum*, quem testantur veteres critici remissiorem & Cratino fuisse & Aristophane. iocis enim ac salibus abundasse, qui non conueniunt iratis: sed scribunt alij aliter: primum Aristophanem modestiæ aliquid & grauitatis veteri comœdiæ attulisse, quam ante ipsum, & Cratinus & Eupolis contumeliis in omnes implessent, πικρότερον καὶ αἰσχρότερον ἢ ἔδει. An *iratum* dixit pro tristi ac seuero? quod epithetum commune est omnium qui vitia reprehendunt. an ad peculiarẽ aliquam illius fabulam respicit, cuius scriptionem susceperit iratus?

prægrandi cum sene.) Aristophane: quem senem vocat ob monendi increpandíque partes, quas sustinet in fabulis. sic senem Horatius vocat Lucilium, non propter ætatem: sed propter grauitatem argumenti in quo se exercuit. nam

Lucilium annum ætatis XLVI. non exceſſiſſe teſtis Euſebius in Chronico.

palles.) Eleganter: *iratum Eupolidem palles*, pro ſtudioſè adeo verſas, vt pallorem inde contrahas. vel ſic accipe: inuehentem acerrimè contra improbos ciues & vitioſos legis ἐμπαθῶς, & afficeris, quaſi præſentem téque ipſum increpantem audires. hæc efficacia eſt ſublimis eloquentiæ, ſiue oratorem legas, ſiue poëtam vt docet etiam Longinus.

ſi forte aliquid decoctius audis.) electum à ſe auditorem inuitat ad lectionem ſuarum ſatirarum: ſed ita vt ab inſita modeſtia non diſcedat. lege hæc, inquit, ſi tamen eſt aliquid in his tua lectione non indignum. ſuprà idem:

——*ſi forte quid aptius exit.*

eſt autem *decoctius* idem ac elaboratum diligentius: vt vnguenta quæ eo ſunt acrioris odoris quò diutius coxerint. vel accipe pro caſtigatius, limatius. *decoquere* eſt minuere, detrahere: vt minuit aqua dum coquitur. ita & docti ſcripta ſua vbi ſemel illa effuderunt, diligenter caſtigant plurima detrahendo: cuius decoctionis nobiliſſimum exemplum in diuino Marone: nam hîc mane componere ſolitus quinquagenos aut plures eo verſus: quos opera veſpertina redigebat ad denos aut duodenos. Quintilianus libro II. cap. IV. *Materiam eſſe primùm volo vel abundantiorem atque vltra quàm oporteat fuſam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel vſu ipſo deteretur.* Sidonius ad Probum libri II.

initio : *cùm ille adhuc atatulam noſtram, mobilem, teneram, crudam modò caſtigatiora ſeueritate decoqueret, modò mandatorum ſalubritate condiret.* tranſlatio eſt elegans. at Cicero longè aliter voce eadem vſus: cùm in tertio de oratore vult oratorem habere *ſuauitatem auſteram & ſolidam: non dulcem atque decoctam.* ſumſit autem à vino non ſolùm colari, verùm etiam decoqui ſolito ad delicias, vt omnem auſteritatem poneret: quod inter luxuriæ corruptelas veteres ſcriptores ſæpe ponunt.

Inde vaporata lector mihi ferueat aure.) opto contingat mihi ſtudioſus & frequēs lector ex eorum numero, qui aureis purgatas habent lectione diligenti veteris Græcorum comœdiæ. τὸ *ferueat* vel aſſiduitatem lectoris alioquin rari poteſt denotare; vel numerum & frequentiam. *feruere* enim & negotium dicitur, quod vrgetur diligenter: & forum, cùm eò concurritur à multis. *vaporatam aurem*, dixit ad medicorum καταμονὰς ac fotus alludens. in quinta: *purgatas inſeris aures.*

Non hic, qui in crepidas Gr.) dixit à quibus ſua velit legi: nunc dicit à quibus nolit. illorum duo genera facit: priore loco eos ponit, qui odio Græcorum omnem tranſmarinam ſapientiam oderant ac ludibrio habebant: deinde illos, qui omne in vniuerſum philoſophiæ ſtudiū damnabant, & illius magiſtros ac ſectatores irriſui habebant. iſtos à libelli huius lectione ſummouet Perſius, & ſua iubet curare: cuiuſmodi autem ſtudia eſſent quibus erant dediti philoſophiæ vituperatores ex poſtremo verſu cognoſcemus.

qui in

qui in crepidas Graiorum ludere gestit Sordidus.) duas adfert notas quatuor versibus, primi illius hominum generis, de quo diximus. Isti sunt, ait, qui Græcis suam in cultu elegantiam criminis loco obiiciunt: cùm sint ipsi multo magis vel reprehendendi propter sordes & auaritiam: vel irridendi, propter affectationem ineptam illuuiei & neglecti cultus: quasi id esset certissimum militaris animi argumentum. Crepidæ Græcorum propriæ, vt calcei Romanorum. sed Persius crepidas nominãs totum intelligit Græcorum studium φιλοκαλίας circa cultum: quo vsos esse illos elegantiore vel ex eo constat, quod proceres Romani cùm vellent animum remittere, atque hilarius viuere, Neapoli præsertim, vel Athenis, vel alibi inter Græcos, τὸ πεπραγωτὸν ἱμάτιον, id est pallium & crepidas assumebant: quod olim Scipioni, Sullæ, Antonio atque aliis ab eorum inimicis pro crimine est obiectum. *Sordidus*, vel ad auaritiam potest referri, vel ad nimiam cultus negligentiam. Erant Romæ quàm plurimi, qui togam Romanæ grauitati propriam vestem, grauarentur: eáque neglecta vel palliati si tenuioris fortunæ essent: vel penulati aut lacernati in publicum prodibant. Lege Suetonium libro II. capite XI. sed & multi erant qui vt militare robur præ se ferrent ab omni elegantiore & humaniore cultu videri volebant abhorrere: quos Persius in tertia, *hircosam gentem centurionum.* in quinta, *varicosos centuriones* propter ea nominat: nam isti erant illa ætate philosophiæ

ac literarum præcipui hostes.

& luſco qui poſcit dicere luſce.) Scripſimus *poſcit*, non *poſsit*. vtrunque inuenire est in veteribus: sed illud melius. nam id est *poſcit* hoc inuersu, quod *geſtit* in superiore. & mox, *ſcit*. vtraque vox ἕξιν denotat vitij, & inolitam consuetudinem. est autem superioris notæ illustratio quædam à simili. absurdè enim facere eos ostendit, qui in Græcis habitum Græcanicum damnarent, atque adeo instituta aut mores suæ gentis: non minus quàm illos qui debilitatem suam debilibus exprobrarent, & corporis vitia iis quib. fingendis natura peccasset. Peruersissimi moris est, ἀναπήρους & debiles, vel aliqua corporis labe insignes irridere: quæ improbitas, etiam anathemate vindicatur in clerico, canone LVII. eorum qui Apostolici nominantur. *luſco dicere luſce*, est ridere hominem luscum. & in debilitatem illius dicta dicere. *luſce* habent membranæ, non vt alij codices *luſcus*. quod si cui placeat, sensus erit optimus: qui Græcos homines Græcanicis vitiis laborantes ridere amat, *luſcus* ipse, & iisdem vitiis obnoxius. *dicere luſco*, pro dicere in luscum, vt apud poëtam, *It clamor cœlo.*

Sese aliquem credens.) νομίζων ἑαυτὸν εἶναί τινα. Hæc altera est nota, & prioris vitij fons: nam isti Græcos, vel vt loquebantur, Græculos, ideo aspernabantur, quia erãt ipsi arrogantes ac superbi, primùm quidem vt Romani ciues, vel Itali: deinde vt dignitate aliqua ornati, aut Romæ aut in municipiis Italiæ.

Italo quod honore supinus.) in vniuersum eos reprehendit, qui ob honores, & publica munera, qualiacunque tandem ea essent, superbibant. sed ad eleuationem rei ponit exemplum illius qui non Romæ dignitatem aliquam obtinuisset, verùm in aliquo municipiorum Italiæ: qui honos nihili fiebat à Romanis. Seneca pater III. libro Controuers. *Censorinus aiebat, de his qui honores in municipiis ambitiosè peterent, Videor mihi in somnis laborare.*

supinus.) arrogans, & animi vitium ipso gestu corporis palam faciens. est genus hominum superbia inflatorum qui ingrediuntur adeo erecto corpore, atque ὑψαύχενες, vt in cœlos oculi eorum ferantur non multo secus ac resupinatorum. isti sunt quos Epictetus apud Arrianum ait, quò admirationi sint omnibus, ita incedere, quasi veru deglutissent. sic ille libri primi cap. XXI. Τί ὑμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἁπαντῶντες θαυμάζωσι. Græci ὀβεῖν & ὑψαυχεῖν de his vsurpant. item ἐξυπτιάζειν. Clemens Alexandrinus Pædagogi libro III. inter exempla incessus culpabilis ponit τὸ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν καὶ ἐξυπτιάζοντα παραβλέπειν εἰς τοὺς ἁπαντῶντας, εἰ ἀποβλέπουσιν εἰς αὐτόν· καθάπερ ἐπὶ σκηνῆς ἐμπομπεύοντα καὶ δακτυλοδεικτούμενον. ita *supinus* heic & *supinare* apud Senecam in II. De beneficiis: *ô superbia magnæ fortunæ! ô stultißimum malum! Libet interrogare, quid tantopere te supinet, quid vultum habitúmque oris peruertat, vt malis habere personam quàm faciem.*

Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.) ponit exemplum dignitatis quæ per se non magnæ rei, leuibus tamen hominibus inflandis sufficiat. ea est, ædilitatis functio non in vrbe, sed in Italico municipio quodam, puta Areti. municipia multa ac colonias suos ædiles habuisse iam pueris notũ esse debet, ex M. Tullio, Spartiano in Hadriano, lapidib. antiquis & aliis testimoniis. Etiam illud ex libris Iuris notissimum, ad curã tam ædilium tam vrbicorũ quàm municipalium totius Munitiæ frumentariæ disciplinam & coërcitionem spectasse. de mensuris igitur iniquis cognoscebant, & vt ait Iuuenalis in x. vasa minora frangebant. Iidem ne quis malas merces venderet impediebant. Plautus Rudente:

——— *quamuis fastidiosus*
Aedilis est: si quæ improbæ sunt merces, iactat omnes.

Nec qui abaco numeros, & facto in puluere metas
Scit risisse vafer.) Hîc alterum genus hominum declaratur, quod spernit à se Persius, & satiris suis. ij sunt, qui studia philosophiæ rident: quod fecerunt ferè semper Romanorum pleriq. vniuersum verò philosophiã debes intelligere σωεκδοχικῶς, etsi Persius duas solùm illius partes attingit: arithmeticã, cuius numeri in abacis discebãtur, & geometricam cuius figuræ in puluere solitæ describi. hic est qui propriè *scholasticus puluis* dicitur, M. Tullio *eruditus puluis*, & hæ γεωμετρικὰ ἱσκόνιοι, quarum multa vbique mentio.

multum gaudere paratus, Si Cynico barbam petu-

nonaria vellat.) qui abhorrebant à Græcorum disciplinis, ij philosophos qui è Græcia Romam immigrabant, ludibrio habebant: quod his versib. Persius ostendit. illa autem ætate plerique philosophi vel Stoici erant vel Cynici: eæ duæ sectæ tum vigebant cæteris iacentibus, quibusdam etiam prope extinctis. vbique verò, non solùm Romæ, Cynicorum magna vilitas. his vulgò omnes illudebant, eos percutiebant, & variis contumeliis vexabant. quod ne ipsis quidem nolentibus faciebant: cùm nati ad gloriam homines, argumento opus haberent in quo suam illam mirabilem patientiam atque ἀπαθειαν ostentarent. Sed erat imprimis odiosum illud patientiæ Cynicorum experimentum, cuius heic meminit Persius. Apparet enim solitas à petulantibus hominibus meretrices cum illis committi: vnde necesse erat sequi παπῶ γέλωτα & irrisum eorum omnium qui certaminis illius erant spectatores. Simillimum est quod in schola Alexandrina factum aliquando legimus, nequissimorum quorundam nebulonum conspiratione in Theodorum iuuenem, omni iam tum laude virtutis conspicuum atque illustrem. summissum est enim scortum impurum quod in foro ipsum aggrederetur. hic est qui posteà Gregorius Thaumaturgus est dictus, cuius vitam Gregorius Nyssenus libro singulari est complexus.

gaudere paratus.) *paratus*, id est εἰωθὼς, qui in more habeat id facere, & quod in describendis moribus hominum solet Theophrastus dicere,

τοιοῦτος ἐστὶν οἷος. vt in sexta, —— *nescire paratus.*
Horatius, —— *& depugnare parati.*
sic apud Iuuenalem, *laudare paratus: nescire paratus.* & multa similia: amat enim Iuuenalis eam vocem.

Cynico.) viuebat tum Demetrius Cynicus, cuius singularem ac stupendam virtutem dilaudat Seneca, & apud Arrianum Epictetus. in huius honorem & similium, qui fuerunt omnibus seculis oppido pauci, *Cynicus* heic ἁπλῶς pro philosopho ponitur. in genere verò de Cynicis quorum ea tempestate vberrimus erat prouentus, malè senserunt, non solùm isti osores Græcarum disciplinarum, sed etiam è Græcis sapientissimi quique. non enim vera virtute admirationem vulgi colligebant: sed vultus toruitatem & tristitiam ac dissentientem à cæteris habitum pessimis moribus, atque impuræ obscœnitati prætendebant. Lege Dionis Chrysostomi sermonem Alexandriæ habitum. Porro quantopere Cynici etiam in Græcorum vrbibus, nedum Romæ ab omnibus spernerentur, potest intelligi, vel ex eiusdem Dionis XXIV. in principio.

barbam vellat.) quia indolentiam & vacuitatem affectuum profitebantur Stoici atque Cynici, propterea cùm in publico conspiciebantur quò specimen darent suæ virtutis ab obuiis variè irritabantur. alius eos sanna excipiebat, alius conuitium dicebat, alius vestem trahebat, aut barbam vellebat, aut alio quouis modo molestus erat. auctor Dio Chrysostomus in ea de schema

philoſophi: ſic olim Socrates per Athenas ingrediens ſolitus παρατίλλεσθαι, vt ait Laërtius. inde prouerbium de omni contemtu, τὸν πώγωνα τίλλειν τινὶ, vel vt Iulianus loquitur ὑβρίζειν εἰς τὰς ἐπὶ τοῦ γενείου τρίχας. & Latinis, *barbam alicui vellere.* cui ſimile in ſecunda ſatira, de fatuo & ad ludibrium expoſito,

——*ſtolidam præbet tibi vellere barbam.*

petulans nonaria.) meretrix de via prætereuntes petere ac laceſſere ſolita: nonariæ à nona hora dictæ, quod ea hora pateret aditus ad lupanaria: cùm antè clauſæ eſſent fores, vel ex more, vel ex lege, aut edicto aliquo. cui ſimile eſt edictum illud Ampelij præfecti Vrbi ſub Valentiniano, quo cauit ne vſque ad præſtitutum diei ſpatium lixæ coctam proponerent carnem, vt auctor eſt Ammianus Marcellinus. at contra Colophonij quondam, luxu perditus populus, legem tulerunt, vt à mane ad veſperam quæſtum meretrices facerent: poſt ſolem occaſum & λύχνων ἁφὰς, ſe continerent. auctor Athenæus libro XII. Hora nona apud veteres procurando corpori accommoda. quare etiam viri ſobrij ea hora ad cœnam ſe comparabant, vt de Marco Antonino teſtatur Galenus, de monachis Palladius, Auguſtinus de ſe. Ariſteas vetuſtiſſimus ſcriptor de LXX. interpretibus: μέχρι μὲν ὥρας ἐννάτης τὰ τῆς συνεδρίας ἐγίνετο· μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν τοῦ σώματος θεραπείαν ἀπελύοντο γίγνεσθαι.

His mane edictum, poſt prandia Callirhoen do.) Studia eorum exponit, quibus ſatirarum ſuarum

lectione interdicebat: ait istos duo solùm curasse: forum, propter auaritiam: & lupanaria, amore voluptatis. hæc igitur studia se illis relinquere sine inuidia satiricè ostendit. *do* valet mando: quod apparet ex Horatio:

——— *forum Putealque Libonis*
Mandabo siccis. ——— *edictum* intellige prætoris: & ab vna specie iurisdictionis cæteras omnes cape. mane autem iudicia exercebant, & sicci, vt modò Horatius. idem poëta:

——— *ante secundam*
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.

Martialis,

Exercet raucos tertia causidicos.

Callirhoes voce heic, (nomen id scorti quondam celeberrimi) vniuersa voluptuariorum studia, atq. occupationes σωικδοχικὰς intelliguntur.

AD SATIRAM SECVNDAM.

HÆc satira grauissimum continet argumentum, de precibus ac votis: è penetralibus eius philosophiæ depromptum, quæ fuit veteribus sapientibus pro theologia. nam Deus esset annon, & curaret mortalia necne, in physicis suis plerique philosophorum quæsiuerunt. eorum verò quæ ad ὁσιότητα spectabant,& hominum aduersus Deos officia, partem magnam in ethica disciplina sunt complexi. Eius generis est satira hæc: cui si metrum detrahas, nihil illi ad philosophicam grauitatem defuerit: non magis quàm alicui è Platonis libris, Plutarchíve aut cuiusuis aliorum vel primæ notæ philosophorum. Inter varias autem quæstiones quæ cadunt in tractationem περὶ ὁσιότητος, & de vero superûm cultu, non minima est illa quæ de rectè orando numine, déque votis faciendis agit. multiplex enim mortalium error in hac parte solet versari: vt non sine causſa

Stoici pronunciarint solum sapiẽtem scire orare rectè, solum esse sacerdotem. Hierocles: ὅτι δὲ μόνος ἱερεὺς ὁ σόφος λέγεται (Stoicis nempe, Diogene teste ac Stobæo:) μόνος θεοφιλὴς μόνος εἰδὼς εὔχεσθαι. neque hæc tantùm Stoicorum fuit sententia, sed & philosophorum aliorum: qui in hoc consentiunt propriam philosophi laudem esse, bene Deum orare. Maximus Tyrius xxx. dissertatione: αὖ ἐξέλης τὸν βίου φιλοσοφίαν, ἐξεῖλες αὐτῷ τὸ ζώπυρον, τὸ ἔμπνουν, τὸ μόνον εὔχεσθαι ὀπτάμυον. Sed non defuerunt olim, qui Deos negarent esse orandos: quæ fuit sententia Cyrenaicorum philosophorum vt scribit Clemens, atque omnium illorum qui diuinam prouidentiam negabant, quorum præcipui fuerunt Epicurei: hoc enim semel posito, superos humana nõ curare, sequitur necessariò frustra esse, qui opem illos poscant. Atque huius sententiæ etiam Aristotelem fuisse, apud Sextum Empiricum scimus legi: sed nos summo viro iniuriam fieri non dubitamus. Maximus verò Tyrius cognomine Platonicus, quid super eo censuerit ex eius diatriba illa cuius modò meminimus sciri potest. Enimuero qui negarent esse orandum, pauciſſimi tantùm furiosi philosophi, posteà deteriores his & pauciores hæretici, ab omni æuo extiterunt: at malè orare, non paucorum sed omnium mortalium, communis error semper fuit, iis solis exceptis, qui à vero sapientiæ doctore fuissent eruditi. bene enim orare Deum, vt alicubi ait Augustinus, gratia spiritalis est. Hunc igitur tantùm & adeo latè fusum

hominum errorem, cùm viderent agnoscerént-que ex parte sapientes: medicinam illi facere pro sua virili, & quantum ferebat publica sæculi imperitia, (nam & ipsi heic cæcutiebant,) sunt conati. Eo spectarunt quæcunque à Græcis philosophis περὶ εὐχῆς siue προσευχῆς scripta fuerunt: quo in argumento etiam Aristotelem fuisse versatum Laërtius testis, qui librum illius περὶ εὐχῆς laudat. ex Proclo scimus, scripsisse & alios ea de re philosophos: sed horum omnium nihil fermè ad nos peruenit præter eximium illum quidem, sed tamen vnicum Platonis dialogum, qui Alcibiades secundus inscribitur & περὶ προσευχῆς. E Latinis, si qui fuerunt philosophi qui hanc materiam separatim tractassent, eorum scripta non meliore quàm Græcorum functa sunt fato: sed vetustati magna tamen gratia, quod duas saltem eius argumenti satiras summorum scriptorum, Persij istam, & Iuuenalis decimam, ad nos transmisit integras. Omnes isti, Plato, inquam, Persius ac Iuuenalis, commune hoc habent, quod peccata à vulgo hominum in orando solita committi arguunt: sed Persio propria hæc laus, quod paucissimis versibus plura capita doctrinæ huius, quam vel Plato vel Iuuenalis, est complexus. Tres sunt omnino huius carminis partes ὁλοσχερεῖς. Prima extra rem est, soli decoro seruiens: ideóq. breuissima, & quatuor tantùm versuum, quibus paratur aditus ad tractationem propositæ theseos. Macrinum enim familiarem suum laudat, quod scientiam bene orandi ac vota fa-

ciendi teneret. neque vulgi erroribus hac in re implicaretur. Ij cuiusmodi sint deinceps explicatur. Secunda igitur parte de iis præcipuè tractat, qui in votorum materia peccarent: ostendítque alios res impias à diis petere solitos, quos quidem grauissimè increpat: alios non impia quidem deos poscere, sed friuola, ipsis sæpe poscentibus non profutura: atque istorum præterea ineptias tangit, & ritus in precibus concipiendis superstitiosos, & irrisione satirica dignissimos. Postremò pugnantia sibi inuicem contraria hominum vota exagitat. hactenus de votorũ materia: quod solum argumentum attigit Iuuenalis diuinísque versibus luculentissimè executus est. Platonis quoque dialogus totus ferè in eo versatur, vt doceat rem arduam esse & in qua magistrò Deo sit opus, vt sciamus ecquas res à Deo possimus petere aut debeamus. Porrò votorum genera duo sunt: nam interdum solas preces nostras Deo offerimus: quod propriè nos precari, Græci εὔχεσθαι & sæpius προσεύχεσθαι dicunt: interdum precibus adiicimus promissionem, & ea concipimus, quæ propriè Latinè dicuntur vota. Græci hoc κατεύχεσθαι, vel εὔχεσθαι κατά τινος, vt passim apud historicos, εὔχεσθαι κατὰ τῶν νικητηρίων: sic etiam εὔχεσθαι κατὰ ταύρων, κατὰ βοὸς κατὰ τῶν προτοτόκων. sed & εὔχεσθαι & εὐχὴ de voto vsurpantur: quod rectè Hieronymus in ea ad Suniam & Fretelam obseruauit: idémque multis persequitur Gregorius Nyssenus episcopus, in secundo commentariolo super oratione domi-

nica. Hæc vota iam inde ab ipso mundi conditu instituta ea fine sunt, vt grati animi significationem darent, qui opem à numine essent consecuti. Sed mox deprauatis hominum moribus, & prauis persuasionibus eorum animis corruptis, eò tandem impietatis ventum est, vt deos more hominum capi donis, eámque esse mercedem beneficiorum quæ à diis acciperentur, cæcum vulgus sibi persuaderet. auxit errorem poëtarum natio, quorum vox est,

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας:

& similes multæ. Ita paullatim nundinatio quædam, & vt vocat Plato in Eutyphrone, ἐμπορικὴ τέχνη inter deos atque homines fuit instituta. De hoc tanto humani generis errore agit Persius in III. satiræ parte. originē huius stultitiæ ostendit, & vanitatem vanissimam falsè grauitérque irridet. de quo Plato etiam tractauit cùm in Eutyphrone, tum in Alcibiade secundo. Persius verò non solùm falsam opinionem hominum castigat: sed etiam postremis quinque versibus, planè aureis, doctrinam de votis Deo gratis veram & vel Christiano præceptore dignissimam, est complexus.

AD PLOTIVM MACRINVM.) Duplex satiræ huius inscriptio in membranis: prior nomen continet illius ad quem est missa, qui non fuit Minutius Macrinus Brixianus, de quo Plinius epistola XIV. libri primi: quod quidam interpretes coniiciebant: sed alius Plotius Macrinus, homo veteribus qui quidem ad nos perue-

nerunt indictus. videtur autem hic Macrinus condiscipulus fuisse Persij, apud Seruilium Numanum: quem Persius, vt ait auctor vitæ illius, coluit vt patrem: sed erat Macrinus aliquanto quàm Persius natu grandior. puto sic accipienda veteris scholiastæ verba: *Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sanè eruditum, & paterno se affectu diligentem, qui in domo Seruilij didicerat: à quo agellum comparauerat, indulto sibi pretio aliquanto.* altero titulo argumentum satiræ indicare critici voluerunt: nec tamen consecuti sunt quod voluerunt. Pithœi libri præferebant, *De bona mente:* Puteani, *De vitæ honestate.* quorum vtrumque est ἀπροσδιόνουσον. Melius inscribas περὶ ὁσιότητος: eo sensu quo definitur à Platone in Eutyphrone, ἐπιστήμη αἰτήσεως τε δόσεως θεοῖς. M. Tullius paullò aliter ex eodem Platone: *Sanctitas est scientia colendorum deorum.*

HVNC *Macrine diem numera meliore lapillo.*) Cùm esset moris dies amicorum natales muneris missitatione cohonestare: soliti sunt viri docti, opuscula sua ad amicos eruditos natalitij titulo mittere, sicut loquitur Censorinus, in præfatione libelli ea occasione scripti. Ac quoniam magna religione natali die vota concipiebantur in annum proximum, aut plures sequentes: inde occasionem sumit Persius de votis cum Macrino disserendi. Quàm inepti autem & ridiculi sunt illi diobolares analytæ, qui θέσιν huius satiræ isto versu contineri scripserunt? hæc illorum ars est egregia, quæ nihil eos nisi nugari docet,

& felicioribus ingeniis maleuolè obtrectare.

numera meliore lapillo.) Numerare vel signare albo lapillo aut calculo, locutio παροιμιώδης, ad cuiuscunque gaudij significationem. notissima historia ex Græcis & Plinij septimo. Symmachus duriusculè vsurpauit libro primo epistola xc. *Ego etsi intelligo quod nostri amore fallatur titulum tamen præclari testimonij, albo calculo veterum more signabo.*

Qui tibi labentes apponit candidus annos.) Ita melius quàm *apponet.* & ita meliores libri. *ponere* & *apponere* verba sunt calculonum, vt apud Græcos πιθέναι & παρατιθέναι: quod ad Theophrasti Characteres notabamus. ita heic accipiendum. *labentes annos* dixit pro lapsis: nisi eò respicit, quod sæpe inchoatus annus pro absoluto numeratur: cùm xx. annos natum dicimus eum qui agat vigesimum. at cùm ἀκεφαλολογοδέλτῳ, summę annorum non apponimus nisi eum qui sit elapsus.

Funde merum Genio.) Abunde explicat Censorinus, quem lege. Præter rem quidam eruditi Censorini verbis quibus negat Genio hostiam faciundum, exceptionem adiecerunt de porco. nam loquitur Censorinus de munere natali, quod annali die soluebatur: qua quidem die nusquam leges mactatam vllam in honorem Genij victimam. Horatij locum malè interpretantur, qui huic obseruationi putant repugnare: in epistola ad Ælium Lamiam libro III.

——— *cras Genium mero*
Curabis, & porco bimestri

Cum famulis operum solutis.

errant qui ex eo quod Genij fiat heic mentio, de natali die sensisse Horatium existimant. quid? an igitur nunquam nisi die natali Genio faciebant sacra? imo verò quoties hilarius ac lautius se excipiebant, toties Genium se placare veteres autumabant. vnde illa genera loquendi manarunt, *curare Genium*, & *Genium defraudare*, ac similia. hoc igitur vult Horatius: debere Lamiam maturè focum componere, & cætera parare ad diem genialiter agendum. cur autem? non sanè quod Lamiæ natalis esset: verùm quia cessatura sit vniuersa familia ab opere, impedita tempestatis obscœnitate, quam imminere in diem crastinam, tanquam vates illi denuntiat cùm canit:

——— *cras foliis nemus*
Multis, & alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet: aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. ———

non tu prece poscis emaci Quæ nisi subd.) Ingeniosissimè Persius duo capita illa proponit, de quibus hac satira tractare instituit, materiam, & formam votorum: Macrino suo debitæ laudis testimonium perhibens, quod in neutro horum peccaret: non in materia: quia nihil petebat à diis parum honestum, aut cuius ipsum pudere deberet: non in modo: qui nullam cum diis nundinationem exerceret: ac ne precibus quidem nimis cupidis aut anxiis deos sollicitaret: quod illi solent qui superstitiosi propriè dicti

dicti sunt veterib. Latinis. Hæc Persius de Macrino, vt esset occasio cæteros obiurgandi qui in vtroque horum peccarent.

prece poscis emaci.) εὐχὴ ἐμπορικὴ. cuius contrarium est τὸ ἁπλῶς & ἐλευθερίως εὔχεσθαι. oratio simplex & liberalis, apud sapientissimum Marcum Imper. lib. v. *precem emacem* est interpretari, vel quæ habet coniunctum sacrificium maioris alicuius victimæ, aut votum rei consecrandæ: quod est velut pretium diis repensum, vt fit in emtione contrahenda. vel, quæ toties fuit repetenda, & tam assiduè ac λιπαρῶς & ἐκπνῶς facienda, vt hoc ipsum pretij loco censeri possit: quia, vt ait Seneca, *nulla res carius constat quàm quæ precibus emta est.*

Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.) hoc est turpia vota nulla facis, & eiusmodi quæ palàm non possis nuncupare, & voce alta. Antecedens pro consequenti posuit, *seductis diis committere*, pro tacita & submissa voce enuntiare. qui secretò cum aliquo volunt loqui à turba cum seducunt, ne aliquis Corycæus exaudiat. Caue putes damnare Persium his verbis preces immurmuratas, qua de re mox.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.) Hic incipit ἔλεγχος vulgaris erroris in precibus faciendis. Etsi autem videtur poëta cum isto, tum precedenti sequentíque versu tacitas preces & susurros templorum reprehendere: non tàmen illud est quò præcipuè spectat, sed ad grauissimum peccatum, quod consuetudine immur-

murandi tectum latebat: nam alioquin cur reprehenderet Persius, quod publicis Romanorum ritibus erat receptum? Seneca De beneficiis libro II. *Vota homines parcius facerent, si palàm facienda essent: adeo etiam deos quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus & intra nosmetipsos precari.* Precationes vel publico fiunt vel priuato nomine. omnes concipi solitæ vel voce palàm: vel susurro tacito, vel scripto. Vox autem adhibita, vel sacerdotis, vel præconis, hoc est, κήρυκος siue ἱεροκήρυκος, vel propria eius qui orabat. nam etiam priuati in templis voce vsi interdum cùm precarentur: quod Persius etiam ad ostentationem fieri solitum à nonnullis ostendit, cùm ait,

Mens bona, fama, fides, hæc clarè & vt audiat hospes.

at Iulianus in Misopogone hoc quoque nomine Antiochenses Christianos reprehendit, quòd non orarent silentio: sed ἀκοσμίας loca sacra replerent. quare etiam Tertullianus in De oratione docet, *sonos vocis subiectos esse oportere*, hoc est submissos, & murmur potius quàm vocem. & Clemens Alexandrinus sola spiritus contentione sine vocis ministerio preces optimè peragi disputat in VII. Stromat. ἔξεστιν, inquit, μηδὲ φωνῇ τὴν εὐχὴν προσπέμπειν, συντείνοντα μόνον ἔνδοθεν τὸ πνευματικὸν πᾶν εἰς φωνὴν τὴν νοητὴν, κατὰ τὴν ἀπερίσπαστον πρὸς θεὸν ἐπιστροφήν.

libabit.) hoc est, libare solet: perperam alij libri, *libauit.* non enim sic Latini loquuntur, verùm Græci. Menander apud Athenæum: τὰ κεκαρυκευμένα μᾶλλον προσεδέξατο. id est, προσδέχεσθαι

φιλεῖ. loquitur enim de communi more. Plutarchus in præceptis nuptialibus: οἱ τῇ γαμηλίᾳ δύοντες Ηεϛ, πλὴ χολὴ οὐ συϛαζιζοισι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς ἀλλ' ἐξελόντες ἔρριψαν ὄπιϑεν τοῦ βωμοῦ. hoc est, ῥίπτᾳ εἰσθασι. sic Homerus & alij poëtæ, quod alibi notabamus. at Hebræi & Latini futuro plurimùm vtuntur. Horatius:

——*non hic cuiquam parcet amico.* &
Geſtiet à furno redeuntes ſcire. -- Iuuenalis,
Nil vetitum feciſſe volet quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. ——

Haud cuiuis promtum eſt, m.) Non eſt facile cuiuis ita affectus ſuos ratione recta gubernare, vt nihil optet, nihil à ſuperis petat, niſi quod illa præſcripſerit. hoc illud eſt quod ſuprà dicebamus, ſolum ſapientē ſcientiā tenere bene orādi.

murmúrque humiléſque ſuſurros Tollere de templis.) Etiam illi quos dixit *tacita libare acerra*, non penitus tacebant: ſed obſcuram de more vocem intra dentes edebant: quam vocat heic Perſius, *murmur*, & *humiles ſuſurros*. Clemens quoque Alexandrinus ψιθυϱισμὸν ſimiliter appellat, ad hunc morem alludēs, cùm ſcribit in VII. Strom. etiam eos qui Deum precantes ſuſurrant, clauſis labris, tacitè loqui atque intus clamare. ἔϛιν, ait, ὡς εἰπεῖν πολυμηχάνερον, ὁμιλία πϱὸς τὸν θεὸν ἡ εὐχή. καὶ ψιθυϱίζοντες ἄϱα, μηδὲ τὰ χείλη αἰσϑόμενοι μὴ σιγῆς πϱοσδεόμεθα, ἐνδοθὲν κεκϱάγαμεν. Irrepſit poſteà etiam in Eccleſiam mos ſuſurrandi, tum quoque cùm audiebatur Dei verbum: quem morem defendebat ineptè ac perperam vulgus imperitum, Dauidis au-

ctoritate: qui dixit in libro Psalmorum: *in templo Dei vnusquisque laudem dicit*. Basilius in XXVIII. psalmum: τόπον μακρολογίας τὸν οἶκον ποιοῦνται τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, παρακούοντες τοῦ ψαλμοῦ τοῦ διαμαρτυρομένου καὶ λέγοντος, ὅτι ἐν τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ πᾶς τις λέγει δόξαν. σὺ δὲ οὐ μόνον οὐ λέγεις, ἀλλὰ καὶ ἑτέρῳ ἐμπόδιον γίνῃ ἐπιστρέφων πρὸς ἑαυτὸν καὶ τῷ ἰδίῳ θορύβῳ ὑπερηχῶν τὴν διδασκαλίαν τοῦ πνεύματος.

& aperto viuere voto.) nullum votum facere quod nolis esse apertum. Eò spectabat illud veterum Pythagoreorum symbolum μετὰ φωνῆς εὔχεο, quod profert atque explicat Clemens. Simile est, *in publico viuere*, & *aperto ostio*, apud Senecam epistola XLIII. *Rem dicam ex qua mores æstimes nostros. vix quenquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subitò aspici.* Marcus imperator libro tertio: ἐθιστέον ἑαυτὸν μόνα φαντάζεσθαι περὶ ὧν εἴ τις ἄφνω ἐπανέροιτο τί νῦν διανοῇ; μετὰ παῤῥησίας παραχρῆμα ἂν ἀποκρίναιο ὅτι τὸ καὶ τό. ὡς ἐξ αὐτῶν εὐθὺς δῆλα εἶναι ὅτι πάντα ἁπλᾶ καὶ εὐμενῆ, καὶ ζώου κοινωνικοῦ, καὶ ἀμελοῦντος ἡδονικῶν. *Assuefacere te debes ea solùm cogitare, de quibus si quis repente te interroget, Quid nunc cogitas? liberè statim possis respondere, Hoc & illud: vt ex iis continuò fiat manifestum, omnia in te simplicia esse & mitia, & animãti ad communionem nato conuenientia: qui omnia spernat ad voluptatem spectantia.* Marcus Tullius in III. De officiis: *Ea deliberanda omnino non sunt in quibus est turpis ipsa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione celandi atque occultandi, spes opinióque*

remouenda est. Seneca : *Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat : sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Mens bona, fama, fides.) Mimesis venusta : ipsas enim ponit voces optantium. deest autem, vtinam contingat mihi: vel aliquid simile. Mentem bonam sibi optare, formula fuit & consuetudo orantium: quo respicit Seneca epistola XLI. initio. *Facis rem optimam & tibi salutarem, si vt scribis, perseueras ire ad bonam mentem. quam stultum est optare, cùm possis à te impetrare. Non sunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus æditus vt nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.* Propertius,

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

hæc clarè & vt audiat hospes.) nempe optantur.

sub lingua immurmurat.) Græci ὑπὸ ὀδόντα dicere amant, non ὑπὸ γλῶσσαν. sic ὑπ' ὀδόντα γρύζειν apud Athanasium : ὑπ' ὀδόντα λαλεῖν apud Basilium : ὑπ' ὀδόντα τονθορύζειν passim alij : ἐντὸς τῶν χειλῶν ὑποστένειν de voto improbo Aristænetus : cui affine apud Tertullianum, *labia vibrare.*

ô si Ebullit patrui præclarum funus.) Ita membranæ Puteani & aliæ : non *ebullet*, pro ebullierit : ἀρχαϊκῶς : vt *axim* pro egerim : *comedim* & *edim* pro edam vel, ederim : apud M. Tullium & Horatium, *dedim* pro dederim. Tertullianus de resurrectione carnis : *Dedim aduersario dicere.* Porrò *ebullire*, quod propriè in aqua feruente locum habet, ad omnia repentina transferri eleganter solet variè constructum. frequens ver-

bum apud M. Tullium, Senecam, veterem librorum sacrorum interpretem, Tertullianum, Victorem Lirinensem, & alios etiam inculpatæ Latinitatis auctores.

patrui præclarum funus.) Huiusmodi impia vota Romæ tum frequentia: neque vlla de re sæpius consulebantur astrologi. Iuuenalis in VI.

Consulit ictericæ lento de funere matris:
Ante tamen de te Tanaquil tua: quando sororem
Efferat & patruos.

idem in III. —— *motus*
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum. ——

præclarum funus) frustra torquent se quidam interpretes de epitheto illo *præclarum*. quod autem hoc referunt ad morem reponendi thesauros in conditoriis, tam alienum est ab auctoris mente, quàm quod maximè. quid igitur? nimirum ὁ νοῦς hoc dictum: éstque vt Seruius dicere solet oratio morata. Qui illa impia vota faciebant soliti semper aliqua ratione pudori suo cõsulere, & nefandam cupiditatem velare, eò pertinet quod paullò pòst sequitur,

—— *námque est scabiosus & acri*
Bile tumet. —— quasi cupiditas alienæ mortis ex commiseratione oriatur, non ex malo animo: sic qui astrologos consulebant super obitu suorum, aliquid caussabantur cur vitalis non esset is de cuius capite agebatur. Iuuenalis,

Consulit ictericæ lento de funere matris.

Alia via idem hîc facit, qui de morte patrui vota faciens, beneuolum tamen animum ostendit, cum defuncto pollicetur præclarum funus, hoc est, magnum funeris atque exequiarum apparatum.

& ô si Sub rastro crepet argenti mihi seria.) mortes suorum, & inuentio thesauri, inter exempla votorum hominis auari solent iungi. Dio Chrysostomus, in quarto de regno: τοὺς δὲ θεοὺς τέλεον οὐκ εἶναι λογίζεται, ὅτι μὴ πολλοὺς αὐτῷ μηδὲ μεγάλους θησαυροὺς παραδεικνύουσιν, ἢ θανάτους τῶν οἰκείων τινῶν τε συγγενῶν, ὅπως ἔχοι κληρονομεῖν. Petronius: *statim antequam limen Capitolij tangant, alius donum promittit si propinquum diuitem extulerit: alius si thesaurum effoderit.*

dextro Hercule.) atqui ἕρμαιον Græci vocant lucrum præter spem oblatum atque inuentum. videtur seruata hæc distinctio, vt eorum tantùm quæ in foro aut viis vrbicis inuenirentur gratia Mercurio haberetur: quia is deus ἀγοραῖος erat ac dicebatur. Herculem autem etiam à studiosis rei faciendæ fuisse cultum, & πλουτοδότην existimatum Græci Latiníque auctores testantur: satísque notum est, non minus Herculi quàm Mercurio solitum polluceri à repente ditatis. ad κερδῷον Herculem alludit ille apud Plautum in Mostellarìa, qui ait de Tranione damnosissimo Theuropidis seruo:

—is vel Herculi conterere quæstum possiet.

Non debuit doctissimus vir Lilius Giraldus, ex hoc loco ceu proprium Herculis cognomen af-

ferre, ἢ *dexter.* nam *dextro* heic κοινῶς positum pro βουλομένῳ ἢ σπεύδοντι, & pro eo quod Horatius quem imitatur dixerat, *amico Hercule.* sic *Apolline dextro* dixit Propertius libro III. *Ioue dextro* Persius in v.

pupillúmve vtinam quem proximus heres Impello expungam.) cupiditatem perdendi pupilli cui successurus esset auarus, significantissimis verbis exprimit. *quem*, inquit, *impello*: translatum verbum ab iis qui in turba properantes alios impellunt, inuicem sese trudentes acri contentione. Iuuenalis in III.

——*si curet nocte togatus*
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem iubeat, dudum vigilantibus orbis.

prorsus ἐμφατικῶς eo verbo heic vsus Persius. illud verò ἐμφατικώτερον, ad exprimendam festinationem huius voti, quod *expungam* vno verbo dixit, pro, eo expuncto ac de medio sublato, in vacuum ipse veniam, vt loquitur Horatius. petita vox è numeris militum, vt rectè vetus interpres censet: vel è libris rationum. in illis militum nomina post missionem aut mortem delebantur: vnde *manipulos expunctos* dixit Plautus: in his vt quodque nomen erat solutum, statim inducebatur, aut ἐκλέγεται. passim apud Tertullianum: neque dubium est iurisconsultos indidem, hoc est, ex vsu communis vitæ, has voces esse mutuatos.

namque est scabiosus & acri Bile tumet.) iam diximus quò hæc pertineant. morbidum corpus

ac κακοχυμίας & cachexiæ plenum describit his notis. omnia quæ vituperabant *scabiosa* dicebant: vt in quarta, *scabiosum far*, & apud Iuuenalem, *scabiosum pomum*. Vox *tumet* suspicionem iniicit de hydrope, cuius tumoris varias species describunt medici. etsi non oritur hydrops ex acri bile, vt ait Persius. sed ridiculè faciunt qui isto loco λεπτολογοῦσιν, vt poëtam, cuius verba simpliciter accipi debent, cum medicorum scriptis conciliēt. Apage verò illam emendationem quam iidem afferunt, vt *atra* legatur non *acri*. obsecro an nunquam legerunt δριμείαν χολὴν in medicorum libris? aut quare sine vlla caussa certissimam omnium librorum scripturam audent sollicitare?

Nerio iam tertia ducitur vxor.) iam olim διπλογραφεῖται cepit hic locus. nam membranæ quibus vsi sumus vetustissimis, *conditur* exhibebant. sed antiquior illis Seruius in illum versum,

Exportant tectis & tristia funera ducunt,

legit *ducitur*, quem secuti sumus. accipit autem Seruius τὸ *ducitur*, pro effertur: quam interpretationem etiam ille grammaticus erat secutus, qui glossæ loco apposuerat vocem *conditur*. vnde hæc diuersa lectio. Obserua autem, quàm honestè votum improbissimum hic auarus exprimat: neque enim vxori mortem optat: quæ tamen erat huius voti summa: sed alium prædicans beatum, cui hæc fortuna sæpius contigisset, figuratè quid cupiat ipse ostendit. vbique singularis poëtæ huius apparet iudustria in imitatione eorum quæ geruntur: quod proprium est poëtarū.

Hæc sancte vt poscas Fiber.) adeo stultus es vt non verearis improba & impia vota numini offerre, modò tantùm lotionibus corporis purificaueris. Castimonia est duplex, animi & corporis: vtraque opus est ad diuos adeuntibus, vt disputat Cicero II. De legibus. Sed vulgò homines faciunt, quod Persius ait. Philo Iudæus, Quod numen non flectatur, hunc hominum errorem, vel vt ipse appellat εὐήθειαν, notat his verbis. εὐήθες εἰς μὲν τὰ ἱερὰ μὴ ἐξεῖναι βαδίζειν, ὃς ἂν μὴ πρότερον λουσάμενος φαιδρύνηται τὸ σῶμα, εὔχεσθαι δὲ καὶ θύειν ἐπιχειρεῖν ἐπὶ κεκηλιδωμένῃ καὶ πεφυρμένῃ διανοίᾳ.

Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis térq.) Mos omnium veterum, vt priusquam ad deos adirent, aut facerent sacra, sese purificarent: de quo multa olim notabamus ad Theophrasti Characteres, in notatione superstitiosi. Heic verò pro locorum aut sacrorum diuersitate, multiplex fuit obseruatio: nam alij maris aqua se lauabant: quò respiciebat Euripides cùm faceret,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

alius poëta verbum βαπτίζειν in eam rem vsurpauit: περιμάκτριαν κάλει γραῦν, καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν. alij flumine lauabantur, alij aqua fontana. Philo de sacrificantibus: οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ ὕδατι περιῤῥαίνονται· θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοί· τινὲς δὲ ποταμοῖς, οἱ δὲ κάλπεσιν ἐκ πηγῶν ἀρυόμενοι. Præterea alij totum lauabant corpus, alij tantùm caput, vt heic & apud eundem Theophrastum: atque alij caput bis mergebant, alij ter, vt declarat heic Persius. sic aquam è fonte haustam in

caput inuergebant alij bis, alij ter.

& noctem flumine purgas.) è lecto surgentibus varia purificatione opus: primùm ipsa nox polluere credebatur, vt notat Seruius. Propertius,

Ac primum pura somnum tibi discute lympha,

deinde appellatione noctis Venus intelligitur: de quo genere purgationis plura nuper ad Spartianum. ita contracta pollutio, vel aspersione aquæ, vel numero dierum tollebatur, vt est apud M. Tullium, & probant poëtæ. huc pertinet & genus illud purificationis, de quo Athanasius disputat in epistola ad Ammum monachum. Nõ solùm autem cùm ad deos adituri erant his purificationibus vtebantur: sed etiam cùm alia negotia procurare vellent. Lege Columellam lib. XII. cap. IV.

Heus age responde, min.) Venustissimo dialogismo stultam impietatem eorum arguit, qui scelerata vota cuiusmodi sunt superiora, diis offerebant. Arguit autem ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον. nemo homo quantumuis consceleratus pro tribunali iudex sedens vocem illius ferat, qui talia à se petat: Iupiter feret? Ex istis autem sequitur, horum votorum auctores, Iouem & deos alios sibi fingere longè iniquiores & scelestiores quàm vllus possit hominum reperiri.

minimum est quod scire laboro.) ἐν ἤθει dictum. ita enim solemus dicere: vt ille apud Theocritum, μικκὸν ἄκουσον.

De Ioue quid sentis.) In mutuis disputationibus, qui causæ confidunt, & certam ἐκ πολλοῦ τοῦ

περιόντος victoriam sibi spondent, ij non grauantur ad probationem eorum descendere, quę sine flagitio & ex arte sumere poterant. quæ æquitas ingenti pondere rem grauiorem facit, vbi est expressa confessio conclusione argumenti. hoc Persius diuinitus imitatur hoc loco. disputat, vt diximus, ἐκ τοῦ μᾶλλον τὸ ἧττον. quis dubitat deos meliores atque iustiores esse quouis mortalium? quod potest esse magis εὐπεραχώρητον λῆμμα, vt vocant philosophi? hoc tamen non sumit, sed petit: imò tacitam eius confessionem exprimit ab aduersario.

éstne vt præponere cures Hunc?) *præponere cures* ἀντὶ τοῦ præponas. sic *facere incipere*, pro facere. & Græci ἄρχεσθαι λέγειν, pro λέγειν, & similia multa etiam apud πεζογράφους scriptores.

cuinam? cuinam? vis Staio?) Legimus diu sic hunc locum: -- *éstne vt præponere cures*

Hunc cuiquam? cuinam? vis Staio. --

quæ lectio perspicua est. sed omnes veteres vtroque loco agnoscunt *cuinam*. quare ea scriptura admissa, distinguendum post vocem *Hunc*. nondum Persius sensum absoluerat cùm volentem sciscitari ab isto, annon Iouem quouis iudice humano putaret iustiorem: anteuertit petitione sua iste, & ait *cuinam?* quasi stupefactus nouitate huius interrogationis. excipit verò Persius *cuinam? vis Staio?* quasi dicat, quæris cui hominum Iouem censeam anteponendum iustitiæ & æquitatis ergo? possem dicere ex vniuerso genere humano nullum esse hominem cum Ioue

cõparandum. sed hoc non dico: neq. enim summo iure tecum agere volo: illud dico, quod negare non potes, Iouem Staio saltem præstare.

vis Staio? an scilicet hæres, Quis potior iudex puerisue quis aptior orbis?) Ex historia famosissimi illius iudicij Iuniani quam narrant M. Tullius in Verrem, ac pro Cluentio & Asconius Pædianus, mutuatus est Persius Staij nomen. nullus enim vnquam illo turpior aut inquinatior iudicum fuit confessus. ex eo numero fuerunt illi tres Staienus, Gutta, Bulbus, quos toties exagitat Cicero. in antiquis Persij scholiis perperam scriptum *Albus* pro *Bulbus*. nam in vniuersa illa historia eo nomine nullus celebratur: Albius autẽ ipse est Oppianicus. de Staio siue Staieno qui in ea caussa iudex sedit, & cum cæteris fœdam nundinationem exercuit, multa M. Tullius.

an scilicet hæres, Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?) Hæc ita vno spiritu continuanda, sublata interrogationis nota: quæ vulgò ponitur post *hæres*. scilicet, inquit, dubitare aliquis potest, hoc est, omnino dubitare nemo potest, quin melior sit futurus iudex Iupiter quàm Staius.

puerisve quis aptior orbis.) respicit illa antè posita: *-- pupillumve vtinam quem proximus hæres*
Impello expungam. ——

Hoc igitur quo tu Iouis aurem impellere tentas, Dic agedum Staio.) Seneca epistola x. *Nunc quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant: si quis admouerit aurem conticescent. & quod*

scire hominem nolunt, Deo narrant.

prô Iupiter ô bone clamet.) vox detestantis, *prô Iupiter.* passim apud comicos. item *ô bone Iupiter* Lucilius emendante Iosepho Scaligero apud Nonium: —— *qui te bone Iuppiter, inquit,*

Mutiuit, cùm cœnabit dominum fore Crasso?

Iuppiter at sese non clamet Iuppiter! ipse?) hæc placita distinctio vt priore loco *Iupiter* sit ὀρθὴ πτῶσις, posteriore κλητική. nec displiceat scribi cum Pithœi libris *ad* pro *at.* in antiquis tamen membranis paullò aliter conceptus est locus, hoc modo: —— *prô Iupiter ô bone clamet*

Iuppiter: at sese non clamet Iuppiter ipse?

Ignouisse putas.) Si nostra vota Ioui displicent, cur iniuriam non vlciscitur? præclarè ad hanc obiectionem poëta: lentam numinis iram non esse veniæ ab eo indultæ certum argumentum: & longè falli eos qui propterea aduersus Deum insolescant: cuius vindictam suo tempore exserendam, nulla ratione sint euitaturi. Sine interrogatione autem melius scribi hos duos versus: vt pronuntientur à Persio ἁπλῶς narrante hanc vulgi stultitiam. quæ posteà ab eodem acriter exagitatur.

quia cùm tonat.) Idem D. Chrysostomus homilia quadam, de temerè iurantibus: ὅτι σκηπτὸς ἄνωθεν οὐκ ἔρχεται, ὅτι οὐ πάντα ἀνατέτραπται ἕστηκας κατέχων τὸν θεὸν ἵνα λάχανα λάβῃς, ἵνα ὑποδήματα;

ocyus ilex.) hoc est, aliqua arborum altissimarum, cuiusmodi est πρῖνος siue ilex.

Sulfure discutitur sacro.) Vt fulgur pro fulmine

vſurpant Latini, propter cognatam vtriuſque naturam: ſic propter eandem cauſſam ſulfur poſuit Perſius cùm fulmen intelligeret. nam & odorem habent ſulfuris fulmina, & lux eorum eſt ſulfurea. Et fulmen autem & ſulfur inter res ſacras habitum olim vt diſertè docet Ariſtoteles. neq. verum eſt quod quibuſdam placet, ſacrum dici heic ſulfur ad diſtinctionē veri ſulfuris. nam & hoc inter maximè ſacra, θεῖον ideo Græcis dictū, & ad omnes expiationes ac καθάρσεις ſemper adhibitum. philoſophi verba ſunt Problematum, ſectione XXIV. Διὰ τί τὰ θερμὰ λουτρὰ ἱερά; ἢ ὅτι ἀπὸ τῶν ἱεροτάτων γίνονται θείου καὶ κεραυνοῦ; fulmen verò etiam ignem ſacrum vocabant, vt Ammianus Marcell. libro XXIII. Iouem autem fulminantem, pro variis fulminis effectis Latini dicunt, vel *excutere*, vel *percutere*, vel *diſcutere*, quam ſermonis proprietatem cùm alibi obſeruabis, tum in Naturalibus Senecæ.

quàm túque domúſque.) Videtur alludere Homeri locum de iis quos ſerior quidem, ſed eò grauior Dei vindicta perſequitur. illos enim ait poëta perire & ipſos & vniuerſam domum.

Εἴσωρ γὰρ τε καὶ αὐτὴν Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ γε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν.

An quia non fibris ouium Ergennáque iub.) Niſi ſublata interrogationis nota ſuperiores duos verſus ita accipias, ſicut oſtendimus, vt narrationem contineant non ἔλεγχον, bis idem dixerit Perſius: quod omnino haut probo. Ibi igitur re-

tulit quæ vulgò esset hominum persuasio de longa numinis patientia : heic opinionem illam confutat solita acrimonia. quid ais, inquit? quia fulmine non iceris, ideo habes ludibrio Dei patientiam? sed poëta vnius verbi loco κεραυνοπλὴξ fulguritus, aut κεραυνοβολεῖσθαι, descriptionem posuit hominis fulguriti, ex ritibus sui seculi. Moris erat vt icti fulmine quo loco fuerant extincti, ibi relinquerentur, neque instar aliorum cremarentur: locus ipse sacer habebatur ac certis cerimoniis, prout libris fulguralibus Tagetis, & aliorum Etruscorum continebatur, sacra eò loci fiebant: neque id semel solùm, sed in posterum etiam religiosè locus colebatur, aris etiam ibi positis & reliquo sacrificiorum apparatu. Nota iam eruditis hæc superstitio ex Festi variis locis, Artemidoro, Seruio, aliis, maximéque ex recẽtiorum diligentia: vt opus non sit παλιλλογεῖν. Ex hoc igitur ritu fulguritum describit Persius istis versibus: *An quia non iaces*, inquit, *in lucis triste euitandûmque bidental*: appellat bidental ipsum fulguritum, poëtica licentia: nam vulgò ita vocabant locum cui religio propter talem casum accesserat, qui in medio extincti cadauer habebat: *quod in eo bidentibus sacrificarent*, inquit Festus. ergo vt Lucilius *carcerem* appellauit hominem dignum carcere, vel qui sæpius carcerem inhabitauerat: sic Persius *bidental* hominem cui mortuo bidental est factum, loco consecrato, & circunsepto, atque altari adiecto. *triste bidental*, dixit Horatij imitatione vt suo

loco

loco notamus. addit *cuitandum*, quia vt Marcellinus ait libro XXIII. *hoc modo contacta loca* (Græci ἀνηλύσια vocabant,) *nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri*. rectè autem *iacces*, quia vt diximus, ac lege Numæ apud Festum disertè cauetur, quem Iouis fulmen occiderat, eum supra genua tollere fas non erat, neque illi iusta facere. addit *lucis* quia sæpe fulminantur lucorum arbores sacræ, & si qui sunt in lucis homines, vnde illa orta quæstio, quæ multos olim philosophos torsit: Quare Iupiter ferienda transit aut innoxia ferit? de qua Seneca nonnihil II. Naturalium capite XLVI. sed hæc quæstio ad illam referenda, Cur Deus malos affligit rarò, bonos sæpe, ne dicam semper? quam thesim mirificè tractat idem Seneca in libro De diuina prouidentia. vel dixit Persius *iacere in lucis* fulguritum, quia ille locus vbi occisus est fit bidental, id est locus sacer. & luco etiam similis, cùm intactum maneat quicquid in eo nascitur. Quoniam autem in procuratione rei fulguritæ nihil tentabatur, nisi præeuntibus harum rerum interpretibus, vt loquitur Ammianus, ideo dixit Persius,

——*fibris ouium Ergennáque iubente.*

figura est ἓν διὰ δυοῖν. neque enim duo sunt consultores Ergenna & fibræ ouium, sed consultis mactatarum ouium fibris, quid opus sit docet Ergenna. nemo ignorat disciplinam illam totam Etruscorum fuisse, quod tot locis Seruius, Festus, Seneca, aliique testantur. *Ergenna* igitur fulguratoris & interpretis ostentorum Etrusci, no-

men est Etruscum, vt Porsenna, Sisenna, Perpenna, & similia.

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam Iupiter?) qui fulmine ictus non es, idcirco ludibrio Iouem habes? Fatui hominis est ac Babæ alicuius, vel abiectissimi certè, barbam suam præbere vellendam, quasi hominibus petulantibus ludibrium debeas, aut eorum petulantem lasciuiam non possis effugere. Familiare erat Græcis ac Latinis, vt quibus illudere volebant, barbam illis vellerent, vt dicebamus ad satiram superiorem. Simile est apud Plutarchum τὰ σκέλη τοῖς ἐλκυσταῖς παρέχειν. *crura præbere clam trahentibus.* quod soliti quidam facere, vt hac sua patientia misericordiam prætereuntium commouerent: cùm subinde homines petulantes crure tracto eos deiicerent ac solo illiderent. ita enim fuit moris. Locus Plutarchi est in libro De vitioso pudore. Sed Persius qui hanc παροιμιώδη locutionem de Ioue vsurpat, videtur alludere ad veram historiam, & rem gestam. Legitur enim Dionysius tyrannus diis barbam vulsisse, ac detraxisse cùm sua sacrilegia iocularibus etiam dictis factísque prosequeretur. lege Lactantium libro secundo cap. IV. & Græcos. τὸ *præbet* in simili sententia verbo ἐμπαρέχειν expressit Gregorius Naz. cum emphasi magna.

aut quidnam est qua tu mercede deorum Emeris auriculas?) aut si negas ludibrio Iouem à te haberi, annon metuis ne te ille malum malè perdat? nisi fortasse dicturus es, te iram eius placa-

turum ſacrificiis tuis ac donis. ſed quod tantùm munus à te offeri poteſt, vt hac mercede illudere eius auribus poſſis, ac nefaria hoc genus vota ab ab eo petere? τὸ *aut* initio ſententiæ in ſermone obiurgantis, Atticæ eſt venuſtatis. ſic apud Demoſthenem ἢ εἰπάτω, ἢ δεξάτω, & ſimilia: vbi ſemper illud reticetur, ſi quod dico verum non eſt. *mercede emere* ἀρχαϊκῶς dictum, vt *emtiuus miles* apud Feſtum, & *auxilia coemere* apud hiſtoricos, & ſimilia. *emere* autem *deorum aures mercede* illos dicit Perſius qui pretioſa donaria voventes, impia à diis peterent: quæ eſt Platonis ἐμπορικὴ τέχνη.

pulmone & lactibus vnctis?) ſeparanda hæc ſunt à ſuperioribus, & cum acrimonia pronuntianda. quæſiuerat qua mercede placari à ſe poſſe ſperarẽt iratos deos ſcelerati iſti homines: nunc eorum vicem reſponſionem ipſe ſubiicit. ſed ſatiricã & irriſionis plenam. an dicetis ſacrificiis veſtris aut donis poſſe vos deos demereri? ſcilicet auro & argento dij flectuntur, qui illa non pluris faciunt quàm pulmonem & lactes. Ariſtotelis præceptum eſt in tertio Rhetoricorum, quoties vituperabis aliquid, vt ex iis quæ ad genus idem pertinent id ponas quod viliſſimum eſt: quoties laudare inſtitues, id quod nobiliſſimum τῶν ἐν ταυτῷ γένει. eo præcepto hic vſus noſter philoſophus. nam ex omnibus quæ diis offeruntur, quid vilius pulmone & lactibus? atqui Perſius appellationib. iſtis cõplectitur quæcũq. diis offerri ſolent, libationes, hoſtias, victimas,

hecatombas, myriombas, & quantumvis pretiosa donaria.

Ecce auia, aut metuēs diuū matertera.) Transit Persius ad speciem aliam votorum eiusdem generis: hoc est in quibus peccatur in materia, sicut in superioribus: sed non tam grauiter: vt mereantur hæc vota humana dici, ab infirmitate & imperitia hominum profecta, potius quàm malitia: cùm illa priora essent ferina vota, hominum τῇ κακίᾳ πεπελωμένων. Huius generis sunt illa vota quæ persequitur ordine Iuuenalis, pro opibus, pro potentia, pro eloquentia, pro militari gloria, pro fama, pro longæuitate, pro forma, & similia his: quæ omnia probat Iuuenalis aut superuacua esse, aut pernitiosa. Etsi autem nullum est tempus, quo non res huiusmodi nobis ac nostris optemus: sunt tamen tempora quædam peculiaria, ad vota nostra concipienda destinata: puta, cùm vxorem ducimus, cùm nascuntur nobis liberi, cùm honorem aliquem adimus, aut similes priuatas solennitates celebramus. Propterea Persius de istis votis acturus, vt melius rem exprimeret, ad diei lustrici considerationem nos vocat: qua potissimum die effundebat se in vota charitas parentum erga liberos. Ea igitur vota, & varios ritus queis vti mos erat in illis concipiendis, ob oculos ponit Persius, & mox damnat.

Ecce auia & metuens diuum matertera, &c.) τὸ ecce transitioni seruit. Olim non statim vt erat natus infans aliquis & tolli iussus, pro vitali & γνήσιο,

partu habebatur. sed aliquammulti expectabantur dies qui fidem facerent vitalis fœtus. plena fides apud Græcos septima vel decima die parta credebatur, vt scimus ex Aristotele & Aristophane, ac Græcis grammaticis: tum securi festum illi diem celebrabant. sed prius lustrabatur infans: quod quinto die Græcos factitasse, eúmq. diem ἀμφιδρόμια dixisse, ex Platone, Suida, atque Hesychio notum est. Plautus quoque in Truculento fabula palliata, & Athenienſium moribus accommodata (ἡ γὰρ πάλαι τὰ δράματα Ἀθήνησι.) quinto die pro puero solitum sacrificari ostendit. Romani de partu, vitalis esset necne Pilumni lectum consulebant. Seruius: *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait, eósque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis* (fortasse *vitalis*: etsi ferri potest:) *sit qui natus est*: neque dubium spectasse eodem Iunonis mensam, quæ per totam hebdomadam proponebatur. Terrullianus De anima cap. xxxix. *Cui hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas aucupabundus, vel quà inuitatus, tota illa puerperij superstitione? Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc veteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ ciulatur: dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur: dum vltima die fata scribunda aduocantur.* postea lustricum infantium diem celebrabant: qui fuit octauus puellarum, nonus puerorum, auctoribus Festo, Plutarcho,

ac Macrobio. ille dies & lustricus nominatur, quia lustrabatur infans: (ideo *lustralis solemnitas* dicitur Symmacho in epistola ad Flauianum fratrem:) item nominalis, quia nomen illi tum indebatur, quod præter iam dictos testatur Suetonius in Nerone, capite VI. Tertullianus eam diem hebdomadæ vltimam vocat: quod non repugnat ei quod diximus: nam videtur illa cuius meminit Tertullianus hebdomas religiosa non statim à natiuitate cepta fuisse: vt nihil vetet diem eandem vltimam esse hebdomadæ & natiuitatis octauam vel nonam. idem eruditissimus scriptor in libro de idololatria eam diem Nominalia appellat, Gregorius Nazianzenus Ονομαστήρια: alij Græci ἑορτὴν ὀνομάζειν. Illa die puerum lustrabant, nomen illi imponebant, ac vota pro eo faciebant. Sed præcipua religio in electione nominis in quo semper omen futuræ felicitatis captabant. Auctor est beatus Chrysostomus in IV. caput prioris ad Corinthios: moris fuisse adhuc ætate sua nonnullorum qui pro Christianis haberi volebant, vt infanti nomen imposituri, lumina multa accenderent, suum cuique nomen assignantes: puta vni lumini Zosimi appellationem indebant, alteri Stephani, tertio Procopij, & ita in cæteris: atque eius demum quod cæteris extinctis superuixerat, nomen arripiebant ac puero imponebant. ἰώνικα αὖ, inquit, καλεῖσθαι τὸ παιδίον δέον, ἀφέντες ἀπὸ τῆς ἀγίων αὐτὸ καλεῖν ὡς οἱ παλαιοὶ τὸ πρῶτον ἐποίουν, λύχνους ἅψαντες, & ὀνόματα αὐτοῖς ἐπιθέντες, τὸν διαρκέσαντα μέχρι πολλοῦ,

τοῦ παιδίου ποιοῦσιν ὁμώνυμον· ἐντεῦθεν πολὺν αὐτὸ στοχαζόμενοι βιώσεσθαι χρόνον. Captabant eadem omina & ex aliis rebus; cuiusmodi sunt loci temporísque περιστάσεις: cuius rei exempla sunt in historiis veterum. Atque hoc est quod Tertullianus vocat *fata scribũda aduocare*. cuius moris & Ausonius meminit, vt obseruauit magnus Scaliger: in Parentalibus scribens de Æmilio Magno Arborio, auunculo:

Me tibi, me patribus, charum decus esse professus,
Dictasti fatis verba notanda meis.

videntur hæc quæ vocabant fata, in quadam tabula solita perscribi: nam & Ioannes Chrysostomus similis tabellæ meminit, quæ nascente infante scribebatur. Verba illius sunt in eam ad Galatas, vbi grauiter conqueritur vir pius de ausu nefario eorum qui tabellas impietatis plenas cùm infantes nascerentur scribere soliti: Ἑλλήνων ἔθη, inquit, παρά τισι τῶν ἡμετέρων φυλάττεται κληδονισμοὶ καὶ οἰωνισμοὶ, καὶ σύμβολα, καὶ ἡμερῶν παρατηρήσεις, καὶ ἡ περὶ τὴν γένεσιν σπουδὴ, καὶ τὰ πάσης ἀσεβείας γέμοντα γραμματεῖα, ἃ τικτομένων τῶν παιδίων εὐθέως ἐπὶ κακῷ τῆς ἑαυτῶν συντιθέασι κεφαλῆς: possunt sancti huius patris verba & ad hunc ritum trahi, & aliter accipi: nam fortasse hæc pittacia quorum meminit, ad genethliacorum ineptias pertinuerunt. Hæc igitur & similia his die lustrico fiebant, quem describit heic Persius.

auia & metuens diuûm matertera.) conueniebant ad Nominalia omnis cognatio. lustrandi partes propriæ piatricum muliercularum fuêre:

quæ erant anus recoctæ, circunferendi, & omnium rituum illorum superstitiosorum peritæ. Plutarchus in libro de superstitione γραὸς πλανητείας sæpius nominat. in lustricis autem infantium diebus id ministerium obibant vetulæ cognatæ. quare non temerè heic auiæ ac materteræ nominantur à Persio, nec sine caussa dixit *metuens diuûm:* sed vt superstitionem aniculæ ostenderet. ea enim est superstitiosi periphrasis ex mente veterum, de qua dicebamus ad Theophrasti characterem δεισιδαιμονίας: interdum etiá pij: vt in illo Ouidij in v. Metam.

Emathion æqui cultor timidúsque deorum.

cunis exemit puerum.) vt præsens sisteretur ad sacra quæ pro ipsius salute tum aliis diis deabúsq; fiebant, tum etiam deæ Cuninæ.

frontémque atque vda labella Infami digito, & lustralibus antè saliuis Expiat.) Lustrationes veterum peragebantur circumlatione in orbem, & affricatione, quod περιμάττειν Græci dicunt; eámque vocem pluribus ad Theophrastum exposuimus. Egregius verò hic locus de ritibus quibus recens nati lustrabantur. hinc igitur cognoscimus, infantibus die lustrico suo saliuam ad labra & frontem solitam admoueri, (qui mos posteà in Christianorum nominalibus, die sacratissimo videtur mansisse:) ídque digito infami. idem & in aliis quibusdam lustrationibus fiebat. saliuæ enim inesse vim quandam mirificam existimabant, vt fusè docet Plinius lib. XXVIII. cap. IV. alludit eò Athanasius cùm Priscillæ & Mon-

tani deliria appellat γραῶν πτύσματα, in tractatu contra omnes hæreses. verùm ad expiationes, ferè non meram adhibebant saliuam, sed puluerem sputo turbatum, hoc est, lutum. Petronius: *Mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontémque signauit*. neque heic aliter lustralem saliuam interpretor: nam sine luto expiationes non peragebantur. ideo πηλώσεις & καταβορβορώσεις inter genera catharmorum quos superstitiosi homines stultè excogitauerant, ponit Plutarchus. modò autem luto sese inquinabant expiandi peccati gratia: quod apud Aristidem in Sacris dicitur τοῦ πηλοῦ λαμβάνειν: modò in luto se volutabant quod πηλοῦσθαι τῷ θεῷ dicebant, & καταβορβόρωσιν ritum illum vocabant. Lutum verò quo aniculæ piatrices vtebantur, vel sputo proprio conficiebant, vt diximus: vel è balineorum cellis petebant, auctore Chrysostomo, qui eius vanitatis meminit in priorem ad Corinthios. eius verba apponam, vt cum Persianis conferantur, βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι, τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι, κατὰ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου solent, ait, nutriculæ aut ancillulæ vel aliæ mulieres luto è balneis sumto, digito infantem linere, & frontem illius signare.

infami digito.) medio: Petronius. is verò infamis: neque aliæ res nisi probrosæ porrectione huius digiti indicabantur. Dio Chrysostomus orat. XXXIII. εἴ τις παραγένοιτο εἰς πόλιν ἐν ᾗ πάντες ὅ, τι ἂν δεικνύωσι, τῷ μέσῳ δακτύλῳ δεικνύουσι, ποίαν

τινα ἡγήσεται τὴν πόλιν ταύτην;

vrentes oculos inhibere perita.) fascinum pueris præsertim suis timebant. salinam autem siue lutum eò valere credebant. subiicit Ioannes Chrysostomus verbis modò allatis: τί δὲ ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησὶ καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον. eam ob caussam, & Cuninæ vota faciebant. Lactantius libro primo: *Cunina infantes in cunis tuetur, ac fascinum submouet.* amuleta etiam & res turpiculas ideo pueris appendebant.

Tunc manibus quatit.) Expiatio præcedit preces: hæ iam sequuntur. cùm autem pro infantibus vota faciebant manibus quatere eos solebant, quasi præsentibus diis illos ostenderent. Homerus de Hectore, Ιλιαδ. ζ.

Αὐτὰρ ὅγ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κύσε πῆλέ τε χερσὶν,
Εἶπεν ἐπευξάμενος Διὶ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσι. quod poëta dixit πάλλειν χερσὶν, alij ἀνοργάζειν, quod exponitur Hesychio, τὰ παιδία ταῖς χερσὶν ἀναπάλλειν. Lycophrō βράσαι de votis pro infante similiter loquēs:

Σφῷ πατρὶ λάσκε τὰς ἐπηκόους λιτὰς
Σκύμνον παρ' ἀγκάλῃσιν αἰετοῦ βράσας.

spem macram.) infantem tenellum ac ferme adhuc à partu recentem. *spes* Latinis familiare est pro pueritia aut iuuentute: item pro puero ac iuuene. Virgilius, — *nec spes iam restat Iuli.* Seneca apud Tacitum: *Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ sum admotus.* ita accipe Ausonij versum in Parentalibus, qui virum eruditum Eliam Vinetum ad incitas redegit:

Pastor chare nepos: spes cuius certa fuit res.

hoc est, qui in iuuentute talem te præbuisti qualem solet pater optare vt fiat, & sperare futurum filium vbi maturuerit. Idem in Professoribus:

Herculane qui profectus gremio de nostro & schola
Spem magis quàm rem fruendam præbuisti auunculo.

sic etiam in Protreptico ad Ausonium nepotem.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.) votum pro diuitiis: quod quia frequentissimum est, & omnibus commune, ideo & Persius & Iuuenalis illud cæteris omnibus præposuerunt. Latini scriptores ad exemplum ditissimorum Licinium & Crassum nominant, vt heic Persius, & Seneca epistola cxx. Vetus interpres fluctuat heic: modò pro eiusdem hominis nominibus hæc accipiens: quod refellit Seneca apertè distinguens in gemino huic loco inter Crassum & Licinum siue Licinium: etsi de gente Licinia & Crassus ille diues fuit. Etiam illud falsum quod ex aliorum sententia idem interpres subiicit de Licino Augusti tonsore ac liberto. Noli dubitare per campos Licinij vetustum illum intelligi Licinium Stolonem, qui ob possessa cum filio agri iugera cio. damnatus est: sicut per ædes Crassi opes denotantur illius Crassi, quem testatur in vita Plutarchus, crebris domorum emtionibus ac venditionibus, ingentes quæsiuisse sibi opes.

Hunc optent generum rex & regina.) Votum pro forma & potentia: est enim mixtum, vt ferè sunt hominum cupiditates. Iuuenalis separatim vtrumque hoc caput est persecutus: simile quid

olim accidit Maximino Iuniori, vt refert Capitolinus.

Hunc rapiant.) sic apud Græcos ἁρπάζῃ & συναρπάζῃ de re admodum expetita. in vetere Persij vita, *deripere* eo sensu.

Quicquid calcauerit hîc rosa fiat.) Votum pro absoluta omnibus numeris felicitate: quam poëtica circumlocutione ex primit. in prima,

——*è manibus illis Nascentur violæ.*

Claudianus in laude Serenæ, *-quocunq. per herbam Reptares fluxere rosæ.*——

vide si lubet Animad. in Athenæum libro IV. capite XIII. non malè scripseris *heic.* τὸ *fiat* pro nascatur, vt apud Græcos γένοιτο pro γενήσεται.

Ast ego nutrici non mando vota.) Nutricum præcipuus in alumnos affectus: sed prudentia quanta solet mulierculis inesse quibus ne liberalis quidem educatio contigit. frustra erat Chrysippus cùm nutrices si fieri posset sapientes optabat. nam omnino fieri haud potest. Optabant illæ igitur suis alumnis non quæ sunt verè bona: sed quæ videntur ipsis esse. hoc vult Persius: horum parentum vota similia esse stultarum nutricularum votis malè sanis. Seneca epistola XXXII, *Optauerunt tibi alia parentes tui: sed ego contrà, omnium tibi corum contemtum opto, quorum illi copiam.* idem in IX. *Etiam num optas quod tibi optauit nutrix, aut pædagogus aut mater. Nondum intelligis quantum mali optauerint.* mox vocat *execrationes parentum* non vota. Atque his verbis tãgit poëta insignem illum hominum errorem.

qui putant rem esse facilem & cuiuis notam, scire quid sit à deo petendum. Persius verò cùm negat nutrici se vota mandare, hoc significat: non nisi sapientissimos viros orandi scientiam tenere: quæ erat Stoicorum sententia, vt antè diximus, & Platonis etiam: cuius liber περὶ προσευχῆς eò potissimum spectat, vt difficultatem huius rei nos doceat.

negato Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit) Id significat: hæc vota indigna esse quæ dij exaudiant: quippe ab iis facta, qui intus sordeãt, extrinsecus speciem pietatis præ se ferant. albati, hoc est in candida & pura veste ad deos adibant, vt sciunt omnes. Plautus Rudente:

—— æquius vos erat
Candidatas venire hostiatásque ad hoc
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.

Philo Iudæus De Caino, λευχειμονοῦντες μὲν εἰς τὰ ἱερὰ βαδίζειν σπουδάζουσιν ἀκηλιδώτους ἐσθῆτας ἀμπεχόμενοι, διάνοιαν δὲ κεκηλιδωμένην ἄχρι τῶν ἀδύτων εἰσάγοντες, οὐκ αἰδοῦνται.

quamuis te ablata rogarit.) videtur alludere ad formulam precum, quæ tantopere laudatur apud Platonem:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ τοῖς εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Αμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξοις.
Iuppiter ô nobis, taceamus siue precemur
Da bona: quæ mala sunt errore petentibus arce.

Poscis opem neruis, corpúsque fidele senectæ.) Iam agit Persius de genere hominum qui errorem alium in votis errant: cùm ipsi sua sibi vota con-

traria vitæ ratione destruunt: quod quid est aliud nisi numen irridere? Scitum enim est Græcorum præceptum: sic deos opem esse poscendos, vt interea ab opere manum non amoueas. τὰν χεῖρα ποτιφέροντα δεῖ τὰν τύχαν καλεῖν. Timotheus ad ecclesiam catholicam libro primo: *Inconsultißimum ac stultißimum est, id quosdam agere, vt quod affectu ac voto volunt, idipsum re atque actu nolle videantur.* profert sapiens hic duo eiusmodi hominum exempla: prius est illorum, qui valetudinem prosperam petunt à superis, & Bacchanalia interim viuunt. alterum genus est eorum qui opes deos poscunt, cùm ipsi quæsitis non parcant, sed sua in cassum dilapident. Stultitiam hanc hominum fusè persequitur Maximus Tyrius sermone xx.

Poscis opem neruis.) Clemens Alexandrinus Stromatum libro VII. εἶτα νήφοντες μὲν ὑγείαν αἰτοῦνται, ὑπερεμπιπλάμενοι δὲ καὶ μέθαις ἐγκυλιόμενοι κατὰ τὰς ἑορτὰς νόσοις ἐπισπῶνται.

neruis.) robori corporis quod maximè positum in neruorum integritate: inde νευροῦσθαι pro firmari: quod etiam ad animum transferunt. Philo Iudæus, νευροῦσθαι ταῖς παραινέσεσι dixit in Mosis vita. huius contrarium apud poëtam est ἀπογυιοῦν.

corpúsque fidele senectæ.) corpus cui suæ vires permaneant ad senectam vsque. dictum eleganter.

sed grandes patinæ, tuc.) Maximus Tyrius: εὐλαβούμενοι νόσοις τῶν νοσερῶν οὐκ ἀπέχονται. Laërtius de

Diogene cane: ἐκίνει αὐτὸν τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν. *patinæ* Græcis πατάνια siue βατάνια. *grandes patinæ*, quæ Græcus comicus πατανίων σορεύματα: Plautus *patinarum struicem.*

tucetáque crassa.) vox Gallica *tucetum* vt adnotant veteres critici: ζωμὸς παχὺς exponitur Græcis magistris. quod firmat vox *crassa.* Arnobius videtur minutalis genus facere, & à verbo tundo vocis originem repetere.

Rem struere exoptas cæso boue.) Alterum exemplum. contraria sunt vota, rem optare struere, hoc est, ἐπισωρεύειν: & armenta sua ire minutum: quod sine diuitiarum notabili iactura fieri non potest. Cùm autem sint minuendæ rei sexcenti modi: Persius eius potissimum impensæ meminit, quæ in sacrificiis versatur: vt duo simul in istis reprehenderet: profusionem partarum iam opum studio nouas parandi: & stultam illam opinionem, quasi largitione ista sua deos obstringerent sibi, vt paria secum facerent, ex illa iurisconsultorum formula, do vt des. ita commodissimè & sensim delabitur in sermonem de votis propriè sic dictis, & fœda cum diis nundinatione.

Mercuriúmque Arceßis fibra.) iugibus sacrificiis litare tentas Mercurio, vt multus tibi quæstus obueniat vel ex mercimoniis tuis, vel ex studiis & opera forensi, vel ex ruris prouentu, aut nescio vnde ex inopinato. eiusmodi sunt lucra quæ conciliat Mercurius.

Tot tibi cùm in flammis iunicum omenta liquescant.) cùm tot maiores victimas cædas: vt sunt boues, tauri, iuuenci, & iunices siue δαμάλεις. Etsi autem in honorem deorum mactari victimæ dicebantur: vt plurimùm tamen minuta quædam diis adolebant, cætera conuiuantes absumebant: qua de re plura ad Athenæum libro IV. cap. XI. inter illa minuta fuit omentum. Catullus epigrammate in Gellium,

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

loquitur de Persis qui in suis sacrificiis victimam secare in partes, & diuidere inter se soliti, animã deo relinquentes: nisi quod τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν ἐπὶ τὸ πῦρ, inquit Strabo.

Et tamen hic extis & opimo vincere ferto Intendit.) Superstitiosorum errorem his quatuor versibus depingit. hi enim persuasi maxima quæq. sacrificia plurimùm apud deos posse: nullis parcebant sumtibus, quo possent eos demereri. quare eueniebat sæpe, vt qui ditescenti studio deos colebant, fœda hac illorum κολακείᾳ ac nundinatione, auitas opes consumerent. ita malè cum iis agitur, qui existimant τοιοῦτον εἶναι τὸ τῶν θεῶν ὥς τε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, καὶ κακὸν τοκιστὴν, vt ait Plato. Hanc vanam & ridiculam persuasionem graphicè ob oculos ponit Persius.

opimo vincere ferto.) Rectè *ferto*: non *farto*: quod in deprauatis codicibus inuentum malè tuentur. Catonis de re rustica caput CXXXIV. lege. sed Persius ἁπλῶς pro re diis oblata heic accipit, non pro libo. etiam illud falsissimum, χιῶνας σιτευτοὺς

τοὺς & altiles alios esse à fartis: non obseruarant, *farcire* Catoni atque aliis id esse, quod Græcis σιτίζειν aut σιτεύειν.

Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.) donec peruentum sit ad vltimum ferme arcæ vel loculorum nummum. tunc sera pœnitentia animos istis incessit. frustra: δεινὴ γὰρ ἐν πυθμένι φειδώ; ait Hesiodus: quem noster hoc versu imitatur.

Si tibi craterras argenti.) Aperit iam Persius totius huius erroris fontem: quod nimirum de diis non aliter isti sentirent quàm vt de hominibus, humanósque illis affectus, ac vitia tribuerent. Qui igitur cupiditate opum arderent, de diis idem existimarunt.

craterras arg.) Ita scribunt Latini, & formant, *craterra*, *craterræ*. dicunt & crater cum Græcis. quod huic loco non conuenit.

incusáque pingui Auro dona feram.) *incudere* verbum τῆς τορευτικῆς, pro imprimere cudendo. Virgilius, *cratera impressum signis*. Græci ἐμπείρειν hoc dicunt & ἐμπαίειν, quod planè est incudere. vnde ἐμπαιστικὴ τέχνη quæ operibus argenteis signa aurea imprimebat, sicut dicebamus ad Suetonij librum secundum. huc refer Senecæ verba ex epistola quinta: *Non habemus argentum in quod solidi auri cælatura descenderit* pro malleo ducere simpliciter aliquando vsurpatur. Valerius Flaccus libro secundo: *Incusæ sonitum mirabere massæ.*

sudes.) παντοῖος ἂν ὑπὸ χρᾶς γένοιο. ingens autem gaudium quod ex lucro homo auarus capit, variè auctores exprimunt. M. Tullius in simili lo-

co III. De officiis: *Si dares hanc vim M. Crasso, vt digitorum percußione heres posset scriptus esse, in foro mihi crede saltaret.* Persius sudorem illi tribuit, hoc est grauem commotionem: quales sunt illæ quas sequitur sudor. Aspasiæ versum in v. Athenæi cum hoc loco componebamus Animaduers. cap. xx.

Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χρᾶς ὕπο σῶμα λιπαίνω
Ἱδρῶτι. ——

quam obseruationem sine caussa quidam conati sunt incrustare. Philo Iudæus De Aarone: ἡ ἐλπὶς τὸ αὐχμηρὸν ἀναχαλᾷ καὶ λιπαίνει τῶν φροντίδων.

& pectore læuo Excutias guttas.) lacrimes præ gaudio: tanta est stultitia tua. malè in aliis libris, *pectore læto.* Virg.

—— *si mens non læua fuisset.*

hoc est, nisi fuissemus stulti. ita heic *pectus læuum.* lacrimæ omnis fere grauioris commotionis comites: nam etiam somnianti fluunt Turno apud poëtam, —— *ossáque & artus*

Perfudit toto proruptus corpore sudor:

sed ex repentino maximè gaudio lacrimæ manare solitæ, vt passim obseruant auctores. sequitur in versu Aspasiæ: βλεφάρων δὲ γόος πέσεν οὐκ ἀθελήτως. & alij plurimi, vt apud Suetonium lib. II. cap. LVIII. notabamus. caussam harum lacrimarum explicant philosophi. vt Alexander Trallianus in Problematis. vide Senecam epistola XCIX. & magnum Basilium in commentario Περὶ εὐχαριστίας. docet verò Simplicius in Epictetum, ex contrariis caussis dolore & gaudio, quorum affe-

ctuum illo conſtringimur, hoc relaxamur, eoſdem affectus in nobis edi. ὁπ τῶν λυπηρῶν καὶ τῶν ἡδέων τὰ αὐτά πως ἔπεται. τὰ λυπερὰ πιλεῖ· τὰ δ' ἡδέα διαχεῖ. quo loco prætermitti lacrimas à Simplicio non oportuit.

Lætari prætrepidum cor.) ita rectè membranæ, melius quàm *lætetur*. quid vſitatius hoc genere locutionis hiſtoricę per infinitiuum? quam poëta elegantiſſimè heic vſurpauit. vocem *prætrepidum*, vel vt in aliis, *pertrepidum* expoſuimus ſatira 1.

Hinc illud ſubiit, auro ſ.) *hinc*, id eſt, quia deos æſtimamus vitiis noſtris, vt loquitur Seneca. idem philoſophus epiſtola CXV. *Admirationem nobis parentes auri argentíque fecerunt: & teneris infuſa cupiditas altius ſedit creuítque nobiſcum. Deinde totus populus in alio diſcors, in hoc conuenit: hoc ſuſpiciunt, hoc ſuis optant, hoc diis velut rerum humanarum maximum, cùm grati videri volunt, conſecrant.* ſimilia his Lactantius libri VI. initio.

auro ſacras quod ouato Perducis facies.) quod argento, auro, ac gemmis deos colimus. quod quia in maius voluit poëta extollere, ponit exemplum maximæ impenſæ quæ in hoc genere ſoleret fieri apud Romanos: quibus fuit moris, vt ex manubiali pecunia viri triumphales dona diis pretioſiſſima conſecrarent. exempla vbique obuia in hiſtoria Rom. *aurum ouatum*, quod Ouidius aurum tropæorum appellat illo verſu in epiſtola ad Germanicum lib. II. de Ponto.

Déque tropæorum quod ſol incenderat auro.

Perducis facies.) totas facies, totásque adeo statuas deorum ducis ex auro. *ducere* heic ἐλάαυνειν: vnde opera χρυσήλατα, vt σφυρήλατα.

nam fratres inter ahenos Somnia p.) Sub exemplo quod dixit explicat planiùs. Nam exempli gratia, inquit: sunt in Apollinis Palatini porticu quinquaginta Ægypti filiorum effigies consecratæ omnes ex ære, & honore pari. verùm si persuasum alicui fuerit, se veriorem δι' ἐγκοιμήσεως μαντικὴν esse adeptum, cum his vota faceret, potius quàm illis: is hos quos sibi propitiat credit, instituet κολακεύειν & singulari honore præ ceteris afficere, atque auro colere. barbam igitur auream illis curabit apponi, & donaria pretiosa appendi. Quare verum apparet quod diximus: ita nos cum diis agere, vt cum hominibus. salutem medici diligentia partam, cùm grati esse volumus, auro pensamus. idem erga deos quoque fit. hæc sententia huius loci.

fratres inter ahenos.) Non possunt de Castore & Polluce hæc accipi: apparet enim de pluribus loqui poëtam, quàm de duobus, qui de simulacris deorum in Pantheo accipiunt, & ad tertium caput nos reiiciunt libri xxxiv. Plinij, ludunt suos lectores. Acronem igitur sequamur, & eius interpretationem, quæ apud veterem scholiasten.

Somnia pituita qui purgatißima mittunt.) In somnis curationes indicare varios deos aut heroas, credidit vetustas: etsi præcipuè Apollinis, atque Æsculapij illæ partes credebantur esse à Græcis

& Romanis: posteà verò gliscente superstitione Ægytiaca, Isis & Osiris ac Sarapis eandem vim habere existimati sunt: nec solùm isti, sed etiam Ægypti filij hi quinquaginta, si Acroni credimus. *somnia mittere* dixit, pro θεραπείας δι' ὀνειράτων. & vt loquitur in Sacris Aristides, ὅσας τῶν ὀνειράτων, quæ cuiusmodi fuerint, nusquam discas melius, quàm ex illis nugacissimis libris, magni alioquin scriptoris. *somnia* autem *pituita purgatissima* appellat figuratè illa quorum fides certior in sanando & efficacia maior. per *somnia* enim siue insomnia, intelligit præmonstratas curationes ac θεραπείας.

Præcipui sunto:) præcipuo honore coluntor illi. sic tu tecum statuis si gratus es.

Sitq; illis aurea barba.) nec solùm honore verborum eos ducis esse colendos, sed etiam ornandos pecunia tua. Videntur aureas barbas diis de se bene meritis appósuisse: quod & hic locus, & illa de Dionysio tyranno historia quam suprà tetigimus confirmat. Quare iis potissimum diis à quibus plurima sperabant, aut quorum potestatem maximam putabant, auream barbam tribuebant vt Ioui, quod testatur Sueton. in Caligula cap. LII.

Aurum vasa Numæ, Saturniáque impulit æra.) Ex hac peruersa hominum opinione illud secutum est, vt frugalitas veterum in cultu deorum, locum iam nullum habeat: sed contrà in templis auro & argento omnia niteant.

Vasa Numæ.) vasa fictilia cuiusmodi erant qui-

bus olim Numa ceremoniarum primus auctor Rom. vti instituit. etsi dici potest, seculi eam λιτότητα fuisse non hominum. de capedunculis & vrnulis fictilibus Numæ, Cicero & alij.

Saturniáque impulit æra.) æra in quibus veteris pop. Ro. opes etiam publicæ erant positæ. alludit ad ærarium quod in æde Saturni: nam è re dictum fuit ærarium. alioquin omnia antiqua dicuntur κρόνια & Saturnia. *impulit* loco deiecit & contemni fecit, vt rectè expositum in Bongarsianis membranis.

Vestalésque vrnas.) vrnis aquam necessariam ad sacra Vestales gestabant: vt de Tarpeij filia notum quæ arcem Sabinis prodidit.

Tuscum fictile.) An quia ex Etruriæ figulinis Romam afferretur? puta Areto: Antidamus in moralibus. *quis auerruncaßit tam Aretinas hominum mentes?* Fulgentius exponit, testeas, vel argillaceas. An eo respicit, quod pleraque ad religionem spectantia habuerunt Romani ab Etruscis?

O curuæ in terris animæ, cœlestium inanes!) Potest hic versus & cum sequentibus iungi: sed præstat esse epiphonema, præcedentibus verbis subiectum: appositissimè illud quidem, & meritissimè. quid enim stultius aut improbius, quàm propria vitia in deum transferre? iure igitur exclamat Persius, ignorantiam Dei suis hominibus exprobrans, & rerum diuinarum. Est autem exacta vituperatio per ἄρσιν & θέσιν, vt præcipiunt rhetores. ἄρσις est, *cœlestium inanes.*

θέσις, ὃ *curuæ in terris animæ*, προπυστέρως enim posuit. Simillimum huic est illud in Euangelio à Domino pronuntiatum. σκάνδαλόν μου εἶ. ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. vt quidem illum locum Theophylactus interpretatur. sententiam verò huius versus aliter extulit Lactantius libro VI. cap. primo. *Homines*, inquit, *nihil sapiunt nisi terram: bonáque & mala solius corporis sensu & voluptate perpendunt. Huius arbitrio vt religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt.* idem politissimus scriptor lib. II. capite II. hunc Persij locum affert, & cùm eo loco, tum etiam alibi multa in hanc sententiam disputat.

curuæ in terris animæ.) Beatus pater Chrysostomus concione XXI. in eam ad Ephesios: μέχρι τίνος ἐσμὲν σάρκες; μέχρι τίνος ἐπὶ τῆς γῆς κύπτομεν; & sæpius κατωφερεῖς ac χαμαιζήλοις, & τοὺς ἐκ τῆς γῆς κενολογοῦντας homines eandem ob caussam vocant Græci patres. *in terris* autem membranæ omnes, non *in terras*, ídque est ἐμφατικώτερον; qui non solùm terram spectant, sed in illa toti hærent: ne minimum quidem attollentes se supra humum. apud Lactantium tamen est *in terras*.

cœlestium inanes.) inanes eius cognitionis ac scientiæ, quæ docet quid sit Deus, & quomodo adoretur, atque oretur rite. verumenimuerò huius scientiæ non multò maiorem quàm reliqui habuit notitiam Persius, aut omnino quisquam mortalium, quem non recreasset qui creauerat, refecisset qui fecerat, vt ait Augustinus.

Quid iuuat hoc, templis nostros immittere mores.) Epiphonemati subiicit increpationem. semper autem sibi similis noster philosophus: quem antè docuimus omnia dicta factáque hominum ad finem suum exigere. ita heic obiurgationem suam ab eo capite deriuat: stultos esse probans qui frustra diis pretiosa dona offerant, qui diuitiis nec capiantur neque vtantur. *quid iuuat?* id est in quem finem hoc facimus, quod corruptelam morum nostrorum inferimus in res religionis? nam quia luxuria & auaritia animos nostros occupant, ideo sic erga deos nos gerimus, quasi & illi essent luxuriosi & auari. præclarè Arbiter, *Ipse senatus recti boníque præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Iouem quoque pecunia exorat.*

Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpa.) καὶ ἐκ τῆς ἰδίας ἡδυπαθείας δοκιμάζειν τὰ τοῖς θεοῖς ἀγαθὰ καὶ καταθύμια. *bona diis ducere*, valet, ducere atque existimare illa diis esse grata, quæ sceleratæ huic pulpæ sint grata. Bona sunt alia aliis: nam verbi gratia, hominibus multa non sunt bona, quæ alij animantium generi sint bona ac grata. nec quod vni bonum, statim & alteri. errant igitur qui bona & grata numini censent, quæ vident iudicio hominum esse bona. quid illi, qui non sani hominis, sed vitiis corrupti iudicio comprobata bona, putant Deo placere? *pulpa* est caro sine ossibus: à palpitando dicta: mollis enim est ac tremula: heic pro carne accipitur & toto corpore, quod mollitie ac luxu diffluit. planè

ſicut in ſacris libris *caro* ſolet poni. & Chryſoſtomus paullò antè μέχει τίνος ἐρωμὲν σάρκες; ex ſic capitur heic, vt cùm dicimus, *ex tuis moribus de meis iudicas.* eſt igitur, *ex hac ſcelerata pulpa*, iudicium ſequentes carnis: ſiue quod dictant luxuria & auaritia quibus ſeruimus. *ſceleratam* vocat autem *pulpam*, id eſt carnem, quia per flagitia ac ſcelera voluptuarij ſolent ei gratificari.

Hæc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo.) Quod modò dixit, fruſtra ad deos luxuriæ inſtrumenta transferri: id ſeptem ſequentibus verſibus tractat vberius: comparans inter ſe luxuriam quæ ab hominibus in habitu ac cultu vſurpatur: cùm illa quæ in cultu deorum. vtramque pronuntiat vitioſam: ſed hanc eò magis, quod dij quorum cauſſa aurum, argentum, gemmæ & ſimilia parantur, illis nullo modo vtuntur: cùm homines contra in vſum ſuum illa vertant, & voluptatem magnam ex iiſdem rebus capiant. Quia autem mulieribus non viris cultus pretioſus conuenit, ideo de illis loquitur, non de viris. Omnia autem quorum meminit communia erant vtrique luxuriæ generi: nam & ad deorum cultum ornatúmque illa vſurpabantur, vnguenta, purpura, gemmæ, aurum.

corrupto oliuo.) vnguentum curat conficiendum è caſia præſertim nigra, pretioſiſſimum. omnia autem vnguenta fiunt mixto oliuo: nam oleum eſt materia apta ſuſcipiendis odoribus ſeruandíſque. itaque in oleum transferuntur ab vnguentariis. rectè autem *corrupto*: quicquid

enim desinit illud esse quod fuit, corrumpi dicitur. olim Lacedæmonij cùm vnguentarios vrbe pellerent, criminis loco obiicerunt, *quod oleum disperderent.* ergo etiam mixtiones quales fiunt à myrepsis & pictoribus sunt φθοραὶ. neque aliter pictores loquebantur vt vsurpat Plutarchus in VIII. Sympos. sic μιαίνειν dixerunt pro μιγνύειν, & μίανσις pro mistione, vt disputant Plutarchus idem ac Porphyrius: & ita doctissimus Persius, sequente versu, *vitiato murice.*

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.) lanam Tarentinam coquendo infecit liquore è conchylio muricis.

Hæc baccam conchæ rasisse.) Est alia quæ iubeat sibi margaritas quæri. *baccam conchæ radere* est τὸν μαργαρίτην χωρίζειν ἀπὸ τοῦ κόγχου, vt loquitur Græcus scriptor apud Athenæum libro III. margaritam vocat *baccam*, Virgilium imitatus. Plinius *nucleum* dixit, vt obseruabamus alibi. infimæ Latinitatis auctores *perulos*, quod nomen idioma nostrum seruauit. extat apud veterem interpretem Horatij.

& stringere venas Feruentis massæ crudo de puluere iussit.) iussit conflari in vnam massam crudum puluerem è venis terræ, siue fodinis auri vel argenti. non potest dubitari quin de auro & argento sentiat Persius: quare voce *stringere* est abusus: nam illi propriè in solo ferro locus est, vt disertè Plinius obseruat libro XXXIV. cap. XIIII. ferri autem quis vsus in muliercularum mundo? *Stringere* est malleo tundere ita vt eliciantur stri-

cta, hoc est σπινθῆρες. sed in arte metallica est συλλιπαίνειν, vt dicebamus ad librum v. Strabonis: hoc est, terram vnde fit ferrum conflare in naturam ferri: quod fit coquendo in fornace. inde stricturæ ferri apud Virgilium: & illæ quæ sic propriè dicuntur, de quibus Plinius. aurum quoque, siue in ramentis collectum, siue in globis aut ballucis inuentum, in massam conflatur in fornace: *stringi* tamen non dicitur, quod sciam Latinis scriptoribus. *crudum puluerem* vocat ramenta, aut terram in fornace nondum coctam.

Peccat & hæc peccat.) etiam illa luxuria qua homines in cultu suo vtuntur vitium est, & peccatum.

vitio tamen vtitur.) sed id peccatum eo minus est, quia est aliquis saltem vsus hominibus earum rerum. hæc quidem sententia defendi potest: certum tamen, τοὺς τρυφητὰς non necessitatem aut vtilitatem, sed voluptatem & delicias spectare, cùm auro & gẽmis & cæteris id genus sese exornant. itaq. non vtuntur illis, sed fruuntur. quare *vtitur* heic accipio pro fruitur. Sic & Seneca in III. De ira, peiorem esse iram quàm luxuriam eo probat, quod luxuria sua voluptate fruatur.

at vos Dicite pontif.) atqui in rebus sacris neque vllus vsus est auri & gemmarum: nec existimare debemus de diis tam malè, vt putemus illos oblectari more hominum cultu sumtuoso ac delicato. Rectè autem pontifices compellat, penes quos omnium sacrorum cura, & à quibus

ſacerdotum omnium collegia pendebant.

in ſancto quid facit aurum?) ita membranæ omnes: apud Lampridium in Alexandro, *in ſanctis.* alij codices, *in ſacro.* quod poſtremum ſequor potius. nam *ſacrum* eſt res deo ſacra. vnde eſt apud Plautum, *ſacro manus admoliri.* & ita apud M. Tullium. Porrò etiam qui ſolo naturæ ductu Deum norant, ἀνενδεῆ ac rei nullius indigentem illum eſſe ſciuerunt, omnis ætas & natio; non ſolùm Iudæi, qui propterea שדי Deum OPT. MAX. dixerunt. Sacrificia igitur & dona diis offerenda, verè docent etiam philoſophi, non quaſi illis egeant: ſed quia ſuum erga numen affectum qui ſacrificat, aut dona appendit, palàm facit. Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca: κἀν σπείση τις τοῖς θεοῖς, κἀν θυμιάσῃ μόνον, κἀν προσάψηται, μθ' ἧς μὲν τοι προσήκει διανοίας, οὐθὲν ἔλαττον πεποίηκε. οὐδὲ γὰρ δεῖται τῶν τοιούτων ἴσως οὐδενὸς ὁ Θεός. ἀλλ' ἀγαλμ^τ^χ ἢ θυσιῶν. ἄλλως δὲ οὐ μάτην γίνεται ταῦτα, τὴν προθυμίαν ἡμῶν καὶ τὴν διάθεσιν ἐμφαινόντων πρὸς αὐτούς. Aurum verò adeo ſanctimoniam nullam adiicit rebus Deo conſecratis, vt contrà, templa quædã vetuſtas habuerit, in quæ aurum inferre erat nefas. itaque ædem ingreſſuri, aurum ponebant, inquit Plutarchus in Politicis præceptis.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.) hoc eſt, nihil. veruntamen non omnino nihil: nam affectus & venerationis magnitudinem pretium rei conſecratæ indicat. Pupæ à virginibus pubertatem conſecutis aut nupturis Veneri

ſolitæ dicari, vt ab ephebis bullæ: quia in omni mutatione, inſignia vel inſtrimenta vitæ anteactæ diis conſecrare moris erat. Horatius:

——Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

idem alibi: *——donaſſet iámne catenam*
Ex voto Laribus quærebat.——

ſic zonam virginalem nupturæ ſuſpendebant. & multa teſtimonia. *Pupa* eſt πλαγγὼν, vnde *planguncula* apud Ciceronem ad Atticum. Has icunculas coroplathi è gypſo conficiebant in gratiam puerorum. ἀνδριαντάρια vocabant Græci. ſed vſitatius κόρας. Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca: ὁμοίως δίδοτε τοὺς ἀνδριάντας, ὥσπερ οἱ τὰς κόρας ταύτας ὠνούμενοι τοῖς παισίν. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι διδόασιν οὕτως ὥστε λυπεῖσθαι μετ' ὀλίγον συντριβέντων. vetus ſcholium: κόραι τὰ παρὰ τῶν κοροπλάθων λέγεται γύψινα πλαττόμενα ἀνδριαντάρια. ſic Lactantius hunc Perſij locum tractans lib. II. cap. IV. imagines & ſtatuas deorum nihil aliud eſſe ait, quàm *grandes pupas.* illum locum vide.

Quin damus id ſuperis.) Præcipiendi duplex via: nam aut oſtenditur vitium & vetatur: aut indicatur quod rectum eſt, & iubetur. Hac ratione totam Dei legem, hoc eſt Moſem & prophetas tribuerunt magiſtri Iudæorum in claſſeis duas, præcepta negantia vel vetantia: & affirmantia ſiue præcipientia. ipſi appellant מצוות לא תעשה & מצוות תעשה. Vtrumque genus præceptorum complexus eſt Perſius hac ſatira ſua: cuius priora omnia ſunt ἐλεγκτικὰ: nam vitium vt

πολλαχοῦ est ac πολυχιδὲς, ita multis refutari opus habet. verum & rectum simplex est, & quod paucis verbis expediri queat. quinque igitur extremis his versibus quid super proposita quæstione sentiendum sit, breuiter simul ac grauiter explicat. Summa est: Deum in accipiendis sacrificiis ac donis, non rem oblatam attendere: sed offerentis animum: qui si iustus sanctúsque sit, gratum esse quod offeratur, quicquid illud tandem sit, licet minimum, aut minimo minus. eadem Socratis apud Platonem doctrina, sub finem libri De votis: δεινὸν ἂν εἴη, inquit, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέποισιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος τυγχάνῃ.

de magna quod dare lance Non poßit magni Messalæ lippa propago.) quod nullis opib. parabile est, animum rectũ & θεοσεβῆ. Virtus & pietas doceri possunt, auro redimi nequeunt. alludit ad morem libationum in patellam, quæ fiebant in mensa, de iis quæ erant apposita. de quo more alibi diximus, & plura alij. Simul innuit poëta his verbis, rarò & vix ac ne vix quidem fieri, vt mens recta ac pia, in magnis opibus seruetur: quod in Euangelio suo aliis verbis pronuntiat Dominus, Matthæi x. & Lucæ XVIII.

magni Messalæ lippa propago.) quiuis ex istis qui sola maiorum nobilitate tument, cùm sint ipsi vitiis operti. de M. Valerio Coruino Messala, qui olim inter cæteros proscriptus, postea singulari fato amicitia Augusti floruit, plena sunt veterũ monimenta: eius filius videtur heic tan-

gi, qui prouerbio fidem fecerit, ἡρώων παῖδες λῶβαι. Vetus interpres paullò aliter, quem lege. Messala pro nobili & diuite quouis poni solet à poëtis. Martialis:

Marmora Messalæ findit caprificus.

Compositum ius fásque animi.) Virtutem omnibus suis numeris absolutam hac periphrasi expressit. notissimum est, ius ad officia inter homines referri: fas verò ad pietatem erga deum. *animi* præferunt membranæ nostræ, non *animo*, vt in aliis libris. *compositum ius fásque animi* appellat, animum bene comparatum ad omnia diuina humanáque iura. τὸ εὔτακτον τῆς ψυχῆς πρὸς τὰ θεῖά τε καὶ ἀνθρώπινα δίκαια. *compositum* verò intellige ex Stoicorum disciplina & mente Persij, ad naturæ legem: id enim Stoicis est examen omnium virtutum, vt quibus finis ille vltimus quo omnia referantur, sit, conuenienter naturæ vitam instituere.

Sanctósque recessus Mentis.) sic μυχοὺς διανοίας & ἄδυτα Græci. D. Paulus τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων. Philo Iudæus in libro, Deum mutari non posse: de vera purificatione eorum locutus, qui ad deos adeunt: ὁ ἄνευ τούτων, inquit, δυσκάθαρτος ὢν ἀφιστάσθω. λήσεται γὰρ οὐδέποτε τὸν τὰ ἐν μυχοῖς τῆς διανοίας ὁρῶντα καὶ τοῖς ἀδύτοις αὐτῆς ἐμπεριπατοῦντα. sic etiam ταμιεῖα διανοίας dixit Chrysostomus, sed diuerso sensu in quarta ad populum Antiochenum, & ταμιεῖα ψυχῆς, quinta in Matthæum: κόλπον ψυχῆς Athanasius, vt Persius in v. *sinuosum pectus.* τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ τὴν ἀποθήκην Gregorius Nyssenus.

& incoctum generoso pectus honesto.) & animum imbutum honestate generosa. *honestum*, ἑλληνιστὶ pro ipsa virtute. sic illi τὸ καλόν. *pectus* nusquam non poëtis est animus. *incoctum pectus* dixit: animum non leuiter tinctum colore virtutis, sed perfectè, & vt Græci dicunt ἐς βάθος ac δεύσοποιῷ βαφῇ. quod miro loquendi genere philosophi Græci, ac patres exprimere solent, cùm dicunt oportere συνουσιοῦσθαι τοῖς καλοῖς. *incoquere* verbum est tinctorum, de dibaphis & saturioribus coloribus. Virgilius:

Vellera mutantur Tyriós incocta rubores.

idem ac recoquere, vt in istis Senecæ: *quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & recocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia cùm accepere, protinus præstant: hæc nisi altè descendit, & diu sedit, animum non colorauit, sed infecit: nihil ex his quæ promiserat præstat.* intelligit igitur Persius constantem sibi atque immutabilem virtutem. eodem loquendi genere vtitur Antoninus in tertio eorum quos de se scripsit: vbi sapientem & eum qui aperto viuat voto, appellat, πάσης ἀναίσθητον πονηρίας, ἀθλητὴν ἄθλου τοῦ μεγίστου, τοῦ ὑπὸ μηδενὸς πάθους καταβληθῆναι, δικαιοσύνῃ βεβαμμένον ἐς βάθος. vides idem planè loquendi genus: nam βεβαμμένον ἐς βάθος, est *incoctum*. sic apud Plutarchum διὰ βάθους ἐγκεράννυσθαι τοῖς φυσικοῖς λόγοις, in libro de contrarietatibus Stoicorum. vim huius verbi *incoctum* vt exprimeret Lactantius, libro sexto, cap. 11. Persij verbis vocem *naturalis* adiecit, quam perperam acceperunt nonnulli.

nulli. sic ille: *Sentiebat videlicet non carne opus esse, ad placandam cœlestem maiestatem, sed mente sancta & iusta, & pectore, vt ipse ait, quod naturali sit honestate generosum.* ideo autem illa vox inserta, quia naturalia firmissimè hærent, vt natiui colores & similia. nisi tamen *honestatem naturalem* appellauit Lactantius ad dogma Stoicum respiciens, de quo paullò antè dicebamus. huic βαφῇ quæ nunquam remittit, contraria est ἀποσυφή, ex eadem tinctorum officina vox petita, quam alibi explicamus. ἀρετὴς ἀποσυφλῶ siue φύμμα Quintilianus ita expressit in decima institutione: *non sufficit imaginem virtutis effingere, & solam vt sic dixerim cutem, vel potius illas Epicuri figuras quas è summis corporibus dicit effluere.* hæ sunt quas Epictetus apud Arrianum libro III. capite XV. vocat κηρίνας ἀποσυφλίδας: cùm virtutem leuiter sectamur faciles mutari & refingi instar ceræ: cui contrarium est apud eundem τὸ παγίως καὶ τὸ δόκιμα: quod dixit Seneca *in medullas immittere*, in aureo libello De tranquillitate animæ. *generosum* dixit *honestum*, quia vera pietas generosa est, bonæ spei plena, & vt antè dicebamus ex Marco Antonino, ἐλευθέριος: contra superstitio meticulosa, & in humum deiecta. quare Plato superstitionem esse disputat, non θεραπείαν numinis, sed κολακείαν: cui vitio proprium τὸ ταπεινὸν, quod generoso animo repugnat.

Hæc ego vt admoueam templis, & farre litabo.) Hoc, inquit, est quod Deus spectat in sacrificiis, non magnitudinem impensæ. iam diximus, &

Platonis eiusdem cum hac satira disputationem, ita concludi. Porphyrius, Περὶ ἀποχῆς, libro II. Τὸ δαιμόνιον, inquit, μᾶλλον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει. *animum sacrificantium, non numerũ eorum quæ sacrificantur spectat Deus.* Laberius: *Puras Deus non plenas aspicit manus.* apud Hieroclem extat ille versus sub Dei persona, sanè egregius:

Εὐσεβέεσσι βροτῶν γάνυμαι τόσον ὅσσον ὀλύμπῳ.

& farre litabo.) οὐλαῖς καλλιερήσω. eadem mens veteris oraculi apud eundem Hieroclem,

Ἀλλά μοι εὐάδε χόνδρος ἀγακλύτου Ἑρμιονῆος.

Dio Chrysostomus in XIII. ὅσῳ ἂν εὐσεβέστεροι καὶ ὁσιώτεροι γένησθε, τοσούτῳ ἐλάττων ἔσται παρ' ὑμῖν ὁ λιβανωτὸς καὶ τὰ θυμιάματα, καὶ τὰ στεφανώματα, καὶ θύσετε ἐλάττους θυσίας, καὶ ἀπ' ἐλάττονος δαπάνης.

AD SATIRAM TERTIAM.

DVAS satiras de studiis fecit Persius, primam & tertiam: sed non tamen argumento eodem: nam illa in viros πλείους inuehebatur, qui poëtica aut oratoria facultate vel malè vterētur, vel in malum finem: hæc iuuentutem alloquitur, quæ studia literarum atque imprimis philosophiæ, negligenter tractabat, aut etiam contemtui habebat. in illa acrem censorem agebat Persius: heic paullò vehementiorem præceptorem. Stoici inquam philosophi personam sustinet poëta in hoc præstantissimo carmine: qui iuuenes Romanos nobilitate atque opibus florentes quà obiurgat, quà hortatur, confirmátque in suscepto philosophiæ studio. ad hæc enim duo capita referri vniuersa debet satira. Principio mollitiem eorum arguit & desidiam, quod non nisi ægrè & alto iam sole è stratis surgerent, ac de libris cogitare inciperent: deinde quod illibenter

ac ſegniter in ſtudiis verſarentur, eorum ἀποπροθυμίαν caſtigat, & inanes prætextus irridet quibus vti moris erat pleriſq. ſtudioſorum in ſcholis, ne penſum implerent ſuum. Ac quoniam quo quiſque iuuenum erat nobilior aut maioribus innutritus opibus, eò difficilius ad Græcanicas diſciplinas animum appellebat, ideo cum iſtis præcipuè agit poëta: fruſtra illos aut diuitiis aut gloriæ maiorum ſuorum incumbere, ſi interea more diſcincti nattæ viuerent, hoc eſt, viliſſimi cuiuſq. ex ima plebe. quin horum conditionem longè meliorem eſſe, quod liberali inſtitutione deſtituti, ſic in ſordibus vitiorum volutarentur, vt infelicitatis ſuæ nullum haberent ſenſum: illos verò ad magna natos, & inſtitutos honeſtè cura parentum ac diligentia philoſophorum quib. eſſent traditi, niſi hac ætate proficerẽt, ſeram pœnitentiã cum magno animi cruciatu olim acturos. Quia autem multi Romanorum procerum fuêre, qui liberos ſuos non curarent philoſophiæ præceptis imbuendos: ne horum exemplum diſcipulis ſuis noceret, it obuiam Stoicus hic, & illos quidem iuuenes excuſationem mereri ait, ſi philoſophiam cuius nullum guſtum accepiſſent vnquam, floccifacerent: ipſos verò omni vituperatione digniſſimos fore, ſi poſt agnitam ſapientiæ præſtantiam, ſegnes in eius ſtudio atque amore ſe præberent. Heic igitur ad capeſcenda philoſophiæ ſtudia magna contentione eos hortatur: diuinis planè verſibus totius moralis doctrinæ ſummam comple-

ctens: vt vel ex paucis illis verbis, disciplinæ illius excellentia atque vtilitas, vel potius necessitas ad vitam bene instituendam, ac beatè tranquilléque agendam, posset intelligi. Postremò quia plurimi semper Romæ fuerunt qui philosophiam aspernarentur, & Græculos vocarent illius studiosos, stultitiam istorum exagitat hic doctor: ostenditq. non magis eorum ratione esse habendam, quàm alicuius ægroti, qui animi vitio medicum curare tentantem extruderet, ac minis conuitiisque exciperet. quippe, medicinam corporis sanitatem polliceri: quam interdum ægroti respuant: philosophiam animi morbis mederi: quo nihil magis abominétur vitiosi. Hæc est pulcerrimæ huius diatribæ (sic enim iure appellauerim) summa: quã non bene animo conceperant, qui titulum illi hunc præscripserant: quem multi etiam veteres codices seruant. INCREPATIO DESIDIÆ. nec melius vetustæ Bongarsij membranæ, quæ titulum hunc exhibent: IN LVXVRIAM ET VITIA DIVITVM. quæ verba è scholiis antiquis petita sunt: vbi legimus, *hanc satiram è Lucilij libro quarto esse translatam, castigantis luxuriam diuitum & vitia.* verum est, Lucilium libro Satirarum suarum quarto in luxuriam diuitum & vitia esse inuectum: apparet enim manifestò hodiéque è pauculis fragmentis quæ supersunt: sed viros & conuiuatores intempestiuos ac temulentos, aut alio luxuriæ genere peccantes secuit eo libro Lucilius: non iuuentutem Musarum & Sophiæ sa-

cris operatam, ad quam propriè satira hæc spectat. illud è libro tertio eiusdem poëtæ non alienum à principio satiræ huius. *E somno pueros cùm mane expergitus clamo.*

NEMPE *hæc assiduè.*) Familiare est satiricis poëtis, vt ex abrupto ordiantur, & molles aditus ad susceptum argumentum spernant, quos alij plerunque scriptores studiosè sectantur. multa igitur diligentia lectoris veniunt supplenda: imprimis autem, quis loquatur: ferè enim dramatica sunt eorum scripta. heic ergo inducitur philosophus iuuenes sibi in disciplinam datos excitans, & post longam patientiam irascens illis, quòd seriùs pro suo more surgerent. errarũt veteres interpretes illi qui pædagogi verba hæc esse putabãt: non enim de iis in hac satira agitur, qui in pueritia primas literas sub pædagogo discerent: sed de illis, qui opera philosophi studiis philosophiæ imbuebantur. Ac Romæ quidem magnates soliti philosophos domi alere quorum priuata cura liberi ipsorum instituebantur: Athenis verò aut Rhodi, aut quocunque aliò studiorum caussa mittebantur iuuenes, apud philosophos ferè diuertebant.

iam clarum mane fenestras Intrat.) iam fugit optima diei pars: quam rectè prisci ἀνοματοπικῶς mane vocarunt. Lege Senecam epistola CIX. & in De breuitate vitæ. Quare apud Romanos ludi literarum aperiebantur prima luce. Iuuenalis in septima:

Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab horæ

Sedisti. —— Est verò *clarum mane*, sol altus, clarior factus & διαυγέστερος discussis nubibus, quæ ferè orientem obumbrant.

& angustas extendit lumine rimas.) hyppallage. non enim rimæ extenduntur, aut dilatantur, quod ineptè quidam scribunt: sed lumen extenditur transmittente Sole radios suos per rimas.

Stertimus.) hoc est, vos iuuenes stertitis. sed apta obiurgationibus prima persona. sic mox, *Tunc querimur.* multis autem etiam viris familiare hoc vitium Romæ. Seneca epistola CXXII. *Turpis qui alto sole semisomnis iacet: cuius vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum est.*

indomitum quod despumare falernum Sufficiat.) facitis sobrij quod ebrios deceat, quibus edormiēda est crapula pridiana conuiuij tempestiui. *quod* hoc est adeo longum tempus, quod sufficiat coquendo quamuis duro vino: quod propterea *indomitum* poëtis solet vocari, vt Virgilio, Lucano, Persio. *despumare* hic valet transmittere è ventriculo vinum, vbi despumarit spatio temporis tandem concoctum.

quintâ dum linea tangitur vmbrâ.) hoc est, quinta in solario linea tangitur vmbra gnomonis, & instare iam indicat meridiem. Ad quintam lineam negotia curabant: Martialis,

In quintam varios extendit Roma labores.

quinta prandere multis consuetum. Ausonius in Ephemeride:

Sosia prandendum est: quartam iam totus in horam
Sol calet: ad quintam flectitur vmbra notam.

alij cùm à prima ad quintam tempus omne in studiis impendissent, ea hora corpus curare in xystis aut cryptoporticibus incipiebant: vt de se testatur Plinius libro nono, epistola ad Fuscum.

En quid agis?) id est agitis. plures enim alloquitur. numeri enallage, Pindaro & aliis poëtis translatitia. in Persio verò mira. τὸ *En* seruit indignationi, vt docet ad Terentium Donatus.

siccas insana canicula messes Iamdudum coquit.) non ipsum quidem canis sydus, sed Sol potius coquit messes & æstu omnia adurens, rabiem canibus immittit. verùm sequuntur poëtæ vulgi errorem hunc, ex eo natum, quod Sole Cancri signum peragente, canicula oritur. non igitur caussa intensioris caloris est Sirius, verùm signum solummodo. quare melius Homerus de eo sidere, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται: quàm eius posteri qui magno consensu τὸ τοῦ κυνὸς ἄστρον παραίτιον τῆς τῶν καυμάτων ἐπιτάσεως pronuntiarunt: quem errorem prolixè confutat Geminus in sua Isagoge εἰς τὰ φαινόμενα.

Et patula pecus omne sub vlmo est.) rustica meridiei descriptio. Virgilius:

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant.

Vnus ait comitum.) restituimus heic veram interpunctionem, quæ in omnibus libris, credo, deprauata, interpretibus fuit fraudi. quia enim τελεία στιγμὴ in fine superioris versus posita non

erat, ad præcedentia hæc retulerunt: & vnum comitum putarunt dici Persio, philosophum qui superioribus verbis discipulos suos stertentes increpuit: qui magnus est error. nam *comites* heic sunt condiscipuli. falluntur nimis qui ad philosophos referunt quos proceres Ro. in suo comitatu soliti erant habere.

verúmne? itáne?) mirè ἦθος exprimit. nam stupet iste quod audit de alto iam sole: quasi tum primum, nec vnquam antè ipsi contigisset. atqui dicit magister, *Nempe hæc aßidue*. ergo addit *ocyus adsit* &c. quasi paratus iacturam temporis diligentia sarcire.

ocyus adsit Huc aliquis nemon?) Et heic mores delicatæ iuuentutis pulcherrimè exprimit. cùm iubet aduenire aliquem, neque nomine designat, plures sibi famulos innuit. cuius vanitatis habes exempla apud Athenæum. quod autem statim irascitur, facit quod delicatuli solent.

turgescit vitrea bilis.) irascitur. M. Tullius ex Homero,

Córque meum penitus turgescit tristibus iris.

Græci vno verbo ὀργᾶν. Stoici iracundiam definiunt, iram turgescentem. χόλος ἐστὶν ὀργὴ διοίδουσα. *vitrea bilis*, apud medicos, ὑαλώδης χολὴ & ὑαλῶδες φλέγμα. reuera splendet bilis ac στίλβει: nec sine caussa Horatius dixit,

——*iußit quod splendida bilis.*

Findor. vt Arcadiæ pecuaria rudere credas.) Alij codices,

Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas.

vt poëtæ hæc omnia ſint verba obiter increpantis hunc delicatulum iuuenem, ſine cauſſa vehementius iraſcentem. ſed omnes membranæ noſtræ habent *Findor.* quare ita hæc diſtingue:

——— *turgeſcit vitrea bilis:*

Findor. ——— hactenus iuuenis: quem irridens ſubdit Perſius, vel qui antè eſt locutus doctor: *vt Arcadiæ pec. r. c.* quaſi dicat: verum eſt quod ais findi te, & ira ſupra modum eſſe concitum: ſic enim clamas, vt aſino rudenti & ὀγκομένῳ ſis ſimilis. poſtquam dixit turgeſcere ſibi bilem, meritò ſubiicit, *findor*: hoc eſt ῥήγνυμαι τῷ χόλῳ καὶ λακῶ.

Arcadiæ pecuaria.) Luithprandus Hiſtoriarum libro primo cap. XL. *Vxor tua quia regem noluit, aut vt magis credendum eſt, non potuit, aſinum te ne mentiretur effecit, dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad præſepe declinare coëgit.* de aſinis Arcadiæ Varro, Plinius & Græci.

rudere credas.) Membranæ *dicas.* Auſonius: *aſinos quoque rudere dicas.*

Iam liber & bicolor poſitis membrana capillis

Inque m.) Deſidiam in ſurgendo & mollitiem notauit: nunc lentitudinem in ſtudendo, & ἀποπροθυμίαν carpit. Per iſta autem quæ fieri vulgò ſolent à pueris apud magiſtrum: intelligi debent omnia quæ prætexere moris eſt iuuentuti diſſolutæ & ſtudia literarum faſtidienti. Sanè iuuenes quos alloquitur, non erant id ætatis, vt iſta dicerent puerilia: ſed Perſius hoc ſignificare voluit, quæcunque tandem eſſent quæ ad velan-

dam ignauiam afferri solent, tanti facienda esse quanti ista puerorum nugatoria. Membrana vtebantur pueri in ludis non ceris & stylo: quæ tamen expeditior scribēdi ratio erat, vt obseruat Quintilianus in x. cap. III. erat autem membrana in qua scribebant bicolor: alba ab interiore parte: ab altera in qua fuerant pili crocea: Iuuenalis, satira septima,

— *atque ideo crocea membrana tabella*
Impletur. — caue confundas

hanc membranam cum ea pelle qua libros operiebant. *capillos* poëta καταχρηστικῶς posuit de pilis. pumice poliebant non solùm opercula librorum, vt apud Catullum, & alios: sed etiam membranas vti videtur, in quibus scribebant: itaque cum atramento, calamo & cultello, pumicem ad manum habebant semper, qui membrana aut charta vtebantur. sed is pumex præcipuè ad exacuendos calamos erat illis vsui. Vetus poëta in suppellectile notarij enumeranda, Florilegij Græcorum libro VI. capite ἀπὸ παχυγεάφων:

Καὶ λίθον ὀκειόεντα, δόναξ ὅτι λιτὸν ὀδόντα
Θήγεται, ἀμβλωθεὶς ὀκ δολιχογεαφίης.

item alij poëtæ illo loco.

crassus calamo quod pendeat humor.) quod atramentum nihil notet calamo per membranam ducto: quod accidit vel atramenti vel calami vitio: hic si parum fissus, illud si fuerit crassius.

Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.) quia sepiæ succus Græcis μέλαν Latinis atramentum dicitur, μαπαλητικῶς sepiam posuit pro atramento

librario: quod tamen è sepiis non fiebat, sed è fornacium balinearúmque fuligine. Plinius lib. xxxv. cap. v. & fusè Dioscorides extremo libro quinto. Afros verò è sepia sibi atramentum solitos parare auctor vetus interpres. Atramenti vitium duplex, si vel pinguius sit iusto, vel nimis dilutum: vtrumque vitium tangit Persius.

Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.) non est aliud atramenti vitium ab eo quod iam dixit, sed est vitij eius effectus. guttam appellat heic Persius illiud atramentum quo charta notatur in membrana. *geminat* autem *guttas* calamus, cùm liquidius fluit atque vberius quàm par sit. *fistula* ὁ δίαυλος, ὁ κάλαμος. omnia augusta cùm in longum producta sunt Græci αὐλοὺς, Latini *fistulas* vocitant. sic *fistula cibalis & spiritalis* apud Lactantium De opificio Dei.

buccine rerum Venimus.) eóne deliciarum peruenisti, & eo recidit spes quàm de te parentes & præceptores conceperant?

at cur non potius, teneróque columbo, Et similis regum pueris, p.) Si ita animo es auersò à studiis, vt nugarũ prætextu ea deseras, cur animi sensũ dissimulas? cur amorem virtutis professus es, cùm philosophiæ operam dare cepisti? cur non potius voluptatibus, quando illas tanti facis, te immergis & virtuti palàm renuntias? tum tu non in schola apud philosophum durè & asperè educaberis: sed domi in summis deliciis, more columborum, quos puellæ magna cura alunt: & more etiam puerorum regum, qui ad omnem

τρυφῶ à tenera ætate instituuntur: adeo quidem vt ipsis persæpe nutricibus suis morositate sua negotium facessant: modò aliquid petẽtes quod non oporteat, modò aliquid reiicientes secus quàm oporteat.

tenero columbo similis.) Columbos olim impenso studio viri fœminæque alebant: quod ex Theophrasti Characteribus, Athenæo, aliis constat. notum verò hanc auem Veneri sacram esse habitam: quare inter blanditias amantium fuit & columbi appellatio, vt apud Catullum, vel palumbuli, vt in x. Apulei. Persius verò isto loco mollem institutionem & voluptuariam denotat. qualis ea est, quàm πλοσιακὴν ἀγωγὴν Marcus Antoninus appellat initio librorũ suorum. ita enim scribendum non δραγωγῆς.

& similis regum pueris.) Puta alicuius Sardanapali, vt ait Theano in epistola ad Eubulam: de qua mox dicemus. quia pessima horum est institutio, propterea veteres παροιμιωδῶς de corrupto deliciis, aut de intemperante dicebant, *est similis filiis regum*. Dio Chrysostomus in vna earum quas pro se habuit. πολλοὶ καπηλῶν τῆς πόλεως διαφέρουσιν οὐδὲν χεῖρον ἀφροσύνῃ τῆς παιδὸς τῆς βασιλέως.

pappare minutum poscis.) cur non poscis vt cibus probe mansus à nutrice in os inferatur tibi? hoc solet fieri in anniculis infantibus, aut non multò maioribus: sed regum pueri, hoc est delicatuli pueri etiam grandiores obtinere volunt omnia, quæ recens natis fierent. quid mirum de

istis? nam eò deliciarum & viros quosdam venisse legimus, vt dicerent labori sibi esse, cibum dentib. comminuere ad edendum. Beatus Chrysostomus multorum querelas huiusmodi sibi ipsi esse auditas scribit, homilia XIII. in eam ad Romanos: ἂν μὴ βουλώμεθα, inquit, καὶ τὰ ῥᾷστα φορτικὰ ἡμῖν φανεῖται. τί τοῦ φαγεῖν ῥᾷον; ἀλλ' ὑπὸ πολλῆς βλακείας πολλοὶ καὶ πρὸς τοῦτο δυσχεραίνουσι· πολλῶν δὲ ἀκούω λεγόντων, ὅτι καὶ τὸ φαγεῖν κάματος. conuenit istis non malè versus Lucilij, *Quàm fastidiosum ac vescum cum fastidio edendi viuere.* non dissimile est quod in descriptione pigri positum est à Salomone, Prouerbiorum cap. XXVI. adeò illum ab opere abhorrere, vt pro magno labore ducat, manum ad os admouere. Sed huic loco longè simillimum est quod apud vatem diuinum & verè sublimem Isaiam obseruabamus, capite tertio: nam sicut heic Persius vt delicias exprimeret molliculorum iuuenum, ait illos *pappare minutum poscere*, id est infantium tenellorum mores imitari: sic Hebræus scriptor, vt mulierum τρυφὴν ob oculos poneret, ait inter cætera: הלוך ותפוף תלכנה ad quorum verborum singularem cum pari emphasi venustatem non aspirat linguæ Latinæ egestas. Græcè dixeris ad verbum ἐν τῷ βαδίζειν καὶ νηπιάζειν βαδίζουσιν: hoc est, sic incedunt quoties per vicos ingrediuntur, vt infantium paruulorum imitētur incessum. id enim significat טפף quod pulcerrimum est verbum. πάππα Græcorum infantibus idem quod nostris hodie: & παππάζειν etiam apud Homerum vox infantilis,

pro *patrem vocare*. apud Romanos aliter. Varro Catone, vel de liberis educandis. *cùm cibum ac potionem buas ac papas dicunt, & matrem mammam, patrem tatam*. inde *pappare* pro cibum poscere. vel etiam pro edere: Plautus in Epidico:

Nouo liberto opus est quod pappet. ——

ita heic Persius accipit. *minutum* si cum *pappare* iungas, erit λειανθὲν, μασσηθὲν, mansum, & alienis dentibus comminutum: vt solus supersit labor deglutiendi. sin coniungas cum verbo, non inelegans fuerit τοῦ κλαυθμυρισμοῦ periphrasis, *poscere minutum*. nam *poscere* omnino heic significat, querula voce ac lamentabili postulare, qui est infantium κλαυθμυρισμός. Plutarchus in v. Symposiacorum: τὰ βρέφη ψωμίζουσιν αἱ τροφοὶ ἕως ἂν ἐκεῖναι κορεσθῶσι τὰ κοιμίσωσι παυσάμενα κλαυθμυρισμόν. Extat fragmentum epistolæ Theanus Pythagoreæ quam scripserat de recta liberorum educatione, vbi pleraque exponuntur argumenta corrupti indulgentia pueri: omnium autem primum est hoc: σὺ δὲ οἷ Σαρδαναπάλου γονὴν τιθήνῃ τὰ τέκνα, τὴν τῶν ἀρρένων φύσιν θρύπτουσα ταῖς ἡδοναῖς. τί γὰρ ἂν ποιήσειέ τις παιδίον ὃ ἂν μὴ τάχιον φάγῃ κλάει; deinde, κἂν μὴ μασσᾶται δυσκολαίνει;

& iratus mamma lallare recusas?) inter alia argumenta delicatæ morositatis infantium quos nimia indulgentia corrupit, est illud, quod facilè irascuntur: quod vitium ab eo principio contractum, in reliquam durat ætatem. Seneca De ira libro secundo cap. XXI. *Nihil magis facit iracundos, quàm educatio mollis & blanda. ideo vnicis*

quo plus indulgentur, pupillísque quo plus licet, corruptior animus est. ideò ait Persius, *iratus mammæ*, hoc est matri: vt in superiore loco Varronis: vel auiæ, aut nutrici. nam variè hanc vocem vsurpabant, vt & Græci suam μάμμη. irati autem infantes *lallare recusant*, hoc est dormire nolunt, cùm eos siue mater, siue nutrix in cunis collocatos, prouocat ad somnum cantillando. propriè *lallare* nutrix dicitur quæ næniam canens puerum demulcet, vt somnum ei conciliet. Exponunt hunc locum quæ scripsimus ad Theophrasti characterem λαλιᾶς: quæ petat inde si quis volet.

An tali studeam calamo?) Notat pertinaciam desidiosæ iuuentutis, quæ obiurgata responsat, & culpam excusare mauult, quàm mores mutare. quod non prætermisit Theano: κἂν ἐπιτιμᾶν τις ἀντιμάχεται. Horatium autem imitatur vt antè diximus.

cui verba?) putas te mihi verba dare posse? ipse tibi facis iniuriam non mihi.

Quid istas Succinis ambages.) *canere* vt Græcis ᾄδειν, est idem sæpe repetere. *succinere* heic ad vocem monentis eadem sæpe respondere. de tibia succentiua & incentiua, amabo, omittamus, alienissima enim sunt huic loco. *ambages* sunt quæ Aristoteles vocat τὰ κύκλῳ: cùm non dicitur res ipsa, sed aliud quid eius loco.

tibi luditur.) ad te non ad me aleæ huius damnum spectat. rectè vetus interpres, te ipse illudis.

effluis amens.) Sic legendum non *& fluis*. allegorica

gorica locutio est, quam sequentibus versibus persequitur. comparat iuuenem mollitie deprauatum, cum vase fictili, multis modis corrupto. primum hoc est quod effluit. quod non accipiendum vt apud Terentium, *plenus rimarum sum*, de eo qui linguam nesciat tenere: sed ἁπλῶς, de eo qui sit moribus deprauatis, & voluptatibus diffluat. nam ita Græci Latinique loquuntur. passim legas in Cicerone *liquescere fluereque mollitie*: & *liquefacere voluptatibus*: quod Græcis est τήκειν. inde *fluidi* οἱ ἡδονικοὶ apud Senecam, & id genus plurima. In septimo Ioannis Saresberiensis alia. textura est horum versuum: sed ab illo profecta, non à Persio: Conuenientissima autem comparatio hominis cum vase testaceo. Lege Chrysostomi sextam homiliam in posteriorem ad Timotheum.

Contemnêre.) & hoc ab Horatio sumit. eiusdem sententiæ est apud Epictetum in Enchiridio: λήσεις σεαυτὸν οὐ προκόψας, ἀλλ' ἰδιώτης διατελέσεις. *contemnêre* autem intellige ex mente Stoici qui loquitur: nempe ob vitia tua: nam alioquin vulgi & malorum iudicia aspernantium sæpe virtutem, & eos qui ex virtute viuunt, contemnenda esse docent Stoici & omnes sapientes. Multa in eam rem præclarè M. Antoninus lib. XI. tangit & Seneca epist. XIV.

sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo.) Pergit vasis fictilis vitia describere: quæ omnia ἀλληγορικῶς dicuntur de iuuene corrupto. Notabilis verò in his verbis

ταυτολογία: nisi eam commenderet, nedum excusaret, quod dicuntur hæc ab irato: amant verò irati sæpius idem repetere, βαττολογοῦντες ἅμα καὶ ταυτολογοῦντες. igitur, *sonare vitium*, & *maligne respondere* annon idem sunt? vtique: nisi ita legas & interpreteris, vt mox dicemus. item *fidelia viridi limo* & *fidelia non cocta* quid admodum differant nullus video. nam ideo viridis limus dicitur, quia non est probe coctus, nec quantum postulabant rationes figulinæ artis. *limum* pro argilla posuit.

sonat vitium.) σαθρὸν φθέγγεσθαι Platoni in Theæteto: cui opponit ὑγιὲς φθέγγεσθαι. in Luciani Parasito legitur σαπρὸν ἀποφθέγγεσθαι, pro σαθρόν. Plutarchus de adulatoribus, σαθρὸν ὑπηχεῖν καὶ ἀγεννές.

percussa fidelia.) περικρούειν ὄστρακον in Philebo Platonis: Lucianus διακρούειν. κροδωνίζειν Aristophanes in Ranis. Vitruuius libro VI. *tangere*, & *ad crepitum sumere*: vt *crepare* satira V.

—— *pulsa dignoscere cantus*
Quid solidum crepet. ——

maligne respondet.) eleganter testa percussa dicitur *respondere*, cum ἀντηχεῖ. sic Græcis ὑπακούειν. Plutarchus in octauo Symposiacorum, problemate III. τῶν ἀγγείων τὰ κενὰ πληττόμενα μᾶλλον ὑπακούει πληγαῖς, καὶ τὸν ἦχον ἀποτείνει μακράν, quod in genere dictum est, *vitium sonat*, εἰδικῶς explicatur cùm ait, *maligne respondet* & fortasse scribendum *respondens*. sonus integræ & vitio carentis testæ est ὀξὺς καὶ τορὸς vt dicitur in Græcorum commentariis de re rustica, libro VI. cap. III. at rupta

testa sonat *maligne*, hoc est paruum sonum: sic *lux maligna* apud Virgilium.

Vdum & molle lutum es.) Vsitatum est Romanis conuitium in hominem nequam: *lutum es.* Lucilius, *Nil parui ac pensi vtiliter edoceas lutum.* Βιωφελὲς οὐδὲν πηλὸς ἔστιν ἂν μάθοι. sed non ita heic accipit Persius. pergit enim in eadem allegoria ab arte figulina. *lutum* igitur est terra fictilibus apta, sed adhuc rudis. Tibullus:

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuítque luto.

Cicero in Pisonem: *quid cessat homulus ex argilla & luto factus Epicureo?* ἀλληγορικῶς verò denotatur ea voce indoles iuuenis melioris cultus capax, sed nondum exculta. id enim vult: quemadmodum argilla nisi accedat figuli manus lutum manet: sic adolescentes quantumuis εὐφυεῖς, nisi magistris dent operam, manere horridis & incultis moribus. quare subiungit; *nunc nunc properandus.* pulcerrima εἰκὼν, quod fateantur vel osores huius viri diuini: sed quæ non per omnia respondeat: nam argilla cùm infecta manet, caret culpa: homo non plane, qui à natura igniculos omnium virtutum accipit, quos nisi excitet, & illuc eat quo melior natura eum ducit, vituperatione dignissimus est.

nunc nunc properandus & acri Fingendus sine fine rota.) cur *nunc nunc?* quia etsi nulla ætas ad discendum sera: iuuentus tamen tenera adhuc & vda vt sic dicam, capiendis habilior disciplinis. Seneca epistola xxv. *Quadragenarium pupillum*

cogitas sub tutela tua continere? respice ætatem eius iam duram & intractabilem: tenera finguntur. similia hic Plato in secundo de Rep. Gregorius Naz. de educatione sua parentum cura:

Τοῖς μὲν ἐγὼν ἁπαλὴν πλάσθην φρένα τὸ νεόπηκτος
Οἷα τυρὸς ταλάρου λάμβανον ἅψα τύπον.

idem alio carmine:

Οσσοις ἤθεα κεδνὰ διαπλάσσουσιν ἄριστοι
Ως τυρὸν πλεκτοῖσιν ἐειδόμενον ταλάροισι.

Plutarchus de liberorum institutione; ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἤθη ῥυθμίζειν προσήκει. εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης, καὶ ταῖς τούτων ψυχαῖς ἁπαλαῖς ἔτι τὰ μαθήματα ἐντέκεται· πᾶν δὲ τὸ σκληρὸν χαλεπῶς μαλάττεται. planè idipsum dicit quod significare voluit heic Persius: etsi aliunde petitum est Plutarchi simile. Atque hanc ob caussam eruditio Græcis παιδεία est appellata, vt vel ipso nomine monerentur patres ne liberos suos, id est παῖδας sinerent ἀπαιδεύτους, & expertes disciplinarum. Iamblichus in Pythagoræ vita: ὁ πατὴρ τοὺς παῖδας περὶ τὴν παιδείαν τὴν ἐπώνυμον τῆς ἐκείνων ἡλικίας κελεύσει σπουδάζειν. *properandus* autem & *fingendus* idem ac si diceret properè fingendus. vt in Aulularia Plauti, *vascula intus propera atque eluc.* id est, propera eluere.

properandus.) Iuuenalis:

Argillam atque rotam properare.——

sed paullò accipit aliter.

Fingendus sine fine rota.) perstat in allegoria. sic autem & πλάττειν Græci de institutione vsurpant: & Latini *fingere.* Silius Italicus lib. IV.

Atque his præformat dictis fingítque monendo.

à fine fine valet sine intermissione, & continua opera.

sed rure paterno Est tibi far modicum.) desidiosos, & in studiis segnes hactenus carpsit: nunc aliud pus attingit: fastum & fiduciam quam concipiunt liberi ex opibus & nobilitate parentum ac maiorum suorum. *far modicum* πλοῦτος αὐτάρκης.

purum & sine labe salinum.) partæ sunt mihi opes virtute meorum maiorum: quas non metuone quis mihi casus auferat: sunt enim bonis artibus quæsitæ. sali vis inest contra putredinem: inde purum vocant poëtæ, vnde illud Catulli *purior salillo.* ita autem de opibus suis loquebantur præficiscini: vetus poëta,

Est mihi rus paruum, fœnus sine crimine paruum.

Quid metuas?) & hic versus sub adolescentis persona pronuntiatur. quid aliquis metuere debeat, cui hæc sint ad manum præsidia? planior lectio sit *Quid metuam?* sed aliter scripti libri. possunt & Stoico ascribi, δόξα μισοῦ orationem iuuenis interfanti.

cultrixque foci secura patella.) hæc superioribus connectenda. ostendit eo maiorem sibi esse fidem, quod & iustè opes suæ fuerint partæ & superi diligenter ex iis culti: quod ab vno genere pietatis indicat: id autem est, libationes illæ rerum mensæ appositarum, quæ in patellam fieri solitæ, & ita in focum deferri, atque ibi adoleri. notissimus mos poëtis aliisque scriptoribus. hæc patella videtur seruari solita in foco: vt pro-

pterea dicatur heic *cultrix foci*. vel accipe simpliciter pro περιπνεια, cum vetere interprete. ait autem *secura*, quia non sit metus ne vel propter inopiam, vel propter irreligiositatem deficiat quod in patelam coniiciatur.

Hoc satis?) Quid ais? inquit Stoicus doctor, an nescis bonorum tria esse genera, animi, corporis, fortunæ: è quibus animi bona ita excellunt, vt sola dici verè bona mereantur: túne igitur adeò amens, vt fortunæ munera, quæ an in bonis censenda sint non conuenit inter sapientes ad beatè viuendum putes tibi esse satis? ita exponi debet τὸ *satis*: Stoici enim ad finem omnia referunt, vt sæpe monuimus: quare *satis esse* heic valet, pro summo bono censeri.

an deceat pulmonem rumpere ventis St.) an sapienter facis quod propter nobilitatem generis tui attollis spiritus? *ventos* appellat quos vsitatius dicunt spiritus: Græci φύσημα & ἔθνον. sic spiritum quoque illum quem anhelando ducimus vocant ventum optimi scriptores Latini. *rumpere* heic, est, implere supra modũ. sic in v. *rũpere buccas*. id est implere ac φυσᾶν. ita *rumpere horrea* Sidonius Apollinaris, libri primi epist. VIII. *innumeros cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt.*

Stemmate quod Tusco ramũ millesime ducis.) quod genere ortus es adeò vetustæ nobilitatis, vt millesimus sis à primo parente qui in stemmate tuo collocatur. ait *Tusco*, quia antiquissimarum Romæ familiarum pars maxima ex Etruria venerant. *ramus* est familiæ soboles ex stirpe deducta:

vel successor in recta linea: Gregorius Nyssenus Περὶ θεότητος υἱοῦ τὸ πνεύματος, loquens de Isaaco à patre sacrificãdo: τοῦτο τῆς διαδοχῆς ὁ κλάδος; *millesime* & sequente versu *trabeate* vocandi casus pro nominatiuo: quod poëtis familiare Græcis ac Latinis, vt pridem obseruatum eruditis.

Censorémve tuum vel quod trabeate salutas?) Scribendum, *Censorémne tuum.* quò enim duplex disiunctiua? ὁ νοῦς: vel eóne tibi places, quod ortus es genere equestri? equites in transuectione trabeati censorem præteribant ac salutabant. de eo more omnibus & pueris noto, cur plura heic dicamus caussæ non est. neque enim Romanarum rerum commentarios scribimus: sed Persium interpretamur, poëtam haut quaquam adeò facilem, vt interpretem suum occupare nequeat.

Ad populum phaleras: ego te intus & in cute noui.) A fortunæ aut corporis bonis reuocat iuuenem φρονηματίαν ad vera bona: animi nempe, quæ intus latent. Si nihil aliud, inquit, habes quo glorieris, præter *phaleras*, hoc est, bona, aut corporis, aut externa, quæ fortunæ vocant, abi & populo tua illa bona iactato. ille plaudet tibi, & te mirabitur: ego miserabor potius, & infelicem putabo. cur autem? quia vera felicitas in animi bonis est posita. quo genere bonorum parum te esse instructum, liquidò constat mihi: noui enim quam sis *Introrsum turpis, nequicquam pelle decorus.* Inter ornamenta virorum fortium fuerunt phaleræ, vt omnes sciunt. hæc qui erant consecuti cùm insolentius iactarent, prouerbiali locutioni

locum fecerunt: qua res inanes & fastuosæ appellantur phaleræ. sic & Græci loquuntur. Plutarchus De amore diuitiarum: τίνι τῶν καλῶν τῆς ἀρετῆς τὰ τοῦ πλούτου φάλαρα ταῦτα καὶ περιδέραια καὶ θεάματα κορασιώδη παραβαλεῖν ἄξιον. vbi vides in gemina sententia idem verbum positum. vnde etiam intelligimus quantum illi obseruationi tribui debeat quæ phalerarum heic docet ideò fieri mentionem, quia sermo sit de equite. nam profectò apud Plutarchum cessat illa ratio.

Non pudet ad morem discincti viuere nattæ.) Noui te inquam, & quæ sit tua vita, qui mores. nempe vitiis obnoxius viuis, non secus ac natta aliquis, & bambalio. nihílne te pudet generis nobilitatem parum honesta vita inquinare? *nattæ* semper in membranis: & ita in Pinariorum nummis, qui hoc cognomen tulerunt. propriè sic vocabant qui sordidas artes exercebant, vt fullones, & βυρσοδέψας. origo vocis Græca, vt sciunt eruditi. posteà ad animum transtulêre & & vitæ dissolutæ homines atque inhonestæ ita dixerunt, qualis fere est vita pullatæ turbæ, & eorum quos discinctos Latini, Græci ἐκλύτους vocant. heic verò is intelligitur, quem philosophus ἀκόλαστον vocat. Zonæ vsus apud veteres indicium faciebat emendatæ vitæ & sobriæ: ideo Chrysostomus in Matthæum, de seculi sui mollitie queritur, quo seruata paucis antiqua disciplina.

Sed stupet hic vitio, & fibris increuit opimum Pingue:) Iuuenem ferocientem ob splendorem ge-

neris & diuitias, nattæ alicui similem dixit propter animi vitia, superiore versu: nunc probat, in paritate vitiorū, non parem esse vtriusq. conditionem: sed longè hunc quam illum esse infeliciorem. rationem affert, quia ille quidem sensum nullum habet suæ miseriæ: hic verò sentit malo loco se esse, & vbi tandem vitiis penitus succubuerit, seræ pœnitentiæ cruciatum intolerabilem non effugiet. Ex his clarum, *nattam* quem vocat Persius, eum esse quem ἀκόλαστον siue intemperantem philosophi dicunt: *iuuenem* esse quem illi ἀκρατῆ & incontinentem. vterque horum malus est: sed magna inter vtrumque differentia, vt philosophus in Ethicis docet, & heic Persius explicat. ambo voluptatis mancipia sunt: verùm ita, vt sine vllo sufflamine ruat ad fruitionem voluptatum intemperans: cùm neque cogitet de virtute quicquam, neque sciat malè agere se, quasi penitus esset in eo extincta ratio. quare Aristoteles hunc natura peccare dicit, in 11. Nicomacheorum: Philo Iudæus, ζῆν κατὰ φύσιν, quod pluribus explicat in libro de herede rerum diuinarum. alter ille contrà, repugnante intus ratione peccat, & sciens prudénsque flagitium admittit: praua consuetudine, vt ait philosophus, ad peccandū illectus, non ignoratione virtutis. Philo Iudæus incontinentem velut in medio collocat, eius quem ait ζῆν παρὰ φύσιν, qui est Stoicorum sapiens: & eum qui ζῆ παρὰ φύσιν, vt modò dicebamus. tria enim hæc vitæ genera ibi ab illo proponuntur. Vter igitur

horum deterior? videtur Persius intemperantem præ incontinenti pene μακαρίζειν: cùm tamen variis locis pronunciet philosophus, peiorem longè esse intemperantem: vt qui naturæ vitio peccans sanari & reuocari ad frugem nequeat. φαυλότερος, inquit, in II. Nicomacheorum, ὁ ἀκόλαστος τοῦ ἀκρατοῦς· δυσιατότερα γὰρ τὰ φυσικὰ τῶν ἐξ ἔθους γενομένων. de hoc & Philo aliis verbis dicit idem: τὸ πρὸς γένεσιν ζωῆς γένος οὐδ' ὅλως ἀνέβη, οὐδ' ἐζήτησεν ἀναβῆναι, φωλεδὸν δὲ μυχοῖς ἀδύτοις τῷ ἀβιώτῳ βίῳ χαίρει. sed hoc Persij sententiæ nihil obstat: qui & ipse suum nattam, id est, intemperantem, facit insanabilem luculentis versibus: qui est infelicitatis summus apex: verùm eo solũ nomine, quod infelicitatis suæ sẽsum iste nullum habet, iure Persius mitius cum ipso agi pronuntiat, quàm cum incontinente: quem assidua primum cum vitiis pugna habet exercitum: deinde post admissum flagitium dolor ex pœnitentia vrit incomparabilis. Amplius obseruandum est, eum incontinentem de quo Persius loquitur, non planè eundem esse cum eo de quo Aristoteles: nam is de quo philosophus, inter virtutem ac vitium ita nutat, vt spes supersit posse eum transire ad meliora: τὸ γὰρ ἔθος, inquit, ἄλλῳ ἔθει ἐκκρούεται. at Persius, de eo sentit, qui in illa fluctuatione consenuerit, & in vitiis perdurauerit: quod genus hominum altero peius esse etiam literæ sacræ pronuntiant. de his Galenus in XI. de vsu partium, τούτοις, ait, ἡγεεῖσθαι προσήκει.

Sed stupet hic vitio.) *stupere* Latinis est ἀναισθητεῖν.

intemperans *vitio stupet*, id est, ita à vitiis possidetur, vt de virtute ne cogitet quidem: est enim ἀκολασία iis morbis similis qui sensum morbi adimunt: propterea & insanabilis est. Lege Plutarchi libellum, quo morbos animi & corporis inter se comparat. contrariũ fit in eo quem incontinentem vocabamus, & in eo quem Stoici proficientem, siue procedentem & προκόπτοντα.

fibris increuit opimum Pingue.) ἐπαχύνθη ἡ καρδία αὐτοῦ, καὶ ἀναίσθητος ἐγένετο. pinguedo sensum adimit. idem igitur dicit ac præcedentibus verbis, *stupet vitio*. Philo Iudæus hoc dixit, αἱ ἡδοναὶ ἀπραξίαν ἐνεποίησαν ταῖς αἰσθήσεσι. Ausonius: *Ignorat alto mens obesa viscere. pingue* ἡ παχύτης. in Catalectis *Scholasticorum natio madens pingui.* vbi *opimum pingue* valet pinguedo pinguis: quomodo sæpe apud Hippocratem, & Galenum, οἶνος ὁ οἰνώδης.

caret culpa:) cur? quia οὐδεὶς ἑκὼν πονηρός· οὐδ' ἄκων μάκαρς, vt est apud philosophum. Itaq. fatis imputabant intemperantiam qualis heic intelligitur. Iuuenalis in secunda:

—— verius ergo
Et magis ingenuè Peribomius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessúque fatetur:
Horum simplicitas miserabilis: his furor ipse
Dat veniam: sed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti.

Geminũ huic est illud Domini Iesu in IX. Ioannis, εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν. & Menandri illud, ὁ μηδὲν εἰδὼς μηδὲν ἐξαμαρτάνει. & quod modo ex Galeno afferebamus, commiseratione ho-

hominum esse istos dignos.

nescit quid perdat.) omnino pauci hominum sciunt, quid perdant, cum virtute relicta vitium sequuntur. Iamblichus in Protreptico de simili hominum genere loquens: οὗτοι, inquit, τοσούτῳ μᾶλλον εἰσὶν οἵους οὐκ οἴονται, ὅτι οὐχὶ οἴονται· ἀγνοοῦσι γὰρ ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν. Lege Philonem περὶ μέθης.

& altò Demersus, summa rursus non bullit in vnda.) hoc illud est quod ait Aristoteles, intemperantem nulla vnquam tangi pœnitentia: & propterea sanari non posse. ἀνάγκη, inquit, τὸν ἀκόλαστον μὴ εἶναι μεταμελητικόν· ὥς τ' ἀνίατος. Persius igitur eum comparat cum homine submerso, qui nunquam emergit, sed funditus perit. hanc sententiam adfini similitudine illustrat & pluribus verbis persequitur Philo Iudæus, in libro Ὅτι τὸ χεῖρον &c. χαλεπὸν διοιχθῆναί τε καὶ ἀνευρυνθῆναι τὰ τῶν αἰσθήσεων στόμια, ὡς ἀχανέσιν αὐτοῖς τὴν τῶν αἰσθητῶν φορὰν ποταμοῦ πλημμύροντος δίκην ἐπιχεῖσθαι, μηδενὸς τὴν βίαιον ὁρμὴν ἀνωθοῦντος. τότε γὰρ ἐγκαρπωθεὶς ὁ νοῦς τοσούτῳ κλύδωνι, βύθιος εὑρίσκεται. μήδ' ὅσον ἀναμήξασθαι καὶ ὑπερκύψαι δυνάμενος. nec semel alibi apud elegantissimum illum scriptorem legas τὸν τῶν αἰσθητῶν ποταμόν.

demersus.) βεβαπτισμένος. sic loquitur Gregorius Thaumaturgus in gratiarum actione ad Origenem: cùm præceptorem qui ab errore suos reducit, ait τοὺς βαπτιζομένους ἀνιμᾶσθαι. Simile est apud Ioannem Chrysostomum, εἰς αὐτὸν τὸν πυθμένα τῆς κακίας καταπίπτειν, in posteriorem ad Timotheum.

ſumma rurſus non bullit in vnda.) non emergit. Philo modò ἀνανήξασθαι & ὑπερκύψαι dicebat. Dio Chryſoſtomus ἀνενεῦσαι eodem ſenſu, in IV. de regno. εἴπως δύναιτο κινηθεὶς ἀπὸ τοῦ τύφου καὶ τῆς δόξης μικρόντι ἀνενεῦσαι. vbi ſcribi malim κενωθείς: *ſi fortè leuatus typho & gloria, poßit pauxillum emergere.* eſt enim Dioni ἀνενεῦσαι quod Perſio, *ſumma bullire in vnda*, hoc eſt extare & reſpirare ex aquis. hoc ſimile à Stoicis ſuis mutuatus eſt Perſius. nam illi plurimùm eo vſi. M. Tullius in III. de finibus, ex Græcis Stoicis: *vt qui demerſi ſunt in aqua, nihilo magis reſpirare poſſunt, ſi longè non abſunt à ſnmmo, vt iam iámq. poßint emergere, quàm ſi etiam tunc eſſent in profundo:* &c. *bullire* Perſius poſuit pro ebullire.

Magne pater diûum, ſæuos punire tyr.) ſtupori & ἀναισθησίᾳ nattæ opponit acerrimos cruciatus quos tolerant ij, qui virtutem cognitam habuerunt, nec vſi ſunt tamen. hos verò tantos eſſe ait, vt immaniſſimorum ſcelerum reis nullum poſſit optari maius tormentum pro pœna, quàm ſit ille cruciatus. Auguſtinus libro De magiſtro, capite nono, *Perſius omnibus pœnis quas tyrannorum vel crudelitas excogitauit, vel cupiditas pendit, hanc vnam anteponit, qua cruciantur homines qui vitia quæ vitare non poſſunt coguntur agnoſcere.* Videtur Perſius ad locum Platonis reſpexiſſe in Gorgia, vbi ait, in animis defunctorum tyrannorum vibices extare teſtes eorum ſcelerum: itaque Radamanthum in Orco cùm illorum videt τὰς δεδαμεμαστιγωμένας ψυχὰς & οὐλῶν μεστὰς, inde conie-

iecturam facere de ipsorum sceleribus. alludit eodem Epictetus apud Arrianum lib. II. capite XVIII.

Magne pater diuûm.) Lucilius, *pater optimus diuûm.* vide Lactantium libro quarto, capite tertio.

Haud alia ratione.) quam flagello conscientiæ, & metu qui eam necessario sequitur. Plautus: *Nihil est miserius quam animus hominis conscius.* Petronius: *Dij deæq; quàm male est extra legem viuentibus! quicquid meruerunt semper expectant.* videtur Boëtius Persij hunc locum imitatus carmine VIII. libri III. consolationis suæ.

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes honores ambiant:
Et cum falsa graui mole parauerint,
Tum vera cognoscant bona.

lege autem Iuuenalis satiram XIII.

Mouerit ingenium.) impulerit ad insigne aliquod flagitium aut scelus.

Feruenti tincta veneno.) tinctura vocatur venenum Latinis, Virgilio, Horatio, Boëtio, aliis. ita dixit Philo, κεχρωσμένῳ μιάσμασι δόγμασι, in libro de cherubim.

Virtutem videant, intabescántque relicta.) Virtutis amor à Deo inditus est mortalium omnium animis: qui etsi fraude hostis humani generis pene fuit extinctus: nunquam tamen vitio tantùm fuit, aut erit virium, vt probare se hominibus queat. inde est, quod inueniri pauciſſimi soleant, qui velint gratis esse mali: aut qui inter

ſcelera & iniurias bonitatis opinionem non affectent. quod ſi qui eo deprehendantur eſſe ingenio, nemo illos pro hominibus habet, ſed omnes quaſi feras abominantur. Iſtæ ſunt bonæ mẽtis reliquiæ, quæ illum in animis noſtris cruciatum generant, quo nullum maiorem ſentiri poſſe affirmat heic Perſius. eadem poëtæ illius mens, qui apud Plutarchum exclamat, in libro De recta poëtarum interpretatione:

Αἲ αἲ τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακὸν,
Ὅταν τὶς εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δ' μή.

teſtimonia huius rei cùm alia in literas relata, tum duo inſignia; Tiberij, cuius aſſidua tormenta teſtatur epiſtola Tacito & Suetonio ex parte deſcripta: & Maximi tyranni. eius vocem refert Sidonius Apollinaris libro II. epiſt. XIII. *Felicem te Damocles, qui non vno longius prandio regni neceſsitatem tolerauiſti!*

Virtutem videant.) vt Medea apud Euripidem, & alios poëtas. Horatius:

—— *video meliora probóque*
Deterioráque ſequor. ——

intabeſcántque.) imitatur Ouidij verſum de vera inuidia in II. Metam.

Sed videt ingratos intabeſcítque videndo
Succeſſus hominum. ——

relicta:) integrum non eſt ad virtutem relictam ſemel remigrare, vt de Dionyſio tyranno loquitur Cicero: quoties amori virtutis obſiſtit vis maior cupiditatum, & ille quem vocat Philo τῶν αἰσθητῶν ποταμόν.

Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci.) maxima quæque tormenta præ flagello conscientiæ sunt leuia: hinc æstimari potest eius magnitudo. Perilli & Phalaridis itémq. Damoclis historiæ notissimæ sunt.

Purpureas subter cerulices terruit.) Damoclis; qui tricliniari veste amictus pretiosissima accumbebat. principum autem cœnatoria præstantissimi coloris erant, putà purpurea aut hyacinthina, aut alius similis è nobilioribus. sed disertè testantur veteres, Damoclem hunc muricis Tyrij conchyliato indutu fuisse ditatum. caue aliter interpreteris heic *in purpureas*.

intus palleat.) mira locutio: nam pallor intus esse non potest. sed vnum verbum duorum loco posuit: intus timeat, & foris palleat.

quod proxima nesciat vxor.) Iuuenalis:

——— *conscius & cui feruens*
Aestuat occultis animus, sempérque tacendis.

sed quod ait Persius de vxore propriè locum habet in adultero, cuius tormenta depingit Chrysostomus homilia XXII. in priorem ad Corinthios.

Sæpe oculos memini tingebam paruus oliuo) Nihil familiarius iuuentuti, quàm vt peccata sua defendat exemplis: nam illa potissimum ætas licere sibi putat, quicquid alij sibi permiserint. quare id cauet studiosè Persius in hac satira, vt exempla aliorum iuuentuti ne noceant, quæ dabat operam philosophiæ. Porrò hi iuuenes exemplis corrumpi poterant vel vulgi, vel aliorum

rum sui ordinis ac conditionis. illi, absque vlla institutione liberali soluti agebant: propterea *discincti nattæ* appellatione eos denotauit Persius: horum pars maxima institutione quidem non carebant, sed philosophiæ tamen studiis non imbuebantur, more plerorúmq. Romanorum: de his nunc agit Persius: negans eorum exemplo moueri debere iuuenes quos alloquitur: quia ne isti quidem sciant quid perdant, sicut de prioribus dictum est. ipsos verò virtutis pulcritudinem admirabilem non ignorare: neque excusari vllo modo posse, si illam non deperierint. Quod autem hic doctor, qui ore Persij loquitur, vnum eorũ ait se fuisse in iuuentute, qui temporis iacturam non magni æstimarẽt: eò videtur spectare, vt hac ratione maiorem consilio suo auctoritatem conciliet. Potest etiam simplicius exponi hic locus: vt discipulis suis iam, vt par est, grandioribus & prætextatis dicat hic Stoicus, non debere eos moribus iisdem vti, quibus quondam in grammaticorum & rhetorum scholis essent vsi: tunc enim ipsorum socordiæ & negligentiæ in studiis, paratum ab ætate fuisse patrocinium, quando non caperet tenera ætas quantum esset damnum iactura temporis & literarum ac virtutis contemtus. nunc verò postquam philosophiam degustarint, cuius primum & præcipuum caput est, doctrina de fine, aliam ætatem alios mores postulare.

oculos tangebam paruus oliuo.) Ita scribendum est: *tangebam*, inquam, non *tingebam*, quod &

membrana damnant, & vetus interpres, cuius sunt verba: *oculi oleo tacti perturbantur ad tempus.* accedit quod caput est, ratio ipsa: nam tingere oleo, hoc est linere superficiem ciliorum, adeò oculis non nocet, vt iuuet plurimum, firmétque aciem. quare scribit Dioscorides in secundo, olei ὑποδέημα valere ad ὀξυδορκίαν: non igitur *tingebam* legendum heic: sed *tangebam*, & de interioris oculi tactu accipiendum.

Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere.) Genus exercitationis fuit veterum rhetorum, vt iuberent discipulos stilo complecti verba, quæ probabile est dixisse aliquem ex historia notum virum, vel cùm moreretur, vel aliqua alia occasione, quæ sit item ex historia nota. Extant Græcorum μέλεται, item versus multi cum hac inscriptione, πῶς ἂν εἴποι λόγους ὁ δεῖνα. de huiusmodi exercitationibus loquitur heic Persius. *Dicere verba Catonis morituri*, est chriam componere hoc titulo, πῶς ἂν εἴπε λόγους ὁ Κάτων τεθνηξόμενος.

non sano multum laudanda magistro.) & grammatici & rhetores cogebantur, vel si natura modesti essent, discipulorum compositiones laudare apud parentes: vt præposteræ illorum cupiditati satisfacerent. quam seruitutem illorum miseram in alia re notat eleganter Petronius initio Satyrici. *laudanda* igitur, non simpliciter ἐπαινέσῃ aut μέλλει ἐπαινεῖν: sed ἃ χρὴ αὐτὸν ἐξ αὐάγκης ἐπαινεῖν: quæ habet necesse laudare, ne videlicet, vt ait Arbiter, *sine spe prædæ moriatur in scopulo.* sed hanc excusationem non admittit Stoicorum

rigor : quibus nulla poteſt neceſſitas imponi tanta, quæ à recti tramite deflectere eos cogat. propterea Perſius ait, *non ſano magiſtro* : illis enim præter ſapientem vnum, omnes inſani.

Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.) Tangit ſatirographus ambitionem patrum, qui filios ſuos ſæpe declamare cogebant, & ad eos audiendos cum amicis corrogatis in ludum veniebant. meminit & Quintilianus libro II. cap. VII. & lib. X. cap. V.

ſudans) ἀγωνιῶν. explicat Statius in epicedio patris ſui:

Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui ſpectator adeſſes
Muneris? heu quali confuſus gaudia fletu.
Vota pióſque metus inter, lætumque pudorem.

Iure : etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret
Scire, erat in voto.) *Iure*, non ſignificat rectè hoc factum à Perſio : ſed valet, conuenienter vitæ quam agebat, & fini quem ob oculos propoſitum habebat. In vita laus præcipua, finem rectum ſibi propoſuiſſe, quò referantur facta omnia dictáque : proxima huic laus, conſtantia, & vita ὁμολογουμένως τῷ προκειμένῳ τέλει acta. nam qui ſummum bonum in voluptate ponebant, & poſtea quæuis pati pro virtute paratos ſe dicebant, non minus inconſtantiæ notati ſunt, quàm illi qui virtutem pro ſcopo ſibi proponentes ad voluptatem interdum deflectebant. Perſius igitur qui puer ſummum bonum non aliud agnoſcebat præter ludum & iocum : iure ſerias curas

nugis ſuis poſtponebat. Vides quàm aptè dogma Stoicum ſeruet philoſophus noſter: nam qualem quiſque finem ſibi propoſuiſſet, tales futuras cuiuſque actiones docebant Stoici. Seneca epiſtola XCV. *Omnia honeſtè fient, ſi honeſto nos addixerimus, idque vnum in rebus humanis bonum iudicauerimus, quæque ex eo ſunt. Ergo infigi debet perſuaſio ad totam pertinens vitam. Hoc eſt quod decretum voco. qualis hæc perſuaſio fuerit talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur.* Propterea ſingulas actiones ſemper ad vltimum finem referri debere ſcitum eſt eius ſcholæ. Seneca epiſtola LXXI. *Conſilium quemadmodum inueniatur oſtendã. Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum voles ſcire, ad ſummũ bonum & propoſitũ totius vitæ reſpice: illi enim conſentire debet quicquid agimus. Non diſponet ſingula, niſi cui iam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt.* & Marcus Imperator diſertè negat aliam ad conſtantiam in actionibus præter hanc patere viam: ᾧ μὴ εἷς τὸ ὁ αὐτός ἐστιν ἀεὶ τοῦ βίου σκοπὸς, οὗτος εἷς καὶ ὁ αὐτὸς δι' ὅλου τοῦ βίου εἶναι οὐ δύναται. omitto ſimiles locos M. Tullij, Senecæ ipſius, & Græcorum. *id ſummum erat in votis*, hoc eſt, τέλος ἔσχατον προὐκείτομοι τοῦτο.

Quid dexter ſenio ferret.) puerilem laſciuiam deſcribit ab aliquot luſionibus, quæ illi ætati erant familiares: prima eſt κυβεία, quem fuiſſe puerilem luſum celeberrimum Spartani Lyſandri dictum, & Dio Chryſoſtomus in quarta de regno, & veteres alij teſtantur. eò ſpectat ſenionis & caniculæ mentio: nam vt quiſque talis iactatis ſenionem miſerat, vincebat: ſin canem,

vincebatur : ideò ſenionem *ferre* dicit Perſius, hoc eſt lucrum conciliare : at canem *radere*, id eſt, damno illato rem minuere. plura de luſu talorum olim ad Suetonij librum ſecundum notabamus. nimis verò perſpicuus eorum error, qui poſt iſta *damnoſa canicula quantum*, τελείαν στιγμὴν ponendam cenſuerunt : & verbum *raderet* cum ſequentibus iunxerunt : quo nihil ἀτοπώτερον.

anguſtæ collo non fallier orcæ.) Hæc ſecunda luſio puerilis : quæ & ipſa κυβείας erat ſpecies : nam talis aut taxillis peragebatur. Pomponius apud Priſcianum libro III. capite nono, vt quidem manu exarati diſtingunt : *Interim dum contemplor orcam taxillos perdidi.* eſt igitur *orca* idem ac phimus & pyrgus : quæ ſunt talaris luſus voces, apud Græcos & Latinos. Fieri poteſt vt non alia heic luſionis ſpecies intelligatur, quàm ea de qua in precedentibus verſibus : dubito tamen, nec ſine cauſſa. nam poteſt accipi heic locus de alia luſione quæ Græcis τρόπα dicebatur : cùm vel talos vel nuces, vel id genus alia in foramen coniiciebant. Pollux ita deſcribit libro nono cap. VII. ἡ τρόπα καλουμένη παιδιὰ, γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι' ἀστραγάλων, οὓς ἀφιέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου. πολλάκις δὲ τὰ ἀκύλοις τὰ βαλάνοις ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ ῥιπτοῦντες ἐχρῶντο. *anguſtæ orcæ* dicit, ad differentiam veræ orcæ. ὕρχην Græci, Latini *orcam* vocabãt vaſa modicæ capacitatis, in quibus ſalſamenta ſeruabant. mox,

Mænáque quod prima nondum defecerit orca. similia erant & illa στρόβοιχα κεράμια in quibus nuces, amygdalas, & id genus alia habebant recondita. Arrianus Dissertat. libro tertio capite IX.

Nec quis callidior buxum torquere flagello.) Trochus Græcus, lusio alia puerilis.

Haut tibi inexpertum est curuos deprendere mores:) Ego puer in malo proposito vitæ conuenienter viuebam proposito meo: tu cur non non idem facis? nam ignorationem certè prætexere non potes. *haut tibi inexpertum*, hoc est peritus es, scis. quid autem? non dico bellè declamare, aut versus facere, sed philosophiam quæ docet quid virtus sit, quid vitium. *curui mores* qui ad rectæ rationis obrussam non sunt exacti. contrà κατορθώματα Stoicis, rectè facta. sic apud Senecam & Plinium *curua corrigere*, pro censorem agere: & apud Græcos σκολιὰ καὶ στρεβλὰ opponuntur κατορθώμασι. iterum in v.

Apposita intortos ostendit regula mores.

Quæque docet sapiens bracatis illita Medis Porticus.) Ita distingunt membranæ, vt ad sequentia vox *insomnis* pertineat. idque melius. duo enim epitheta eidem subiecto non solent Latini sine copula iungere, vt docet Seruius. porticus Stoica alio nomine Ποικίλη, cuius appellationis caussam ostendit Persius: sed vberius Pausanias & Laërtius. Adhuc temporibus Arcadij & Honorij visebatur Athenis hæc porticus cum suis tabulis: sed Stoicos venerationem ei loco maio-

rem prope quàm ſuperûm templis tribuentes non tulit Proconſul quidam Achaiæ. is locum deturbauit, & tabulas abſtulit: eóq. facto Stoicorum ſupercilium non mediocriter retudit, vt ait Syneſius. *braccatos Medos* qui putant dictos propter vſum togæ ποδήρους, velim diſcant quid inter στολὴν & ἀναξυρίδας aut θυλάκους, (braccas ita vocant comici, & in Cyclope quoque Euripides:) interſit. puerilis eſt error.

inſomnis quibus & detonſa iuuentus Inuigilat.) iuuenes qui in diſciplinam Stoicis ſe dabant, habitum quoque aſſumebant ſectæ conuenientem. ideò Marcus Antoninus ſcribit, ſe iuuenem pro ſtratis grabatulũ & pellẽ habuiſſe, & cætera quoq. ſeruaſſe Græcanica inſtituta: eorum nempe qui à philoſophis Stoicis inſtituebantur. παρὰ Διογνήτου, inquit, τὸ σκίμποδος καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐχόμενα. hanc Ἑλληνικὴν ἀγωγὴν ſcholæ Stoicæ duabus notis heic deſcribit Perſius: à diligentia in ſtudiis, & à tenuitate cultus. ſcis, inquit, illa quæ docentur in porticu, & quibus *iuuentus inſomnis inuigilat*: id eſt, operam iam multam in ſtudio philoſophiæ poſuiſti ſub Stoico magiſtro, imbutúſque es eius diſciplina. λιτότητα cultus verbo declarauit, *& detonſa*: nam Stoici non alebant comam ſed ſtrictim tondebant: quod ſoliti facere frugi homines, & elegantiarum incurioſi, vt dicebamus ad Theophraſtum. ita autem ſine controuerſia ſcribendus hic locus, vt rectè olim iudicauit ἄκρος ille παιδείας ἄωτος, Hadrianus Turnebus: neque

aliter in antiquissimis membranis Puteani. Bongarsij, & nostris inuenimus.

siliquis & grandi pasta polenta.) tertia nota λιτότητος ἑλληνικῆς ἀγωγῆς, victus tenuis: putà, polenta aut secundus panis, & siliquæ leguminum, quod pecoris immundi potius quàm hominum. Lucas Euangelista, capite x v. de filio prodigo, ἐπεθύμει χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. & Plinius quoque ait, siliquas pabulum esse pecudum gratissimum. Horatius extremam frugalitatem ea voce expressit:

——— *viunt siliquis & pane secundo.*

quem sunt imitati & Persius heic, & Iuuenalis in xi. *--sed laudem siliquas occultus ganeo--* Prudentius quoque Cathemerinon hymno III.

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo,
Pauerit innocuis epulis.

omnes hi dubio procul siliquarum nomine legumina intellexerunt, aut leguminum operecula, quæ propriè ab incuruatione leui κεράτια Græcis, Latinis siliquæ dicuntur. in D. Lucæ tamen loco κερατία aliter accipit Theophylactus: qui de fructu arboris siliquæ interpretatur: quem fructum ξυλόγλυκα auctor Glossarij nominat: quia dulcis est, vt etiam Plinius scribit lib. xv. cap. xxiv. Arabs quoque *charnub* interpretatus est: qua voce an siliquas leguminum Arabica lingua appellat, non facilè dixerim: illud scio, arborem κεράτιον siue siliquam, descriptam à Galeno & Dioscoridi libro primo capite CLIX. in

libris medicorum Arabum dici *charnub*. Itali & Galli Arabicam vocem retinent leuiter detortam: & litera *n* ademta, quam contra Arabes & Syri multis dictionibus solent adiicere ad legitimas radicales.

& grandi pasta polenta.) quam Latini *polentam* vocant, Græci scriptores ἄλφιτων appellatione designare solent, quia ex hordeo eam faciebant, vt etiam ex descriptione Pliniana apparet libri XVIII. capite septimo. vulgò farinam hordei vertunt: sed inter polentam siue ἄλφιτα & farinam hordei discrimen erat, quod ἄλφιτα torrebantur, vt docet idem scriptor libro XXII. capite XXV. ex illo cognosces quàm appositè in descriptione Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς polentæ meminerit: non quia panis Græcanicus fuerit polenta, vt quidam scribunt: Romana enim & res est & dictio: sed quia polentam esitabant qui tenuiter viuebant: vt hi philosophi & plerique Græcorum. ait autem *grandi*, quia multo pane vescuntur, quibus solus panis cibus est. sic Iuuenalis,

——*grandes fumabant pulmine ollæ.* vel hac voce commendat εὐεξίαν modicè viuentium. signum enim est valetudinis bonæ, grandem panis quadram posse comedere: quod non faciant delicatuli isti cum omnibus suis condimentis & gulæ scitamentis.

Et tibi quæ Samius diduxit littera ramos, Surgentem dextro monstrauit limite callem.) aliis verbis idipsum dicit, quod illo versu dixerat:

Haut tibi inexpertum curuos deprendere mores.

nam biuiũ virtutis & vitiorum quod literæ Y figura Pythagoras exprimere solitus, non alio spectabat, quàm vt iuuentus bona maláq. nosset: illa vt sectaretur, hæc vt fugeret. ea Pythagoræ acroasis decantatissima est Græcis Latinísque scriptoribus, etiã poëtis. & illa ipsa litera Pythagoræ dicta. Virgil. *Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.* ideò *ramos Samios* dixit Persius: nam Samius est dictus ille sapiens: de quo lege Laërtium. *diduxit* scribendum, non *deduxit*. neque enim Latina oratio est *deducere ramos*, pro diuidere, & in duos findere. in viverò, vbi iterum ad hãc acroasim Pythagoricam alludens ait,

Cúmq. iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

etsi rectiùs omnino scribetur *diducit:* tamen vulgata lectio vtcumq. ferri potest: quam heic non patitur Latinitas.

Surgentem dextro monstrauit limite callem.) imitatur Virgilium:

Nam via virtutis dextram petit ardua callem.

vterque Pythagoricæ imagini de ramis literæ Y miscet doctrinam eodem spectantem de duplici via cuius auctor primus Hesiodus. deinde Prodicus eam fusiùs erat persecutus. eò alludit vox *callis.*

Stertis adhuc?) tu qui philosophiæ pridem operam das, cur philosophicè non viuis? non viuis autem qui somno indulges, & toto genere vitæ dissolutus es. hoc anteà plurib. probatum, heic breuiter repetitur.

laxúmque caput compage soluta Oscitat hesternum.) quem Græci ἔκλυτον, Latini dissolutum vna voce appellant, Persius describit pluribus verbis. solent scriptores virtuti τόνον tribuere ac robur: quia vt valentis hominis corpus est robustum, non valentis languidum, & παραλελυμένον: sic cuius animo inest virtus, is omnia vitæ officia implet facilè: contrà qui deprauatis sunt moribus, nec corpore nec animo valent ad præstanda quæ vsui sunt officia, ἔκλυτοι iure vocantur & dissoluti: quæ voces de intemperantibus præsertim & incontinentib. vsurpari solent: quia ex omnibus vitiis nullum est quod corpus æquè corrumpat, vt voluptatum vsus immodicus: putà Veneris & cibi potúsque nimietas. quare Persius dissolutum iis notis describit, quæ propriè homini temulento conueniant: *laxum caput: compago soluta: oscitare hesternum: malæ vndique dissutæ.* sic paullò pòst, *laxa labra.* Neruis quibus maximè continetur humanum corpus, & vt loquitur diuinus Paulus, πᾶν σῶμα συναρμολογεῖται, inimicissimum est vinum. itaque temulentorum & οἰνοφλύγων, fatales sunt morbi neruorum, paralyses, arthritides, alij. Etiam facundissimus Chrysostomus in eam ad Ephesios homilia XII. inter mala luxuriæ recenset μελακίαν σώματος & ἔκλυσιν. Lege Basilij pulcerrimam homiliam κατὰ μεθυόντων.

compage soluta.) Epicrates, de Laide vetula loquens, τὰς ἁρμονίας τε διαχελᾷ τοῦ σώματος.

oscitat hesternum.) exhalat crapulam veterem,

vt loquitur Seneca. Plato, κραιπαλῇ ἐκ τῆς προτεραίας. obseruant Græcorum critici crapulam propriè dici temulentiam matutinam cum vespere coquitur: pridianam verò siue hesternam, οἰνοποσίαν. sed hanc legem scriptores optimi negligunt.

Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum?) Boni doctoris munus præstat hic Stoicus. discipulum ignauiæ primum accusauit & obiurgauit: nunc fontem culpæ aperit & aptam morbo facit medicinam. Decretum autem fuit cùm aliorum philosophorum, tum imprimis Stoicorum, radicem omnium officiorum vitæ totius, esse finis cognitionem, vt iam sæpius diximus: contrariorum verò eadem est ratio: itaque vt κατορθώματα à notitia finis proueniunt: sic peccata ab eiusdem ignoratione, aut parum firma constitutione. Seneca epistola LXXI. *Ideo peccamus quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo.* caussam cur peccemus assignat, ignorationem vltimi finis. idem nunc & Persius docet: nam ita accipienda eius interrogatio: quid mirum si dissolutè viuis? quod ante omnia faciendum tibi fuerat, vt de summo bono decerneres, & finem certum tibi proponeres, de eo necdum cogitasti. Græci philosophi finem illum vltimum, non solùm τἀγαθὸν & τέλος vocant, sed σκοπὸν, à sagittariis vocem mutuati, vt docet Aristoteles primo Nicomacheorum: Ἆρ' οὖν, inquit, καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις τοῦ τέλους μεγάλην ἔχει ῥοπήν. καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοι μὲν τοῦ δέοντος. Græcam

dictionem exprimit noster cùm ait, *Est aliquid quò tendis?* ἔχεις τινὰ προθεὶς σοι τοῦ βίου σκοπόν; Ac finis quidem ille vltimus est scopus ad quem tota vita collineandum: singulæ verò actiones instar sagittarum sunt, quas eodem iacimus. subiicit Seneca modò allatis verbis: *Scire debet quid petat ille qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum.* scopus est qui petitur: sagittæ & tela sunt actiones vitæ. Philo Iudæus, De confusione linguarum: πλοῦτον ἢ δόξαν ἕκαστος αὐτῶν σκοπὸν προτεθειμένος, ἐπὶ τοῦτον ὥσπερ βέλη τὰς τοῦ βίου πράξεις ἁπάσας ἀφίησι. idem in libro de sacrificiis Cain & Abel: σκοπῷ μὲν τὸ κεφάλαιον, βέλεσι δὲ ἔοικεν ἡ κατασκευή. ita intellige sequentia Persij verba,

—— *& in quod dirigis arcum?*

aptius tamen & singula facta & dicta sagittis assimilaueris, quàm arcui. Virgilius in Culice non dissimili loquendi genere dixit:

—— *huc mittit & omnes*
Dirigit huc sensus. —— sic enim habent antiquæ membranæ, vt testis est Iosephus Scaliger: & est ea lectio elegantissima.

An passim sequeris coruos testáque lutóque.) Vita sine proposito vaga est: inquit Seneca epistola xcv. hanc vitam describit heic Persius: & eum qui ita viuit similem illi esse dicit, qui coruos & id genus aues sectetur, caperéque intendat, non arcus sed testæ lutíve iaculatione: quod quia per rerum naturam nec solet nec potest fieri, qui id tentant Græco prouerbio notati sunt, τὰ πετόμενα διώκει: quod in stultos & frustra laborantes dicti-

tabant. Senecę locus mirè hunc illustrabit, è lib. De vita beata. *Proponendum est primũ quid sit quod petamus.* mox: *Quandiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum, & clamorem dissonum in diuersa vocantium, conteritur vita inter errores:* & statim: *Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur.*

An passim sequeris coruos.) sic, *passim sectari profutura*, apud Senecam in epistolis. aues autem quæ passim pascuntur veteres Latini *passales* & *pascales*, Græci νομαδικοὺς & εἰκαίους dixerunt.

testáque lutóque.) his vtimur quoties non certo consilio ad capiendas aues prodiimus: sed temerè ac per lasciuiam aues obuias eo arrepto quod primùm in manus venerit, petimus.

Securus quò pes ferat.) more eorum *qui sine proposito vagantur, quærentes negotia: qui non quæ destinauerunt agunt, sed in quæ incurrerunt*, ait Seneca De tranquillitate animæ.

atque ex tempore viuis?) quod Græci dicunt αὐτοσχεδιάζειν τὸν βίον. *viuere ex tempore* heic, est viuere sine proposito, & vltimo fine, & vt loquitur Seneca, *aliud agendo viuere.* qui ita vitam instituunt, modò hoc probant, modò illud. Marcus Tullius in quinto Tusculanorum: *Nos in diem viuimus, & quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus.* etsi diuersa res agitur apud Tullium & nostrum, tamen quid sit hoc loco *viuere ex tempore* optimè declarat ille locus. aliàs dicitur *viuere ex tempore*, de iis qui in quærendis

vitæ præsidiis, vltra præsentem diem cogitationes suas non extendunt: quod Barbarorum esse idem Cicero ait, in II. de oratore: *Si Barbarorum est*, inquit, *in diem viuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent*. Gregorius Nazianzenus non Barbarorum sed verò brutorum eam vitam vocat in priore contra Iulianum: ζῶσιν ait, βίον ἀγόγων τὸ πρὸς ἡμέραν καὶ τὸ παρὸν ἀεὶ βιοτεύοντες. idem in quodam carmine: κακοῖσι τὸ ἐν ποσὶ μοῦνον ἄριστον. inde est apud Græcos conuitium inter grauissima, *homo in diem viuens*: Homerus ὀδυσ. φ.

Νήπιοι ἀγροιῶται ἐφημέρια φρονέοντες.

Plutarchus in Galba: ἀνηλώκεσαν οἱ πλεῖστοι τῶν λαβόντων τὰς δωρεὰς ἐφήμεροι καὶ σατυρικοὶ τοῖς βίοις ἄνθρωποι. & Ptolemæus τοὺς ἐφημεροβίους coniungit pessimis quibusque, vt sunt præstigiatores ac deceptores. Tetrabibli libro tertio, capite περὶ ποιότητος ψυχῆς. Diogenes tamen cynicus ἡμερόβιος vulgò appellatus est, non propter hanc caussam: sed vt in præsentem horam poscens à quolibet & accipiens cibum, quod ex Satyro narrat Hieronymus. Aliquando apud Ciceronem vt in XIIII. ad Atticum, *ex tempore* facere aliquid aut dicere non est αὐτοχεδιάζειν: sed conuenienter tempori: quia, vt ait idem eodem libro, *consilia temporum sunt, quæ in horas commutantur*.

Helleborum frustra cum iam cutis ægra tumebit, Poscentes videas:) Bono ordine procedit oratio: primò vitium ostendit, postea illius scaturiginem, nunc accedit ad curationem: sed prius hortatiunculam præmittit, vt sine mora faciant

morbo medicinam: ne fiat morbus temporis tractu irremediabilis, vt Mecœnatis verbum vsurpem. Allegoricè autem tractata hæc exhortatio: nam loquitur vt de corporis medicina: sentit autem de animorum. occasio huic allegoriæ ex eo quod philosophi Græci ac Latini vitia dixerunt πάθη ac morbos: virtutem ὑγίειαν.

cum iam cutis ægra tumebit:) morbo iam contracto, qui paullatim generatur: sed heic intellige confirmatam longo vsu ἕξιν κακίας. commune est omnibus morbis qui foras prodeunt, vt φλεγμονῇ cutem intendant, ac tumorem excitent. paullò inferiùs,

——*surgit tacitè tibi lutea pellis.*

Hippocrates, οἰδέει τὸ σῶμα. ludibrium debebant medicorum filiis, qui tympaniten heic somniabant.

Et quid opus Cratero magnos promittere montes?) auri nempe. obiter Satiricus stultitiam eorum ridet, qui neglecta cura valetudinis per omnem vitam, ægri posteà, vbi mortis periculum admotum esset propius, nihil non medicis promittebant, & vt ait Seneca De breuitate vitæ, medicorum genua tangebant: quasi esset in eorum potestate morari fata. etiam Epictetus apud Arrianum horũ stultitiam carpit lib. III. ca. πῶς δεῖ φέρειν τὰς νόσους: ait inter cætera, τί κολακεύεις τὸν ἰατρόν; τί λέγεις, ἐὰν θέλῃς Κύριε, καλῶς ἕξω. τί παρέχεις αὐτῷ ἀφορμὴν τοῦ ἐπάραι ὀφρῦν;

Discite ô miseri, & caussas cognoscite rerum.) Iam declarat Stoicus hic, vnde petenda sint aduersus animi

animi morbos de quibus dixit certa remedia. ad philosophiam nempe iuuenes suos reiicit, quæ magistra vitæ, morum formatrix, & ad vitam beatam tuta via ac certa. Neque verò contentus est noster doctor discipulis verbo indicasse philosophiæ nomen, & digitum solùm ad fontem intendisse: quin potius excellentes medicos imitatur, qui vt eò libentius salubribus suis consiliis obtemperantes ægrotos habeant, simul & medicamenta præscribunt, & cuiusque illorum naturam indicant: vt sciant illi quid inde habeant sperare. Simillimè & noster doctor, sic iuuentutem suam ad philosophiam reiicit, vt simul vtilitatem ostendat quam ex eius cognitione sit perceptura. Hoc igitur vt paucis præstaret præcipuis quibusdam moralis doctrinæ capitibus in medium allatis, ad illius amorem cordatos iuuenes accendit. Habent igitur heic lectores, breuem quandam σωσφν vniuersæ philosophiæ ethicæ: éstque hic locus luculentus planè & illustris.

ô miseri.) ignorantia, præsertim eorum quæ ad vitam beatè agendam spectant malum vel maximum. Stoicum autem est scitum, præter vnum sapientem reliquos esse omnes miseros atque infelices.

& causſas cognoſcite rerum.) Seneca Naturalium libro sexto capite III. *Quanto ſatius eſt cauſſas inquirere & quidem toto in hoc intentum animo: neque enim quicquam illo inueniri dignius poteſt, cui ſe non tantùm commodet, ſed impendat.* Sed Seneca de

caussis loquitur rerum naturalium in vniuersum: Persius de caussis eorum quæ homini eueniunt: quæ Stoici referebant ad legem fatorum. M. Antoninus libro x. ὅ, τι αἴτοι συμβαίνει, τοῦτό τοι ἀπ' αἰῶνος προκατεσκευάζετο, καὶ ἡ ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων συνέκλωθε, τήν τε σὺν ὑπόστασιν ἐξ αἰδίου καὶ τὴν τούτου σύμβασιν. item de caussis τῶν φευκτῶν καὶ αἱρετῶν, siue rerum expetendarum & vitandarum. Horatius:

——— *vitatu quidque petitu*
Sit melius, caussas reddet tibi

Iuuenalis doctè *viuendi caussas* dixit,

Et propter vitam viuendi perdere caussas.

has rerum caussas pluribus expressit Lucilius iis versibus quos profert Lactantius libro VI. capite V.

Quid sumus.) Stoici philosophi cùm vniuersam de moribus philosophiam ad duos referrent locos, Decreta & Præcepta, multis libris ac voluminibus vtramque docendi viam, & δογματικὴν & παραινετικὴν sunt persecuti. sed quoniam omnis hæc disciplina ad vsum spectat, in quo solo posita eius vtilitas, solebant Stoici suos monere, vt eorum quæ in scholis didicissent summa capita sic memoriæ infigerent, vt illa semper ad manum haberent, & ad omnem occasionem iis vterentur. hæc sunt πρόχειρα βοηθήματα de quibus loquitur Epictetus apud Arrianum libro primo capite XXVII. & libro III. capite X. neque alia fine Enchiridium ab illo est scriptum, quod & nomen testatur. Marcus Antoninus libro quarto: Βραχέα ἔστω καὶ στοιχειώδη ἃ εὐθὺς ἀπαντήσαντα ἀρκέσει πᾶ-

σαν τὴν ψυχὴν ἀποκλύσαι καὶ ἀποπέμψαι σε μὴ δυσχεραίνοντα ἐκείνοις ἐφ' ἃ ἐπανέρχῃ. Sunto, inquit, tibi ad manum præcepta breuia quidem, (idcirco κομματικοὺς λόγους philosophi appellant:) sed quæ elementa contineant vniuersæ doctrinæ, quæ simul ac occurrerint, totum perfundant animum, & æquum te dimittant ad omnia quæ euenerint. idem paullò priùs, medicos & chirurgos imitandos dixerat: & vt illi parata semper artis suæ instrumenta habent, ita in promptu esse habenda dogmata. ὥσπερ οἱ ἰατροὶ, inquit, ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων. οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε. idémque alibi ἑτοιμότητας vocat huiusmodi præcepta ad vsum semper parata. de his Seneca libro VII. De beneficiis, capite primo: *Egregiè hoc dicere Demetrius Cynicus solet, plus prodesse si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi & in vsu sint, quàm si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.* posteà: *Hæc Demetrius noster vtraque manu tenere proficientem iubet, nec vsque dimittere, immò affigere & partem sui facere, eóque quotidiana meditatione produci, vt sua sponte occurrant salutaria, & vtique ac statim desiderata præsto sint.* & epistola XCIV. *Subinde reducendus es ad memoriam: non enim reposita præcepta esse debent, sed in promptu.* Hæc sunt illa summa ac præcipua moralis philosophiæ capita, quæ paucis versibus indicata sunt heic ab hoc poëta Stoico: quid sit homo: in quam finem à Deo sit creatus: quis ordo sit rerum: vita hæc quàm breuis, quàm caduca: à quo accepta: quis

modus diuitiis sit statuendus: quid fas optare: quis legitimus opum vsus: quantum patriæ ac tuis debeas: in qua mundi huius statione sis collocatus. his paucis capitibus contineri elementa vniuersæ doctrinæ moralis palàm est. Sed propius iam illa saltem vt in transcursu consideremus.

Quid sumus.) Iure prima omnium ponitur hæc σκέψις, quæ idem iubet atque illa Pythicis oraculis adscripta vox, NOSCE TEIPSVM: quam vocem principium & consummationem sapientiæ cõtinere iure dixeris. Simplicius: τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ τοῦ θεοῦ πρόσταγμα καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας καὶ εὐζωΐας. inter Stoicos autem & cæteros philosophos conueniebat, ex cognitione nostri eliciendum esse finem illum cuius notitiam tantopere omnes quidem, sed tamen Stoici maximè commendabant. Cicero in v. de de finibus: *Si simul atque ortus esset se quisque cognosceret, iudicaréque posset quæ vis & totius esset naturæ & partium singularum, continuò videret quid esset hoc quod quærimus, omnium rerum quas expetimus summum & vltimum, nec vlla in re peccare posset.* libro autem IV. inter ea de quibus conueniebat Stoicis & Academicis hæc ponit Cicero: *Sequitur illud vt animaduertamus qui simus ipsi, vt nos quales oportet esse seruemus. sumus igitur* HOMINES, *ex animo constamus & corpore, quæ sunt cuiusdammodi: nósque oportet, vt prima appetitio naturalis postulat hæc diligere, constitueréque ex his finem illum summi boni atque vltimi.* Ex eodem fonte etiam, officio-

rum notitiam deriuandam Stoici docebant. Seneca epistola xcv. *Quando omnia quæ præstanda sunt ac vitanda dicam, cùm possim breuiter hanc formam humani officij tradere? Omne hoc quod vides, quo diuina atque humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem & in eadem gigneret. Ex illius constitutione miserius est nocere quàm lædi. ex illius imperio paratæ sunt iuuantis manus. Iste versus & in pectore & in ore sit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Habes in secunda Dissertationum Arriani caput eximium, quo docetur quomodo inuenienda sint officia ex ipsis nominibus: Σκέψαι τίς εἶ, inquit, τὸ πρῶτον ΑΝΘΡΩΠΟϹ. τοῦτο δ' ἔστιν οὐδὲν ἔχων κυριώτερον προαιρέσεως. ἀλλὰ ταύτῃ τὰ ἄλλα ὑποτεταγμένα. studiosi cætera legant: pulcherrima enim sunt. Iam verò cùm in dubio sit, præstantiáne maior sit hominis an vanitas, prorsus necessaria ad benè instituendam vitam, vtriusque accurata cognitio & assidua meditatio. Eò igitur Stoici sæpe nos vocant: vnum alterúmve locum subiiciam vt studiosis præeam ad similium obseruationem diligentem. Quid ergo est homo? Platoni φυτὸν est οὐράνιον οὐκ ἔγγειον. ἓν τῶν κτημάτων τοῦ Θεοῦ. sic enim ait in Phædro: sed nos porticum Stoicorum ne emigremus. Stoicorum est illud scitum: τὸν ἄνθρωπον οὐσιῶσθαι κατὰ τὴν λογικὴν ζωὴ, σώματι δὲ χρῆσθαι ὡς ὀργάνῳ: quod multis locis illustrat Simplicius in Enchiridium sapientissimi senis. Summa hæc: esse hominis, ídque adeò omne per quod homo censeatur, in animo & recta

ratione ſcitum eſſe; hanc eſſe illius eſſentiam, & illius τὸ πᾶν: corpus verò & cætera omnia, pro inſtrumentis vitæ iſtius habenda. apud Arrianum libro II. in hunc modum diſſerit Epictetus. Omnia quidem animantium genera Dei eſſe opera: ſed vnum hominem opus illius eſſe præcipuum, & cuius gratia cætera ſint creata. illa Deum intra ſe non habere: hominem diuinæ naturæ particulam eſſe: & intra ſe illum circumferre. non debere igitur ſuæ nobilitatis obliuiſci: ſed quicquid dicat, faciátve, meminiſſe, Deum præſentem eſſe: non illum ex auro vel argento quem fortè geſtabit: ſed quem intus atque in animo ſuo quiſque hominum circumfert. peſſimè verò illos ſibi conſulere, qui impuris cogitationibus, & actionibus ſordidis illum polluant. hæc ita ille: οὐκ ἔστι θεῶν ἔργα καὶ τὰ ἄλογα; ἔστιν. ἀλλ' οὐ προηγούμενα, οὐδὲ μέρη θεῶν. σὺ δὲ προηγούμενον εἶ. σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ· ἔχεις τὶ ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου· τί οὖν ἀγνοεῖς σου τὴν εὐγένειαν; τί οὐκ οἶδας πόθεν ἐλήλυθας; οὐ θέλεις μεμνῆσθαι ὅταν ἐσθίης, τίς ὢν ἐσθίεις, καὶ τίνα τρέφεις; ὅταν συνουσίᾳ χρῇ τίς ὢν χρῇ; ὅταν ὁμιλίᾳ; ὅταν γυμνάζῃ; ὅταν διαλέγῃ; οὐκ οἶδας ὅτι θεὸν τρέφεις; θεὸν γυμνάζεις; θεὸν περιφέρεις, τάλας, ἀγνοεῖς; δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν; ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτὸν, καὶ μολύνων οὐκ αἰσθάνῃ, ἀκαθάρτοις μὲν διανονήμασι, ῥυπαραῖς δὲ πράξεσι. dextrè accipe, quod naturæ diuinæ partē in homine vult eſſe: quem errorem Stoici errarunt cum pleriſque veterum ſapientum: cætera quàm diuina? Sed rurſus, *Quid eſt homo?* Senecæ verba ſunt ad Mar-

ciam: *imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum.* sed apud ipsum cætera legantur: est enim locus prolixior: cui & alij multorum scriptorum pulcherrimi possent adiungi, nisi breuitati esset consulendum. Spectat eodem sapientissimi Marci præceptum hoc: Cogita, inquit, continuo vniuersum æuum, & vniuersam rerum naturam: ac memento partes singulas (in his homo est,) ad istam esse vt vnum è ficus granis: ad illud, vt terebræ conuersionem. τοῦ ὅλου αἰῶνος, καὶ τῆς ὅλης οὐσίας συνεχῶς φαντασία. καὶ ὅτι πάντα τὰ κατὰ μέρος, ὡς μὲν πρὸς οὐσίαν κεγχραμίς. ὡς δὲ πρὸς χρόνον τρυπάνου περιστροφή. de corporis ac naturæ humanæ fragilitate verè ista: quid dicemus, si deprauationem animi spectemus? hoc nempe quod Chrysostomus: μάθωμεν, ait, τίνες ἐσμὲν, καὶ ἀρκεῖ τοῦτο εἰς ταπεινοφροσύνης ὑπόθεσιν. & est ita omnino: neque fieri potest, vt superbia vel arrogantia tumeat, cui fuerit aliquando curæ, hoc seriò cogitare, QVID SVMVS. Cum fructu hæc & similia his quæ solius naturæ ductum secuti scriptores οἱ ἔξωθεν ἀπεφθέγξαντο, contulerint studiosi cum iis quæ meliori luce illustrati patres facundissimè disputant: Ioannes præsertim Chrysostomus, & Magnus Basilius cùm alibi, tum integris aliquot in Sex dierum opus homiliis.

aut quidnam victuri gignimur.) Cohæret cum præcedenti quæstio hæc: nam vt ait Marcus Imperator qui nescit quidnam victurus sit genitus,

quid sit ipse ignorat. ὁ μὴ εἰδὼς, ait, πρὸς ὅ, τι πέφυκεν, οὐκ οἶδ' ὥς τις ἐστιν. de hoc extant multorum veterum sapientum sententiæ præclaræ: nam voluptuariorum gregem omittimus, etsi quis alius hominis appellatione vixit indignus. reliqui à vero non procul aberrarunt: & si alius alio propius feriit. Platonis sententiam habes in Gorgia & alibi. tergeminus Aristoteles ad duas res, intelligendum & agendum docuit homines esse natos: alij ad mundum contemplandum & imitandum: vt in II. De natura deorum M. Tullius. & de Pythagora atq. Anaxagora multi narrant. quidam generaliter, ad cognitionem rerum, vt Plutarchus in libello Περὶ τοῦ λάθε βιώσας. Stoici verò optimè: ad contemplanda atque enarranda Dei opera hominem productum esse in hunc mundum. Arrianus libro primo, capite sexto: Τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν ὁ Θεὸς αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ· καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. repetit idem & libro III. cap. XIV. Seneca Naturalium libro III. in præfatione: *Quid præcipuum in rebus humanis est? animo omne vidisse*, (hoc est quod Arrianus libro tertio dicit τὴν πανήγυριν ἱστορήσαντα ἀπελθεῖν) *& qua nulla est maior victoria, vitia domuisse*. paullò aliter idem Stoici dicere soliti: *hominem in adiutorium mutuum esse generatum*: quod scribit Seneca libro primo De ira, capite V. Marcus Imperator libro VI. cætera animalia rationalium caussa esse parata: vt semper in omnibus rebus, deteriora propter præstantiora: ratione verò prædita animalia, ad mutuam opem.

κατεσκεύασται τὰ μὲν λοιπὰ τῶν λογικῶν ἕνεκεν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ παντὸς ἄλλου, τὰ χείρω τῶν κρειττόνων ἕνεκεν, τὰ δὲ λογικὰ ἀλλήλων ἕνεκεν. & initio IX. atque in XI. idem repetit, ὅτι ἕνεκεν ἀλλήλων γεγόναμεν. principio autem libri quinti, locus est elegantissimus, ex quo vsus præcepti intelligitur ad vitæ emendationem: verbi gratia, eorum qui, vt initio satiræ est huius dictum, altum mane dormiunt, & serò euigilant: ὄρθρου, inquit, ὅταν δυσόκνως ἐξεγείρῃ, πρόχειρον ἔστω, ὅτι ἐπὶ ἀνθρώπου ἔργον ἐγείρομαι. τί οὖν δυσκολαίνω εἰ πορευόμαι ἐπὶ τὸ ποιεῖν ὧν ἕνεκα γέγονα, καὶ ὧν χάριν προῆγμαι εἰς τὸν κόσμον; eleganter Persius *quid victurus*, hoc est in vita acturus: quia viuere agere est, ait Plinius. in Consolatione Boëtij *asinum viuit*, pro facit quæ asini sunt.

ordo Quis datus.) Non malè interpreteris de ordine illo admirabili quo maioris minorísque mundi opifex suam illam πολυποικίλην sapientiam, potentiam, prouidentiam, & quid non? in rerum conditu spectandam nobis exhibuit. pleni sunt omnium sapientum libri encomiis eius ordinis, καὶ τῆς ἐν τῷ κόσμῳ εὐκοσμίας: quam tamen nemo mortalium percipiet vnquam ad plenum: sed aptius puto, vt capiamus de fato. nam ita passim *ordo*, aut *rerum ordo* est fatum: Seneca in libro Quare bonis viris mala accidant: *Caussa pendet ex caussa, priuata publica longus ordo rerum trahit.* Naturalium libro II. *Sic ordinem rerum fati æterna series rotat, cuius hæc prima lex est, stare decreto.* mox: *in illo fati ordine quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus fatum est vt*

nauiget. vbi *fati ordo* est illa ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων, quam Græci Stoici appellant vt Marcus libro x. eo loco quem paullò antè attulimus. ipse Chrysippus σύνταξιν nominauit, hoc est *ordinatam compositionem* in eius definitione quam habet A. Gellius libro VI. cap. II. hoc igitur modo auctoris nostri verba interpretabimur. *Disce ordo quis datus:* hoc est, disce fatorum certa lege omnia fieri, cui volens lubénsque acquiescit sapiens. Seneca epist. CVII. *Sic viuamus, sic loquamur: paratos nos inueniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit. At contrà ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult deos quàm se.* hoc est quod Græci dicunt συμπεραγκολουθεῖν τῇ διοικήσει τοῦ θεοῦ. *spectare & approbare Dei ordinem in administratione omnium rerum.* Lege diatribam Epicteti apud Arrianum quintã libri III. Possumus & alias interpretationes huius loci afferre: præbent enim multas ansas βιωφελῶν meditationum verba auctoris eruditissimi. quid enim si referamus ad vitam futuram? resurrectionem Stoici non plenè quidem, aut certa fide, neque firmis satis rationibus persuasi, sed tamen vtcunque crediderunt, aut veriùs somniarunt. Chrysippus in libris de prouidentia, cùm de innouatione mundi loqueretur hæc intulit teste Firmiano: τούτου οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον τὸ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα.

aut metæ quàm mollis flexus, & vnde.) aut quàm

breuis sit hæc vita, quámque in propinquo mors illi immineat, & quidem ex causſis sexcentis, *meta* est finis. *flectere metam*, vt Græci κάμπτειν τὸν νύσσαν. vnde κάμπτηρ ipsa meta dicitur. de spatiis vitæ solet hoc loquendi genus vsurpari: vnde *flexus ætatis* apud M. Tullium. *maturitas indeflexa*, in panegyrico Plinij. *flexus* autem *mollis* dicitur heic qui citò & rapidè peragitur. vnde in quinta *rapida vita* dicitur. hoc igitur ait: discendum esse & semper cogitandum, quàm fluxa sit hæc vita. nihil est quod sæpius occurrat in sapientum scriptis & poëtarum, hoc præcepto: sed hi, vt passim Horatius, ad voluptates ferè hoc argumento nos hortantur: illi ad facta præclara, & vitam ex virtute agendam, aut ad diligentiam in studiis honestarum disciplinarum, vt diuinus senex: ὁ μὲν βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρά. Marcus Imp. in IV. τὸ ὅλον βραχὺς ὁ βίος, κερδαντέον, τὸ παρὸν σὺν εὐλογιστίᾳ καὶ δίκῃ. Plinius Secundus in epistola qua Silij Italici mortem deflet: post grauem querimoniam de breuitate vitæ: *sed tantò magis*, inquit, *hoc quicquid est temporis futilis & caduci, si non datur factis: (nam horum materia in aliena manu:) nos certe studiis proferamus: & quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur.* Seneca epistola XCIX. *Respice celeritatem rapidissimi temporis: cogita breuitatem huius spatij, per quod citatissimi currimus.* idem libro III. De ira. *Poterimus autem purgare mentem, admitamur modo. Nec vlla res magis proderit quàm cogitatio mortalitatis. Quid tumultuamur & vitam*

studiosi conturbamus? Stat super caput fatum & pereuntes dies imputat, propiúsque ac propius accedit. Quin potius vitam breuem colligis, placidámque & tibi & cæteris præstas? Quin potius amabilem te dum viuis omnibus: desiderabilem cùm excesseris, reddis? Verè Hieronymus Cypriano: *Nihil ita decipit humanum genus quàm quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi seculi huius possessionem repromittunt. Ad hunc sensum pertinet & illud quod dicitur, Memento mortis tuæ & non peccabis.* idcirco dicebat regius psaltes: τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν μου ἀνάγγειλόν μοι. verùm scriptores sacros omittimus: apud quos obuiæ passim sunt huiusmodi admonitiones: nec minus frequentes in Marci Antonini libris. Sed sunt Persij codices in quibus *quà mollis flexus* scribitur, non *quàm*. hæc lectio si vera esset, *flexus metæ* valeret idem ac finis vltimi adeptio, & *quâ*, esset qua via, quo genere vitæ ad illum finem posset perueniri. probo verò editam lectionem, quam & in membranis inuenimus.

& vnde.) obscuriusculè dictum: neque vno modo est interpretari. vnde mors? nempe à natura: quia lex naturæ est, vt quicquid nascitur & denascatur. Marcus eleganter libro quarto: ὦ φύσις· ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα. rursus, vnde mors? persæpe vel tenuissima ex causa: quo argumento vtitur Seneca, vt aduersus maiora nos pericula confirmet, Naturalium lib. VI. capite II. *Vnguiculi nos*, ait, *& ne totius quidem dolor, sed aliqua à latere eius scissura conficit: & ego meam terras trementes, quem crassior saliua suffocat?*

Ego extimescam emotum sedibus suis mare, cùm quosdam strangulauerit potio malè lapsa per fauces? affinia his sunt in tertio libro, capite XXVII. *Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. Momento fit cinis: diu sylua. Magna tutela stant ac vigent omnia: citò ac repente dissiliunt. Quicquid ex hoc statu rerum natura flexerit, in exitium mortalium satis est.*

Quis modus argento.) nempe quærendo. modus autem ex Stoicorum doctrina is est optimus ac legitimus, qui naturæ conueniat. Natura autem facilis est & pauco contenta: hominum verò cupiditas fine caret. vide ad extremum satiræ sextæ.

Quid fas optare.) Adi ad superiorem satiram.

quid asper vtile nummus habet.) quæ vtilitas sit opum. diuitiarum autem omnis vtilitas est in vsu. quare is finis legitimus est eas parãdi, non vt in arcam obruantur, sed vt partis vtaris. *asper* epithetum est perpetuũ omnis rei signatæ, nam percussio & signi impressio aurum exasperant siue argentum. Virgilius,

Cymbiáque argento perfecta, atque aspera signis.

Iuuenalis,

Hic lauet argentum vasa aspera. ——

Claudianus,

Brontes innumeris exasperat ægida signis.

hæc asperitas maximè in recens signatis percipitur: nam posteà quæ exstant deteruntur. vnde factũ vt Græci qui asperos nũmos albere præ cæteris videbãt, ἄσπρους pro albo posuerint, cùm illam vocẽ fecerunt vsu suam. quod prẽter Glossas

veteres confirmãt libri vulgari Græcorum idiotismo scripti. vbi etiam ἀσπρότης pro candore, & ἀσπρίζειν pro dealbare legas. & Nathan quoque Iustus in Aruch אספרין exponit לבן albus vel album. sed videtur sub Græcorum imperio species certa monetæ ita propriè fuisse dicta: nam inde apud Turcas illorum ἐφέδρους, asprorum appellatio remansit. Glossæ, Ἀλωάριον λευκὸν, asprum. sic alios nummos à colore nigro vocarunt μελάσματα. In Aruch, מלוזמא מטבע *melasma pecunia.*

patriæ charísque propinquis Quantum elargiri deceat.) Respicit vulgatissimam Platonis gnomen, ex epistola nona, quæ etiam apud M. Tullium, & alios multos legitur: non nobis natos esse nos, sed primò patriæ, deinde parentibus, postremò & nobis. Lucilius,

Commoda præterea patriæ sibi prima putare
Deinde parentum, tertia iam postremáque nostra.
quem te Deus esse iussit.) Suprà:

Discite quid sumus: —— sed aliud est: nam ibi natura hominis proponebatur inquirenda: heic personæ qualitas. ibi inquam φύσεως περὶ agebatur: heic περὶ ἕξεως. Variè sumitur apud philosophos vox ἕξις. Aristotelis interpretes solent dicere illa κατ' ἕξιν differre, quæ aliter philosopho dicuntur diuersa esse πρὸς λόγον, vel πρὸς τί), hoc est proprietate quadam, & vt Barbari locuti sunt, essendi modo. sæpe verò ἕξις est relatio vnius ad alterum, cuiusmodi ἕξεσι circunscribuntur singulæ personæ. ita accipiunt Stoici, cùm docent, plerúnque officia πρὸς ἕξεσιν

παραμετρεῖσθαι. hoc est, dirigi huiusmodi conditionibus ac qualitatibus quæ sunt in quoque hominum. propter has dicimur ποιοὶ, vt loquitur Aristoteles: puta, ciues, patres, filij. sic intelligendum in primo Marci Augusti, τὰ κατὰ τὰς πρὸς τοὺς συμβιοῦντας σχέσεις καθήκοντα. hæc sunt officia quæ ex duobus extare scribit Seneca in secundo De beneficiis: quæ Epicteto apud Arrianum dicuntur libro II. partim φυσικαὶ partim ἐπίθετοι. σχέσεις ita accipe heic poëtæ verba: *quem te Deus esse iussit*: hoc est, ποίαις σχέσεσί σε περιέβαλε καὶ ἐνέδησε, φυσικαῖς τε καὶ ἐπιθέτοις. nam idem vult omnino cum sapientissimo Epicteto: cuius sunt verba in Enchiridio capite XXVIII. τὰ καθήκοντα ὡς ἐπίπαν ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖται. πατήρ ἐστιν; ὑπαγορεύεται, ἐπιμελεῖσθαι, παραχωρεῖν ἁπάντων, ἀνέχεσθαι λοιδορούντος, παίοντος. *Officia vt plurimum pro relationibus & qualitatibus personarum definiuntur. pater est? tacitè monetur filius vt curam eius habeat, cedat ei in omnibus, toleret conuitiantem, ferientem.* lege totum caput, & eruditissimum interpretem Simplicium: qui prolixè & accuratè totam hanc περὶ σχέσεων materiam tractat. Ita autem describit, & vocis rationem explicat: σχέσις ἐστὶ σύνταξίς τινων πρὸς ἄλληλα φυσικὴ ἢ προαιρετικὴ, ὁμοίων ἢ ἀνομοίων, ἡ μὲν συναγωγὸς ἡ δὲ διαστατικὴ μενούσης τῆς περιγραφῆς τῶν ἐν σχέσει ὄντων. μέση γὰρ ἡ σχέσις ἐστὶ τῶν ἐχόντων τὴν σχέσιν. τὸ ἔχεται ἀλλήλων κατὰ τὴν σχέσιν. vix hæc satis commodè Latinè dici possunt: postrema verò omnino haut possunt. sed hoc vult: σχέσιν (Stoici etiam σύνδεσιν vocabant, vt in III. Marci.) quam nos relationem dicimus, esse mu-

tuam quorundam coordinationem à natura aut à voluntate: similium, aut dissimilium: illorum vt coniungantur: horum vt separentur: manẽte persona eorum inter quos est relatio. quippe relatio media est inter relatione iunctos: vnde & σχέσις dicta, per quam relati ἔχονται ἀλλήλων, id est, inter se coniunguntur. Atque huc maximè pertinet illa diatriba Epicteti in secundo Arriani, qua viam ostendit officia inuestigandi ex ipsis nominibus. putà, ex eo quod PATER dicaris, ex eo quod MARITVS, quod FILIVS, quod CIVIS: & ita de cæteris nominibus. Etsi autem relatio hæc non solùm iungit, sed etiam disparat relatos: nam & hostis communem habet cum hoste relationem: actor cum reo: quæ dicitur σχέσις ἀνομοίων Simplicio: tamen ab eo quod potius est ac melius, σχέσις ponitur & ἀντὶ συμπαθείας, & pro beneuolentiæ affectu, ac mutuo rerum vinculo. Gregorius Naz. in II. de theologia: τίς ἡ τῆς φύσεως ὁλκὴ καὶ πρὸς ἄλληλα σχέσις τοῖς γεννῶσι καὶ τοῖς γεννομένοις, ἵνα τῷ φίλτρῳ συνέχηται. Chrysostomus in eam ad Thessalonicenses homilia x. caussam reddens cur Deus hunc ordinem in natura instituerit, vt patres liberos gignerent, nec per se quisque nasceretur. εἰ γὰρ, inquit, ἁπλῶς ἔμελλον οἱ ἄνθρωποι γίνεσθαι, οὐδεὶς ἂν πρὸς οὐδένα σχέσιν ἔσχεν· εἰ γὰρ νῦν πατέρων ὄντων καὶ παίδων τὸ ἐκγόνων, πολλοὶ πολλῶν (malim παίδων vel πατέρων: vt ab vno ἀστοργίας exemplo omnia intelligantur:) οὐ φροντίζουσι, πολλῷ μᾶλλον τότε. manifestò σχέσιν ponit pro affectu σχέσεως, amore & beneuolentia.

pro

pro arctissima coniunctione & affinitate solet ea vox vsurpari. vt de vinculis animi ac corporis Olympiodorus in Platonis Phædonem: ὁ θάνατος τῶν πρὸς ἄλληλα σχέσιων σώματός τε καὶ ψυχῆς ἐστι διακοπτικός. sic ait Chrysostomus in eam ad Hebræos homilia XVI. dici Deum habitare in cœlis, non quasi loco aliquo includeretur, aut quasi terras sua præsentia destituisset: ἀλλὰ τῇ σχέσι καὶ τῇ οἰκειώσει πρὸς τοὺς ἀγγέλους. vbi σχέσιν & οἰκείωσιν iunxit penè ἐκ παραλλήλου. nam σχετικῶς interpretatur Hesychius οἰκειωτικῶς. ita Olympiodorus in Phædonem ait τὰς φιλοσωμάτους ψυχὰς ἔτι σχετικῶς συνῆφθαι τῷ σώματι κατὰ τὴν ἡμίσχετον σχέσιν. qua de re vide ad sat. v. non multò aliter hanc vocem acceperunt illi Græci, qui exorta in Ecclesia Dei graui super imaginum cultu controuersia, pronuntiarunt ὅτι σχετικῶς δεῖ αὐτὰς προσκυνεῖν. quod genus loquēdi prioribus patribus incognitum penitus atque inauditum, (quod quidem ex illorum scriptis constat nobis:) si vitam Deus produxerit, alibi adfatim exponemus. Obserua diuinam vocem, *Deus iussit* non Dij. nam ita passim Seneca, Marcus Antoninus & Arrianus, atque alij è Porticu doctores. qui etsi loquebantur cum vulgo, & sæpe deos deorúmque nomina in ore habebant: in explicandis tamen suæ scholæ decretis, Deum vnum prodebant caussam efficientem huius vniuersi: sicut notū est è M. Tullio, Seneca, Laërtio in Zenone, atque aliis. Lege Lactantium lib. I. cap. v. iidem etiam Λόγον vocabant: de quo Athenagoras in Apologia.

& humana qua parte locatus es in re.) *humana res est* vniuersi humani generis societas: adhuc igitur περὶ σχέσεων loquitur. nam homo quatenus homo est habet σχέσιν & naturalem coniunctionē cum omnibus hominib. sed illud generale officium astringitur, posteà aliis, vt dicam cum Stoicis, oribus minoribus: qui eò expressius intelliguntur quo patent angustius. inde est quod priuatas charitates plures curant quàm publicam ciuitatis aut regni vtilitatē: nam ad vniuersum mundum cogitationes suas referre, quàm pauci sunt quibus vel solùm in mentem vnquam venerit? Stoici verò corrigendi erroris huius gratia, vnde multa in vitam peccata manarent, soliti suos non tantùm ad vniuersæ humanæ rei, vt heic Persius, contemplationem hortari: sed etiam ad totius rerum vniuersitatis. quippe omne hoc vnum esse, cuius pars imò membrum homines sunt: singulas autem ciuitates esse quasi totidem vniuersi domos. quicquid instituerent homines, aut quicquid illis vsu veniret, in eius æstimatione oculos semper venire ad vniuersitatis considerationem erigi: ex qua cogitatione illum fructum perciperent, vt nihil agerent quod cuiquā mortalium noceret: nihil iniquo ferrent animo, quod magnus ille mūdi rector decreuisset: certi, omnia sic ab eo administrari, quomodo ad vniuersitatis salutem expediat: nihil porrò vniuerso mundo expedire, quod priuatim singulis non sit conducibile. Iure igitur Marcus Antoninus, libro tertio scribit. nihil adeò ad ma-

gnanimitatem valere, quàm si norimus casus vitæ huius rectè æstimare: quod ita explicat ex superiore doctrina: οὐδὲν οὕτως μεγαλοφροσύνης ποιητικὸν, ὡς τὸ ἐγέγχειν ὁδῷ καὶ ἀληθείᾳ ἕκαστον τῶν τῷ βίῳ ὑποπιπτόντων δύνασθαι. καὶ τὸ ἀεὶ οὕτως εἰς αὐτὰ ὁρᾶν ὥστε συνεπιβάλλειν, ὁποίῳ τινὶ τῷ κόσμῳ ὁποίαν τινὰ τοῦτο χρείαν παρεχόμενον, τίνα μὲν ἔχει ἀξίαν ὡς πρὸς τὸ ὅλον, τίνα δὲ ὡς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, πολίτην ὄντα πόλεως τῆς ἀνωτάτης, ἧς αἱ λοιπαὶ πόλεις ὥσπερ οἰκίαι εἰσι. idem libro III. μέμνησαι ὅτι συγγενὲς πᾶν τὸ λογικόν· καὶ ὅτι κήδεσθαι μὲν πάντων ἀνθρώπων κατὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν ἐστι. heic tantùm meminit coniunctionis quæ ratione prædita inuicem astringit omnia. λογικῶν autem appellatione Deum atq. dæmonas simul cum hominibus intelligunt. sæpius alibi idem nexum & coniunctionem cum vniuerso mundo inculcat. vt initio secundi, δεῖ δὲ ἤδη ποτε αἴσθεσθαι τίνος κόσμου μέρος εἶ, καὶ τίνος διοικοῦντος τὸν κόσμον ἀπόρροια ὑπέστης. libro decimo, εἴτε ἄτομοι εἴτε φύσεις, πρῶτον κείσθω ὅτι μέρος εἰμὶ τοῦ ὅλου ὑπὸ φύσεως διοικουμένου. ἔπειτα ὅτι ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη. deinde subiicit fructum persuasionis huius, quod simus pars, vniuersi duplicem: prior est, animus æquus aduersus omnes casus. τούτου γὰρ μεμνημένος, ait, καθότι μὲν μέρος εἰμὶ οὐδὲν δυσαρεστήσω τῶν ἐκ τοῦ ὅλου ἀπονεμομένων· οὐδὲν γὰρ βλαβερὸν τῷ γένει ὃ ὦ ὅλῳ συμφέρει· οὐ γὰρ ἔχει τι τὸ ὅλον ὃ μὴ σύμφερον ἑαυτῷ. πασῶν μὲν φύσεων κοινὸν ἐχουσῶν τοῦτο τῆς δὲ τοῦ κόσμου προσειληφυίας, τὸ μηδὲ ὑπό τινος ἔξωθεν αἰτίας ἀναγκάζεσθαι βλαβερόν τι ἑαυτῇ γενέσθαι. posterior fructus sequitur, amor proximi, & omnes iuuandi studium: καθόσον δὲ ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη,

οὐδὲν πράξω ἀκοινώνητον. μᾶλλον δὲ στοχάσομαι τῶν ὁμογενῶν, καὶ πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον πᾶσαν ὁρμὴν ἐμαυτοῦ ἄξω, τὸ ἀπὸ τοιαύτου ἀνάξω. Atque heic quidem partem, id est μέρος vniuersitatis rerum esse hominem dicit Marcus: sed alibi corrigit eam locutionem: & μέλος potius, id est membrum dicendum esse ostendit: neque in eo parum esse momenti. locus est in libro VII. quem vide. Simillimè Seneca epistola XCV. *Omne hoc quod vides, quo diuina atque humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus corporis magni.* & cætera quæ superius attulimus. Similia sunt huic Stoicorum doctrinæ, quæ docet excellentissimus philosophus Moses Maimonis filius, libro tertio Doctoris dubiorum cap. IIII. neque verò ex ea solùm disputatione, sed & ex aliis locis, Stoicæ philosophiæ non fuisse illum imperitum cognoscimus.

locatus.) velut in statione positus, quam curare debemus, nec deserere nisi iussu imperatoris Dei. variè Græci Stoici hoc expresserunt. vt plurimũ verbo τάττεσθαι. quod verbi in eam rem positum est apud Platonem in Apologia. Antoninus lib. XI. οὐ δέχῃ τὸ νῦν τῇ τῶν ὅλων φύσει εὔκαιρον, ἄνθρωπος τετογμένος πρὸς τὸ γενέσθαι δι' ὅτου δὴ τὸ κοινῇ συμφέρον. Arrianus lib. I. cap. IX. ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην χώραν εἰς ἣν ἐκεῖνος ὑμᾶς ἔταξεν. interdum verbis aliis vsi: nam ab eadem mente sunt illa apud Marcum Antoninum συγκληροῦσθαι τοῖς πράγμασι: & συγκλώθεσθαι εἰς ἓν νῆμα: quib. & lex fatorum simul exprimitur.

Disce: nec inuideas quod multa fidelia putet In

loc.p.) Disce inquam istiusmodi & decreta & præcepta philosophiæ: neque eos imiteris qui summum bonum in diuitiis ponunt.

nec inuideas.) inuidia est dolor quod alius bono fruatur quo, inuidens caret. hoc vult poëta: noli putare ea bona quæ vulgò tanta contentione quæruntur, esse vera bona. illa igitur ne optes, neque doleas si vberior copia horum bonorum alij sit potius quàm tibi.

quod multa fidelia putet In locuplete penu defensis pinguibus Vmbris.) Ex omnibus ciuibus Romanis qui literas didicerant, soli ferè erant oratores qui rem facerent: medici enim, Græci ferè erant. quare Stoicus hic discipulos suos alloquens, meritò à causidicorum potissimum exemplo eos conatur diuertere: non quod professionem illam Stoici damnarent: sed quia illa congerendarum opum auiditas, aliena erat philosophiæ. *fidelia* vas vinarium est: causidicis autem solitæ donari lagenæ vini, & salsamenta, atque eiusmodi tenuia munuscula. Iuuenalis:

Quod vocis pretium? ficcus petasunculus & vas
Pelamydum: aut veteres Maurorum epimenia bulbi:
Aut vinum Tiberi denectum quinque lagenæ.

eiusmodi sunt munuscula quorũ meminit heic Persius, fidelia vini, piper, pernæ, & orca mænæ. cuius cibi summa erat vilitas, vt ex Athenæo & Lucilij versibus apud Nonium, & secundo De finibus Ciceronis constat. itaque duo simul heic agit satiricus noster: nam & patronorum auaritiam in captandis domis contra legem Cinciam,

notat: & eorum illiberalitatem perstringit qui talibus muneribus illos donarent: de quo plura Iuuenalis illo loco satiræ VII.

Mænáque quod prima nondum defecerit orca.) Orca est ὕρχη, quæ similiter Græci ad salsamenta vtebantur. Suidas: ὕρχας, κεράμια ἀγγεῖα ὑποδεκτικὰ ταρίχων δύο ὠτία ἔχοντα. ferè tamen salsamentorum vasa & Græci & veteres Latini, *ceramia* dixerunt. *prima orca*, vel verè prima, cùm plures datæ fuerint à clientibus: vel, pro parte prima ac superiore orcæ. idem vtriusque interpretationis est sensus: tantam eiusmodi munerum copiam solitos patronos accipere, vt orcas integras illatas perdiu seruent.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum Dicat.) Hactenus hic doctor ita suos discipulos ad philosophiæ studia incitauit, tanquam apud omnes constaret de illius præstantia & ad beatam vitam necessitate: nunc memor Romæ se hæc dicere & iuuenibus Romanis, quorum aures eorum vocibus quotidie personabant, qui philosophiæ studium irridebant, & à morib. Romanis alienũ dictitabant: ad istos orationem conuertit, & vitã ipsórum, ob illud ipsum quod philosophiam aspernentur vitiis omnib. esse obnoxiam probat: atque ita efficit, ne quid ponderis apud discipulos suos horum voces habeant. Primùm igitur vnum aliquem istorum inducit agrestium & opicorum, qui ad studia rei militaris, nõ philosophiæ, Romanos se applicare debere iactitabant. hic totis nouem continuis versibus eos repre-

hendit ac ridet qui doctorib. ſapientiæ operam nauabant: deinde ſequentibus duobus verſibus oſtenditur, hoc vulgi Romanorum, & plerorúmque omnium eſſe iudicium, hanc de philoſophia ſententiam.

de gente hircoſa centurionum.) de numero eorum qui cultus neglectu gloriam virorum fortium & militarium aſſectant. *centuriones* appellat, viros militares: *hircoſam gentem* nominat, illuuiem eorum & δυσχέρειαν notans: quoniam qui centurionatus tribunatus & alios militares locos ambiebant, ita Romæ viuebant. Iuuenalis ſatira XIV.

— *vitem poſce libello:*
Sed caput intactum buxo, naréſque piloſas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.

idem poëta alibi,

Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittant atrocem animum. ——

ex his apparet cur *hircoſam gentem* iſtos appellet Perſius: nam grandes alas hircus ſolet comitari: vt & omnis imbalnitiei & ἀκοισίας comes ſemper erat δυσωδία. neque reſtringi debet vox *hircoſa* ad hirci fœtorem, verùm pro quouis alio odore tetro ex ea quam diximus cauſſa γενικῶς accipiendum. ſic γεράσωνα Græci dicunt, non eum ſolùm qui γεράσον id eſt hircum oleat: ſed quemuis δυσχερῆ, vt appellat Theophraſtus in Characteribus: vbi plura de his ſcripſimus. Simillimè in quinta oſores philoſophiæ vocat *varicoſos centuriones.*

quod sapio satis est mihi : non ego curo Esse quod Arcesilas ærumnosiq Solones.) Hæ sunt voces vulgi Romæ : Sperne mores exoticos, & transmarinã sapientiam : ciue Romano nemo viuit in orbe melius. *ærumnosi* autem *Solones*, propter indefessa philosophantium studia & continuas vigilias : non propter exilium & alia mala quæ olim passus Solo.

Obstipo capite.) accuratè hic irrisor gestum exprimit hominis meditantis. *stipare* est στείβειν. propriè verbum est fullonum, qui pedum motitatione pannos condensant, & firmiores efficiunt, inde caput obstipum, cuius ceruix rigida est & obstipa, vt loquitur Suetonius in Tiberio. ita autem incedunt rigido atq. immoto collo, partim superbi homines, vt eo loco Tiberius : partim attoniti, vel qui toti sunt in alicuius rei contemplatione, vt heic notatur.

& figentes lumine terram.) oculos demittere modestæ ac studiosæ iuuentutis signum. ita enim à pædagogis instituebantur. Plutarchus, τοὺς παῖδας διδάσκουσιν οἱ παιδαγωγοὶ κεκυφότας ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν. adeò quidem, vt ne ad salutandos quidem obuios caput illius surrigere liceret. Lucianus Amoribus, de ephebo cum cura educato loquẽs: ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται, κάτω κεκυφὼς, καὶ μηδένα τῶν ἀπαντώντων ἐξ ἐναντίου προσβλέπων. qui autem attentius aliquid cogitant, oculorum pupillas solent tenere immotas. Philo Iudæus, ἐν ᾧ λογίζεσθαι ἢ σκοπεῖν τι πεπήγασιν αἱ κόραι τρόπον τινὰ συνοῦσαι fiunt enim similes ἐκστατικοῖς. proprium autem ec-

ſtaſi, ſopire ſenſus, & vſum eorum adimere. quia igitur oculos deiiciunt, & tenent immotos, ideò qui meditantur terram cernere dicuntur. Plato in Alcibiade poſter. φαίνῃ γέ τι ἐσκυθρωπακέναι τε καὶ εἰς γῆν βλέπειν, ὥς τι συννοούμενος. ergo etiam iſte ait philoſophos terram acriter intueri: nam hoc eſt *figere lumine terram*, Horatio, Perſio, Statio, aliis. ἀντὶ τοῦ defixa humi lumina tenere: vel figere in terram lumina. ita enim loquuntur. Auguſtinus epiſtola CIX. *Oculi veſtri etſi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem.*

Murmura cùm ſecum & rabioſa ſilentia rodunt.) Solent multi inter meditandum cogitationem murmure agitare, vt ait Quintilianus lib. X. cap. tertio. Ariſtænetus libro ſecundo de cauſſidico meditante, τὰ ἄττα δήπου πρὸς ἑαυτὸν ψιθυρίζει. ſilentium autem familiare iis qui in ſtudiis ſeriò verſantur: ideò Aretæus De tardis morbis, cap. VI. depingens hominis ſtudioſi vitam, non prætermiſit hanc notam: τοῖς δε, ait, τηκεδὼν μὲν τοῦ σκήνεος, ἄχροοι τὰ ἐν νεότητι γηραλέοι, καὶ ὑπ' ἐννοίης κοφοί. ita ſcribendum, non vt editum eſt κοῦφοι. ideò autem *rabioſa*, quia de plebe aliquis meditantem cernens, & eius geſtus qui heic notantur, furioſum putabit: vt inter rabidi canis notas ponitur medicis, quod nullos latratus edat.

Atque exporrecto trutinantur verba labello.) ita fit murmur, labiorum motitatione. Ariſtænetus ibidem, ἠρέμα τὼ χεῖλε κινεῖ.

Aegroti veteris meditantes ſomnia.) Sani homines ſunt εὐόνειροι: turbato corporis ſtatu, turban-

tur & somnia: quod & medicis inter signa morbi imminentis numeratur.

gigni De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reuerti.) physicorum axioma vulgatissimum. Marcus quoque Imperator libro quarto: οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχεται, ὥσπερ, μηδὲ εἰς τὸ οὐκ ὂν ἀπέρχεται.

Hoc est quod palles?) Seneca epistola XLVIII. de puerilibus logicorum ineptiis, *hoc est quod tristes docemus & pallidi?* adeò quidem pallere soliti philosophi, vt ἐνερόχρωτες, quasi non multum à mortuis differrent, vulgò dicerentur. Alciphron epistola tertia, ἤκουσα ἑνὸς τῶν ἐν τῇ Ποικίλῃ διατριβόντων ἀνυποδήτων, καὶ ἐνερόχρωτος στιχίδιον ἀποφθεγγομένου apud Saresberiensem legitur *Hoc est cur pallet.* minus eleganter & perperam.

cur quis non prandeat hoc est.) quod quia contra communem Romanorum consuetudinem, ideò notati qui facerent.

His populus ridet.) Ita rectè veteres. *ridet* pro arridet, assentitur, & plaudit. vnus est qui conuitium philosopho faciat: sed huius petulantiam omnes qui adstant voce gestúque comprobant.

multúmque torosa iuuentus.) iuuentus militiæ dedita, & hircosa gens centurionum. nam de iisdem accipiendum.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.) ita vehementer irridet ac cachinnatur, vt totum corpus concutiat, & nasum in rugas contrahat. vnde *rugosa sanna* satira v.

Inspice nescio quid trepidat mihi pectus.) Nunc

respondet doctor Stoicus isti philosophiæ vituperatori. Summa responsionis est: qui alieno sunt animo à sapientiæ studio similes esse iis qui morbo laborant, & medicum respuunt. quare vt illi neglecta medici curatione intereunt: sic isti dum philosophiam, quæ animorum medicina est, aspernantur, in vitia præcipites ruunt, quæ ipsos malè tandem perdant. Hoc volunt nouemdecim qui sequuntur versus. Sed auctoris mentem obscurat comparationis quam diximus omissa penitus pars altera: solam enim protasim posuit, apodosim reliquit auditori supplẽdam: quod quidem eo est facilius, quia morbi appellatio communis est corporis, animíque vitiis, vt antè dicebamus.

Ægris Faucibus exsuperat grauis halitus.) ἐρυγὴ: vide mox. pro *exsuperat*, alij libri *exsudat*: plerique veteres *exuberat*. rectissimum est *exsuperat*: nam ructus è ventriculo sursum ascendunt: quod Græci dicunt ἀναδίδοσθαι & ἀνάδοσιν.

iussus.) διαπαχθείς. malè alij libri *visus*. medicorum voces διαπάσσειν & συμπάσσειν: quod verbum à medicis acceptum eleganter aliò transfert Marcus Antoninus lib. III.

requiescere.) Seneca De ira lib. III. *Initia morborum quies curat.*

compositas venas.) κατὰ φύσιν ἐχούσας. ita sæpe *compositum* dicitur quod conuenienter naturæ se habet. *currere* autem venas dixit, vsum loquendi secutus vulgi etiam medicorum. arterias enim intelligit, quæ non currunt, sed σφύσιν & pulsu

ἐπισημαίνουσιν ac dant significationem bonæ malæve valetudinis.

De maiore domo modicè sit.) Duo peccat contra valetudinem, quod balneis vtitur: quod vinum bibit. in vtroque genere ægrorum intemperantiam passim medici veteres accusant. & Plutarchus periisse multos scribit, tantùm propter lauationem intempestiuam, cùm leuiter ægrotantes capere cibum non sustinerent illoti. Locus est in Salubribus præceptis.

modicè sitiente lagena.) ἐπιεικῶς μεγάλῃ, μετρίᾳ. parcè enim exquisita vina largiebantur. Iuuenalis in v.

Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.

Lenia loturo sibi Surrentina rogauit.) *Surrentina lenia* sunt quæ potui fecit apta longa dies: nam post annum demum xxv. incipiebat bibi vinum Surrentinum: tunc autem inter præcipua censebatur, & conualescentibus accommodum. Plinius & Græci medici.

Heus bone tu palles.) Medici verba ad ægrum, qui eius consilium & oblatam medicinam respuit.

surgit tacitè tibi lutea pellis.) pallida cutis. luteus color, pallidus, & albus passim confunduntur. apud Horatium, *luteus pallor.* & *albus pallor.* & mox Persius *timor albus.* Homines autem è morbo pallidos per iocum appellabant Græci πυξίνους, & τοῦ χρυσοῦ γένους, vt refert Eustathius: facta videlicet allusione ad prouerbium, quod de insignis bonitatis viris vsurpabant: λείψανα enim

τοῦ χρυσοῦ γένους vocabant.

Iampridem hunc sepeli : tu restas.) Tangit insolentiam iuuentutis deprauatæ, quæ bene monentibus adeò gratiam non refert meritam : vt sæpe malum minitetur. Pistoclerus in Bacchidibus apud Plautum :

Omitte Lyde atque caue malo.
Iam cessit mihi ætas ex magisterio tuo.
Fiam, vt ego opinor Hercules, tu autem Linus.

Turgidus hic epulis.) Pœna luxuriæ & ganeæ, morbi, ac mors sæpe præsens. eadem sententia apud Iuuenalem in prima : vbi videtur hunc locum imitatus.

Pœna tamen præsens cùm tu deponis amictus
Turgidus & crudum pauonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.

Martialis libro XII.

Mullorum leporúmque & suminis exitus hic est,
Sulfureúsque color, carnificésque pedes.

atque albo ventre.) albus aut albidus color propius otio marcentis & voluptatibus diffluentis. Dio Chrysostomus in IV. de regno. λευκὸς ἰδεῖν, ἐντρυφερὸς, αἰθρίας καὶ πόνων ἄπειρος. in LXII. ὑπὸ ἀργίας καὶ σκιᾶς λευκός. Horatius :

--pinguem vitiis albúmque.--

Sulpicia in satira,

Non trabe sed tergo prolapsus, & ingluuie albus.

sic accipe illud Senecæ in principio De breuitate vitæ : *Quammulti continuis voluptatibus pallent? Gutture sulphureas lente exhalante mephites.*) vt modò,

——— *ægris*

Faucibus exsuperat grauis habitus.——

& sæpe apud Ioannem Chrysostomum in παλιγγενεσίας descriptione, ἐρεύγεται δυσωδίας. quam grauem olentiam *sulphureas mephites* poëta vocat. Hieronymus aduersus Iouinianum: *pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum.* planè id expressit, quod vult heic Persius. Seneca epistola xcv. *quam fœdi atque pestilentes ructus sunt, quantum fastidium sui, exhalantibus crapulam veterem? Scias putrescere sumta, non concoqui.* idem Naturalium lib. v. *In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non sine narium iniuria emittitur, & ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius.*

Sed tremor inter vina subit.) læsis neruis, vt antè dicebamus. Seneca ibidem: *Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. inde pallor & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex eruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & semper quasi in ebrietate titubatio.* lege totum locum, qui eximius & facundia Senecæ dignus.

calidúmque triental Excutit è manibus.) Secuti sumus lectionem codicis Puteani: quam etiam vetera scholia agnoscunt. alij libri *trientem* scribunt: quam scripturam cur huic prætulerint, causſam non video. nam triens est vini mensura: quomodo sæpe occurrit apud Martialem. & apud Suetonium bibere sextantem: & similia passim. at hoc loco poculum ipsum necessariò intelligendum. quare igitur triental non dicetur

poculum trientis capax? Simili forma quadrantal vas aliud appellarunt, etsi non ab eadem ratione: erat enim vas amplitudinis maximæ.

dentes crepuere retecti.) exesis gingiuis. *crepuere* autem ob tremorem capitis, & laxa labra, vt subiicit, hoc est, ob corporis totius compagem solutam. perperam hæc referunt quidam ad signa mortis: nam adhuc sermo est de morbis & afflicta valetudine temulentorum. iidem cùm ex medicorum libris Persium subtili παρεμφάσει tentant illustrare, non aliud consequuntur, quàm vt mentem auctoris non vidisse se palàm faciãt, quod voluimus semel dictum: nam in singulis immorari & aliorum errores ostendere, per mores nostros & vitæ propositum nobis non licet. Sed in lineam redeamus.

vncta pulmentaria.) cibos illos lautos & delicatos. sic in Pseudolo Plauti,

——*pulmento vtor magis vnctiusculo.*

apud Catonem, *vncta brassica. vncta patella*, satira sequente: & alibi, *cœnare sine vncto.* itemque,

Vngue puer cáules. ——

Hinc tuba, candelæ.) Morbum ex intemperantia natum sequitur mors: quam indicat descriptione funeris. describit autem ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. nam tuba ad ἐκφορὰν spectat. prius autem quàm efferrentur humi deponebantur, lecto vbi animam egerant extracti, deinde lauabantur, vnguebantur, componebantur, lecto ferali aptabantur: tum autem collocati in vestibulo per aliquot dies complorabantur, næniam dicé-

tibus amicis & præficis cum iis ad quos funus pertinebat: postremò efferebantur. qui omnes funerum ritus itémque alij, toties iam obseruati, adeóque illustrati eruditissimorum hominum diligentia, vt in iis velle heic immorari, superuacuum sit ac plane φορτικῆς λογοδαιδαλίας. Qui ante nos hunc poëtam tractarunt, si πολυπραγμοσύνην suam iudicij maturioris sale condiissent, honori suo melius cõsuluissent. quàm multa enim peccant? vt cùm tubam propriam funeri publico faciunt: cùm ex candelarum mentione funus acerbum heic describi coniectant: quo quid absurdius? nam poëta de viro loquitur, qui in vino & aliis voluptatibus diu se volutauerit, perpetuus philosophiæ osor & contemtor: non de infante aut puero vel adolescente: cuius peccata ætas meritò excusauerit. ipse Persius de quo hominum genere hæc sint accipienda, declarat manifestò versu illo, quem sermonis huius initio posuit:

Heic aliquis de gente hircosa centurionum.

an igitur virorum militarium acerba sunt funera? deinde illa distinctio terei & funalis, etsi manos viros auctores habet, falsò tamen adhibetur ad discrimen statuendum inter acerba funera & alia. loci Senecæ quos in eam rem afferunt, aliter accipi debent, neque in eam sententiam torquendi sunt. mortuis autem & dum in vestibulo positi erant, & cùm efferrentur ignis aderat: iidem in conditoriis etiam suas lucernas habuerunt, ac luminibus variè soliti honorari:

rari: quos omnes ritus candelæ appellatione innuit heic Persius. Iam quod illa verba,

——*tandémque beatulus alto*
Compositus lecto.—— ad mortem collocandi mortuos referunt, ne rudioribus imponant cautio est. quid? προθεσιν νεκρου & πρόθεσις illis videtur idem esse? hoc nemo eis concesserit, qui vel ἀκριβῶς Græcam & Romanam antiquitatem degustarit. προτιθέναι Græci, Latini *componere* mortuum dicebant, cùm eius cadauer, probe lotum, atq. vnctum linteis inuoluebãt, quod ἐντυλίσσειν tres Euangelistæ dixerunt, Artemidorus ἐσταμένοις ῥάκεσιν ἐνειλεῖν, & corollas cæteráque ornamenta illi adiiciebant, quibus vetus superstitio mortuos suos variè adornauit. ita compositi atque ornati lecto ferali aptabantur: quod heic poëta *componi in lecto* dixit. Ouidius in IX. Metamorphoseon:

——*peream precor ipsa toróque*
Mortua componar.——

sæpè autem apud Græcos & Latinos verbis προτιθέναι & *componere* totus apparatus funebris & funus vniuersum intelliguntur. Horatius, *omnes compositi*. sed propriè προτιθέναι & *componere* id significant quod diximus. quare Proclus in Phædonem Platonis, vbi explicat quid omnes hi mores συμβολικῶς denotarint, compositionem, cum fasciis mortui inuoluebantur, ait designare expeditam ad superos profectionem. τὸ εὐζώνους ἀναθεῖν, inquit, σύμβολον τὸ προτίθεσθαι. Sequebatur ἡ πρόθεσις, collocatio mortui, quæ

etiam hodie, etsi alio fine, pleriſque eſt in vſu: adeò diuerſus à ſuperiore mos, vt nullum ſit dubium multos fuiſſe compoſitos, qui non collocarentur ad planctum in atrio domus: vt de Acilio Scæuola videtur poſſe affirmari ex Valerij Maximi libro primo, capite nono: itémque de infantibus, & aliis quorum erant acerba funera: quæ feſtinatione exequiarum ſubtrahere oculis, à maioribus inſtitutum ait in edicto ſuo Nero apud Tacitum libro XIII. non igitur ferendus error cùm in loco Lyſiæ περιτιθέναι vertunt *componere*. Latini poëtæ *ponere* & *deponere* ea notitione frequenter vſurpant: *componere* nemo vnquam. apud veterem interpretem *exponi* valet περιτιθέναι iſto loco.

alto lecto.) Ad librum II. Suetonij obſeruabamus humiles lectos fuiſſe tenuiorum: cùm ditiorum lecti ſublimes eſſent, & in altum exagerati. idem ſeruatum in funere.

craſſiſque lutatus amomis.) ita Græci μύρον παχὺ ſolent commendare. *pingue amomum* Statius.

Iú portam rigidos calces extendit.) Tangit morem περιθέσεως, ſiue collocationis. Notabunt ſtudioſi ἀκωρολογίαν, cuius aliud exemplum non memini: nam *porta* Latinis eſt vrbis: heic verò eſt ianua domus. ad oſtium enim domus admouebatur cadauer verſis in portam pedibus. Mos eſt antiquiſſimus: quem è tenebris princeps eruit Ioſephus Scaliger in omni doctrinæ genere vir eminentiſſimus, Notis ſuis ad Feſtum. multa etiam ſuper hoc more Iuſtus Lipſius in Electis

ſuis eruditè obſeruauit. Homeri locus de Patroclo,

Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος, --

eſt Ιλιαδ. τ. ſiue libro XIX. non in VII. vt quidam ſcribunt nõ ſemel. Explicat hunc morem etiam Heſychius, afferens ex poëta neſcio quo verba iſta, δι' ἐκ θυρῶν. ſic autem ille, τοὺς νεκροὺς οὕτω φασὶν ἐδράζεσθαι ἔξω τοὺς ποδὰς ἔχοντας πρὸς τὰς αὐλίους θύρας. apud Platonem in XII. Legum προθέσεων iſtarum multa mentio: vbi interpretes eam vocem non intellexerunt. locum vnicum adſcribam, de legitimo ſpatio exponendi mortuos qui locus peſſimè ab eruditis hominibus eſt acceptus: quod & doctiſſimus vir Henricus Stephanus ex parte vidit. ſic ille: τὰς δὲ προθέσεις πρότερον μὲν μὴ μακρότερον χρόνον ἔνδον γίγνεσθαι τοῦ δηλοῦντος τόν τε ἐκτεθνεῶτα (ſcrib. οὐ τεθνεῶτα) καὶ τὸν ὄντως τεθνηκότα. εἴη δ' ἂν σχεδὸν ὡς τ' ἀνθρώπινα, μέτρον ἔχουσα, τριταία πρὸς τὸ μνῆμα ἐκφορά. id eſt: *Quod ad mortuorum collocationes primum illud ſtatuendum eſt, ne longiore temporis ſpatio intus fiant, quàm quo declaretur veréne ſit aliquis mortuus, annon. legitimum igitur ſpatium, vt fere ſunt res humanæ, fuerit, ſi tertio die ad monumentum mortuus efferatur*. Hanc legem ſancit Plato in Rep. à ſe inſtituta. Athenis verò numerum hunc variè fuiſſe obſeruatũ ad Theophraſtum notare meminimus. cauſſam προθέσεως etiã Pollux eandẽ ſtatuit cum Platone: ſed fuit etiam alia: nam poſito corpori domeſtici & familiares lamentando leſſum faciebant. Aſconius in eam pro Milone: *perlatum eſt corpus Clodij ante primam*

noctis horam : infimæq; plebis & seruorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Alludit huc Gregorius Nazianzenus in illa diuina oratione De amore pauperum, cùm scribit καὶ μήτηρ μέμνηται τῶν ὠδίνων, καὶ τὰ σπλάγχνα, σπαράσσεται, καὶ ἀνακαλεῖται λίαν ἐλεεινῶς, καὶ προθεῖσα θρηνεῖ καθάπερ τεθνηκότα, τὸν ζῶντα. Caue confundas προθέσεως morem cum alio, cuius antè mentionem fecimus : cùm cadauera humi ponebant. Artemidorus libro primo, οἱ ἀποθνήσκοντες χαμαὶ τίθενται. Valerius Maximus, *Acilius Auiola à medicis & à domesticis mortuus creditus, cùm aliquandiu humi iacuisset, elatus, postquam ignis corpus eius corripuit, viuere se proclamauit.* Olympiodorus in Platonis Phædonem eo more συμβολικῶς fuisse significatum scribit, animum defuncti cum vniuersitate rerum coalescere. τὸ ἐπὶ γῆς τιθέναι σύμβολον τοῦ ἀναμιμνήσκειν ὅπως ἂν τοῖς ὅλοις ἡ ψυχὴ συναφθείη.

at illum subiêre.) hoc est, patroni sui pheretro noui liberti subiere, vt loquitur Virgilius. non debuit exponi aliter hic locus. cùm erant plures testamento manumissi, partim lectum gestabãt, partim ad latus procedebant, vel ambiebant: omnes *capite induto*, hoc est, pileati. Interdum viri nobilissimi etiam alieno lecto funebri humeros subiiciebant, vt in ea historia quam refert Valerius Maximus lib. IV. cap. I. de Scipionis Africani funere.

hesterni quirites.) vt heri atque hodie accidisse dicimus rem quæ non multò antè acciderit : sic *hesternos quirites* ἁπλῶς vocat seruos libertate re-

cens donatos, cedit autem libertatis testamento relictæ dies nõ mortis tempore, sed post aditam hereditatem.

Tange miser venas, & pone in pectore dextram.) Scopum superioris cõparationis cùm non esset satis assecutus contemtor hic philosophiæ, aut dissimularet se assecutum: gnarus tamen eo sermone se peti: in philosophum vltro his verbis inuehitur, falsò dici se ægrotum affirmans, qui optimè valeat.

venas.) arteriam manus ad pericarpium, vt fieri amat à medicis σφυγμὸν explorantibus.

pone in pectore dextram.) προσάγε τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα, Iulianus in Misop. impone cordi manum, vt exploret qualis sit eius palpitatio.

Nil calet heic.) dextrè accipe, de calore aduentitio contra naturam. quanquam medico arteriam tangenti, non tam calor morbi indicium facit, quàm pulsus qualitas: item cùm cordi manum imponit, modus palpitationis: quia tamen ferè coniunguntur motus παρὰ φύσιν, & calor immodicus aut frigus, ideò alterũ pro altero posuit.

summósque pedes attinge manúsque.) hoc quoque ex arte medicorum, è summarum manuum vel extremorum pedum calore aut frigore iudiciũ de valetudine facere.

visa est si fortè pecunia, s.) respondet philosophus, & quod suprà ἐν παραβολῇ dixit, planius nunc ostendit. Ait igitur, non posse illum pro sano haberi, qui auaritiæ, libidini, luxuriæ, metui, atq. iræ, teterrimis animi morbis, sit obnoxius.

Quoniam autem sæpè affectus latent, cùm vel metus adest, vel illis occasio deest se exerendi: propterea hic philosophus, gnarus verè dictum obiecto moueri potentiam, velut in certamen hunc misophilosophum adducit, vt vires suas periclitetur. Age, inquit, si præsens lucrum se offerat, potes illud ita spernere vt eius cupiditate non mouearis? & quod ait in quinta,

In luto fixum potis es transcendere nummum?

quid si occasio se obtulerit libidinis exercendæ, potes ita virum te præbere, vt ne commouearis quidem?

Cor tibi rite salit?) Hippocrates diceret, πῶς τῆς καρδίας διασημαίνει τὸ δίμα; Cordis duplex motus, ἀπροαίρετος & ἐκ προαιρέσεως: ille valetudinis dat indicium: hic voluntatis & affectus. eum enim habent consensum phantasia atque intellectus cum corde, vt ad oblatam speciem boni vel mali motus cordis statim aptetur: atque vt ille ait, *motus cordis salum mentis indicat.* hic est animi morbus παλμώδης quem vocat Philo Iudæus, in lib. De Abele & Caino: ὅταν, ait, ἤδη παρηβήσῃ καὶ ἡ τῶν παθῶν παλμώδης νόσος χαλάσῃ καθάπερ νηνεμίας ἐπιγενομένης ἄρχεταί τις γαληνὴν ἄγειν. & luculētius idem alibi, de cultu animi loquens: ὅταν δὲ παλμῶδες ἐν ψυχῇ παθὸς ὠμὸν γένηται κνησμοὺς ἢ γαργαλισμοὺς ἐξ ἡδονῆς ἢ ἐπιθυμίας, ἢ πάλιν δηγμοὺς τε καὶ πτοίας ἐκ φόβου καὶ λύπης ἐμποιοῦν, προσευτρεπισθέντι σωτηρίῳ πεπαίνεται φαρμάκῳ. Itaque solent præstantes medici ex cordis motu, non solùm corporis morbos, sed etiam animi perturbationes, & quas Philoni appellari

ostendimus τῆς ψυχῆς παλμῳδὴς νόσους, diuinare: quod à se factum sagaciter in Boëthi vxore testis Galenus. nota etiam Erasistrati medici similis solertia in coniiciendo cuius morbi æger esset Antiochus Seleuci regis filius. coniecturam autem fecit maximè ex motu salientis cordis. Iulianus, Misopogone in narratione eius historiæ: ταῦτα ὁρῶν ὁ ἰατὸς προσάγει τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα· καὶ ἐπύθετο θᾶττον ἢ καρδία, καὶ ἔξω ἴεσο. τοιαῦτα ἄττα ἔπαιζεν ἐκείνης παρούσης. ἐπεὶ δὲ ἀπῆλθεν, ὑπάντων τῶν ἄλλων ἀτρέμας εἶχε, κἀγὼ ὅμοιος τοῖς οὐδὲν πάσχουσι. Valerius Maximus libro v. cap. vii. in eadem narratione: *Intrante Stratonice & rursus abeunte, brachium adolescentis dissimulanter apprehendendo, modò vegetiore, modò languidiore pulsu venarum comperit* Erasistratus, *cuius morbi æger esset.* idem & Plutarchus in Demetrio. Atque ad hanc nobilissimam historiã videtur allusum à Persio hisce verbis,

Cor tibi rite salit? —— ex eadem cognoscimus cur dixerit poëta, *visa est si fortè pecunia:* & *subrisit molle puella:* nam vt antè dicebamus, longè acrius præsente quàm absente obiecto affectus mouentur; vt heic verissimum sit illud Euripideum.

Οὐ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
Ῥοῤῥωθὲν ὄντων, ἐγγύθεν δ' ὁρωμένων.

Adeò autem non est vanus Persij ἔλεγχος virtutis aut vitij à micatione cordis, vt etiam veræ aut simulatę pietatis coniecturam facere nos iubeat ἀπὸ τῆς σκιρτήσεως τῆς καρδίας grauis scriptor Athanasius in Quæstionibus ad Antiochum: si tamen

venerandi eius patris aliquid ei libro inest, quem inter νοθεύοντας referendum esse nemo sanus iudicij dubitat.

positum est algente catino.) ad frugalitatis periculum faciendum prouocat. Veteres, vt sæpe dicebamus ad Athenæum, feruentibus cibis mirificè delectabantur. ideò *algentem catinum* dixit eo ipso vilitatem apparatus designans.

Durum olus.) puta, vrtica, vt in VI.

—— *mihi festa luce coquatur*
Vrtica. —— & alia id genus olera cuiusmodi sunt in ea cœna quam describit Ammianus poëta isto venustissimo epigrammate:

Ως κῆπον τεθυκὼς, δεῖπνον παρέθηκεν Απελλῆς,
Οἰίμενος βόσκειν αὐτὶ φίλων πρόβατα.
Ην ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλις, θρίδακες, πράσα, βολβοὶ,
Ωκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον ἀσπάραγος.
Δείσας δ' ἐκ τούτων μὴ τὸ χόρτον παραθῇ μοι,
Δειπνήσας θέρμοις ἡμηβρεχεῖς ἔφυγον.

Vt mactato horto sic nos accepit Apelles:
Pascere, credo, putans non homines sed oues.
Intybus heic, raphanus, siliquæ, porrum, blita, bulbi,
Ocimon & menta est, rutáque & asparagus.
Hinc igitur veritus fœnum ne apponeret: edi
Agrestem, & fugio, vix madidámque fabam.

& populi cribro decussa farina.) ἄρτος οὐ λεπτῷ κοσκίνῳ σηθεὶς, vt sæpe loquitur Galenus. *populi cribrum* quod Plinio dicitur farinarium; eo succreta farina panem facit secundarium, vt quæ cribro pollinario decussa fuerit, primarium ac candidum.

Tentemus fauces.) Age, videamus quomodo placebit tibi hic victus.

tenero latet vlcus in ore Putre.) elegantissimè. nam qui plebeio pani & furfuraceo non assueuerunt, teneriore palato sunt, quàm vt sine eius exulceratione tali pane possint vesci. quod igitur euenturum sciunt si ederint, id iam euenisse ne edant caussantur.

quod haud deceat plebeia radere beta.) Arbiter:

Et pictis anas enouata pennis
Plebeium sapit. —— idem,
—non vsu plebeio trita voluptas. Martialis,
Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas.

Alges cùm excußit membris timor albus aristas.) Alius morbus, timor. Alges, inquit, hoc est, algere te fingis, vt timorem dissimules. vel fis reuera algenti similis: dum pauenti tibi calor omnis ad cor intimum se recipit. ideò φίβος ὀκρυόεις dicitur poëtis. sequentibus versibus describit φείλιω, commune πάθος frigori & metui. *excußit* pro erexit, ὤρθωσε. nihil enim aliud horror quàm pilorum ex contractione cutis erectio, & ἐξανάστασις, vt loquitur philosophus. fortasse respexit ad hystrichem, cuius aculei missiles sunt. *aristas* posuit pro pilis, alludens ad Homerum qui dixit λήϊα φείδῃν ἀσταχύεσσι.

Nunc face suppoßita feruescit sanguis.) pro, vt face supposita. ira autem verè est feruor sanguinis. Iamblichus in Protreptico: τὸ ὀξὺ τῆς ψυχῆς ὅταν θυμὸν καλοῦμεν λογισμοῦ καὶ φρονήσεως ἐστέρηται. ζῇ γὰρ ὁ θυμὸς ὥσπερ λέβης πυρὶ θαλπόμενος.

& ira Scintillant oculi.) Homerus,

Οσσε δε οι πυρι λαμπετοωντι ικτην,

& passim poëtæ.

ducísq. facísq. quod ipse Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.) Expende, inquit, cætera dicta factáq. tua, & quidem non ad stateram philosophorum: quos soles irridere, tanquam nimis seueros & miseram vitam agentes: sed ad iudicium vel cuiusuis è plebe, quæ nihil habet cum philosophis cõmune. inuenies ne istorum quidem calculis tolerabiles esse tuos mores: nedum vt sit verum quod paullò antè dicebas:

Quod satis est sapio mihi.——

porrò Stoicis omnes insani, qui non sunt sapientes. non dissimile in Bacchidibus Plauti:

——*hoc etiam ipsi culpabunt mali.*

AD SATIRAM QVARTAM.

NERONE principe, quanta fuerit bonorum ciuium indignatio, quantus mœror, cùm viderent perditissimum iuuenem imperio Ro. illudere, facilè cuiuis æstimare est. Neque dubitãdum præclara ingenia quæ illa tempestate non pauca efloruerunt, ægrè se continuisse, quominus ingenui doloris testimonia monumentis suis impressa ad posteros transmitterent: cuius rei vel vnius Annæi Lucani Pharsalia abundè fidem nobis fecerit. Vixit inter cæteros nobilioris ingenij viros eorum temporum & poëta noster, duorum summorum hominum Pæti Thraseæ & ipsius Lucani amicus ac familiaris. Hic cùm impatientissimè ferret, vt erat naturæ acris, & in amore virtutis ac vitiorum odio iuxta vehemens, susque déque omnia misceri Romæ: regentibus imperium iuuenibus deprauatissimis, & imprimis Nerone ipso: qui neque vsum Reip. vllum

habebat, neque rationem eius administrandi vllo modo aut didicerat aut sciebat: non abstinuit quin stili sui mucronem tam in Neronem ipsum stringeret, quàm in reliquos similis dementiæ iuuenes: qui totius πολιτικῆς imperiti gubernacula publicæ rei pro se quisque capessebant. Isti sunt aduersus quos satira hæc est scripta: cuius etsi præcipuus erat scopus, in Neronem inuehi, atque ipsum satirico sale defricare, quod Remp. suscepisset gubernandam, tanto oneri prorsus impar, quódque esset illius vita libidine, aliisq. vitiis infamis: sic tamen poëta in hoc argumento indignationi suæ habenas laxauit, vt neque palàm, neque plenis velis in flagitiosissimum principem inueheretur, verùm tectè & longè mollius quàm vel natura ipsius ferebat, vel Neronis flagitia ac scelera merebantur. nos autem putamus tum scriptam esse hanc satiram, cùm nondum totus innotuerat Nero: cuius principium laude digna habuit multa. sed simulata, non vera fuit illa virtus: cum suis flagitiis ac sceleribus initio velamenta quæreret, vt narrant historici. Viris grauibus, quibus interior Neronis vita non erat incognita, verba dari non poterant: neq. vlla simulatione effici, quin suspectam eius indolem haberent. posteà cepit paullatim manifesta fieri illius monstri immanitas. quo tempore, videtur hoc carmẽ fuisse compositum. ita enim meminit libidinum eius principis, quasi tum primò vitæ eius obscenæ opinio sinistra in vulgus emanasset: quemadmo-

dum suo loco est à nobis indicatum. Porrò hypothesis & οἰκονομία satiræ totius ita habet. Statim in principio accusationis quam instituit summam proponens, Neronem obiurgat, quòd Remp. gubernare aggrederetur, eius negotij atque adeò πολιτικῆς totius, penitus ignatus. Ignorantiam eo probat, quia quid iustum esset, quid iniustum, quid Reipub. vtile, quid inutile cognitum non habeat: circa quæ τὸν πολιτικὸν versari, nemo potest ignorare. Aliud deinde argumentum adiicit, quòd nimirum, non τῆς πολιτικῆς solùm, sed in totum vniuersæ philosophiæ esset ἀμοίρητος: vnde fieret, vt de vita rectè instituenda ne cogitasset quidem: sed sola generis prærogatiua & potentia fretus, voluptatibus sese dederet. Quoniam autem mimum egit Nero imperij sui initio, vt modò dicebamus, domesticis & intercutib. vitiis turpis, publicè καλὸς κἀγαθός: quò securitatem hanc ei adimat Persius, pluribus disputat, non posse fieri vt cuiusquam vitia lateant: cùm ita sit naturæ comparatum, vt in aliena peccata omnes lubenter inquirant, suorum securi: quam sententiam vbi in genere multis versibus est persecutus: ad Neronem deinde iterum redit: & probrosam eius vitam hac ratione innotuisse significat: ne fucum igitur sibi aliisque amplius faceret: sed de vita emendanda seriò cogitaret. Sciebat verò Persius non defuturos in aula Neronis fœdos assentatores, qui illi persuaderent, quod satis esset ipsum sapere sibi: neque aut philosophiæ aut virtutis studium vehemen-

tius illi necessarium. propterea à pernitiosis istorum assentationibus Neronem conatur auertere, & vt ne aliis plus de se quàm sibi ipsi credat hortatur: intellecturum enim facile si sui periculum fecerit, quàm nudus sit ab omnibus virtutibus, & ab illis artibus imparatus, quarum notitiâ Reipublicæ bene ac feliciter administrâtur. Hic est totius carminis huius conspectus, ac series. Probè verò norat Persius, cùm ad hanc satiram scribendam se accingeret, quantam rem & quam periculosam moliretur. quamobrem consilio prudentissimo hoc argumentum Platonis imitatione sibi tractandum censuit: non solùm nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum vniuersa: vt si quis fortè Corycæus aut Cercops nomen ipsius deferret, probabili excusatione posset factum suum defendere: quasi exercendi tantùm stili caussa petitum è libris summi philosophi argumentum, Latinis versibus tentasset complecti. Quare etiam ab omnibus illum videmus abstinuisse, quæ Neronis personam propriè erant denotatura. nihil enim heic inuenias de rapto nefaria fraude imperio, nihil de crudelissima Britannici cæde, nihil denique quod non & aliis multis iuuenibus probè quadrare posset, qui tempestate illa obsoletis legibus annariis, ad summas dignitates, ipsum etiam Consulatum, ex libidine principis prouehebantur. Hinc est, quod citimæ vetustatis interpretes, quorum notulæ ad nos peruenerũt, in exponenenda hac satira Neronis mentionem

omnino nullam fecerunt: adeò non animaduerterãt contra illum principem hæc fuisse scripta. Extant verò inter Platonis dialogos duo de nomine Alcibiadis insigniti: alterum horum, posteriorem nempe Alcibiadem, imitabatur Persius satira secunda: alter qui Alcibiades prior dicitur, is est vnde satira hæc magnam partem est expressa.

REM *populi tractas.*) Tribus primis versibus, & personas indicat quas loquentes introducit in hoc carmine: & totius argumenti summam. est autem hæc, quod Alcibiades iuuenis, hoc est, imperitus, rem populi tractet. quanquam apud Platonẽ non dicitur Alcibiades tractare Remp. sed iamiam tractaturus, & μάλα ἡμερῶν ὀλιγῶν, vt ait Socrates. quare non dicit Socrates Alcibiadi *Rem populi tractas*, vt heic, sed ἐαὶ ταῦτα εἰς τὴν Αθηναίων δῆμον παρέλθῃς: *vbi primùm ceperis rem populi Atheniensium tractare.* accusatio autẽ ita concipitur ab eodem, ὁτὶ ἄπῃς πρὸς τὰ πολιτικὰ πρὶν παιδευθῆναι. quæ & Persij mens. *res populi* Iurisconsultis aliud longè quàm Resp. heic pro eodem: vt sæpe in aliis scriptoribus. quare & Marcus Tullius in libris de Rep. breuiter Remp. definierat esse rem populi, vt testatur Augustinus De ciuitate Dei, libro XIX. cap. XXI. sic Græci dicunt τὰ τοῦ δήμου πράγματα. vt βουλεύεσθαι περὶ τῶν τοῦ δήμου πραγμάτων: quod quid significet explicat Socrates in hoc dialogo. etiam τὰ πράγματα pro Rep. dixerunt: vt cùm ait Gregorius in epitaphio Cæsarij fratris, post mortuum Iulianum, τοῖς χειστιανοῖς ἐπαναστῆναι

πὰ πρεσβύματα, *Christianis remp. esse reditam.*

barbatum hæc crede magistrum Dicere:) non solùm quia barbam alebat Socrates, quod Græca comœdia testatur, ita vocat: sed quia Romani cùm maiores laudabant soliti dicere, *casci barbati*, vt in IV. De finibus testis Cicero.

sorbitio tollit quem dira cicutæ.) Quidam codd. *dura*: minus rectè. cicutam probè tusam ac dilutam propinabant in calyce more medicamentorum: ídque πεῖν φάρμακον in Phædone Platonis dicitur. Socrates verò iussus à sceleratissimis Athenienſibus non ἔπιε, sed ἐξέπιεν, vt ait Plato, qui parem animi constantiam non afferebant, ij non bibebant, sed sorbebant: vt aliquam temporis morulam lucrifacerent. inde est *sorbitio* ἁπλῶς pro cicutæ hausta. Cæcilius Hymnide:

Sine suam senectutem ducat: vtiq. ad senium sorbitio.

assentior enim Iosepho Scaligero, qui putat alusum ad Ceorum legem, quæ sexagenarios senes iubebat cicutam bibere. Sanè illa fabula Cæcilij tota Græca, ex Meandri Hymnide versa: cuius meminerunt Athenæus lib. VI. & Hesychius bis in βάκωλος, & παρυφίς.

Quo fretus?) ὅτῳ πιστεύων; ait Socrates ad Alcibiadem. hoc est, qua maximè arte confidens, vt Cicero in Tusculanis.

dic hoc magni pupille Pericli.) dic Alcibiades qui nulla re adeò gloriari soles quàm tutela Periclis. respexit ad ista Socratis, qui postquam varia recitasset, quibus fretus Alcibiades magnificè adeò de se sentiebat: puta, genus, formam, opes:

opes, addit, ξυμπάντων ἧ ὧν εἶπον μείζω οἴει ϑῆι δύναμιν ἐπ' ἀρχὴν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ὑπέδοτον κατέλιπε ϑῆτι ἐν τῷ ἀδελφῷ.

Scilicet ingenium & rerum prudentia velox, Ante pilos venit.) Socrates Alcibiadi: Ὦῆου ἄρα ὑπίσεσθαι ἐν πᾶς ὢν τὰ δίκαια ἐν τὰ ἄδικα. nempe ex opinione Alcibiadis hoc Socrates: qui è contrario alibi apud Platonem pronuntiat: *Beatum cui etiam in senectute contigerit, vt sapientiam veráſque opiniones aſſequi poßit*: vt refert Cicero in v. De finibus. Gregorius quoque Naz. in Apologetico pro ſeipſo, ἀγαπητὸν ὅτῳ κἂν εἰς βαθὺ γῆρας λόγος ἀφίκοιτο πολιός. Perſius verò hoc verſu aliquot paginas complexus eſt, quibus diſputat Socrates apud Platonem, Alcibiadem, qui tum erat annorum xx. neque per ſe inueniſſe, neque ab alio didiciſſe ſcientiam politicam: quæ heic appellatur *rerum prudentia*. Platoni & Ariſtoteli πολιτικὴ dicitur ἁπλῶς: & ſæpè πολιτικὴ τέχνη, vel δύναμις vel ὑπόϑηκη. hæc virtus quia propriè conuenit magiſtratibus quos Græci & πὸς ἐν πόλῃ, & interdum πὸς ὑπηλείς nominant, ideò ὑπηλείας vocabulo eſt deſignata. ita accipit Gregorius Naz. epitaphio in patrem, vbi ait ὑπηλείαν eſſe πλὴν ὥϑεν τὸ ϑερμότερον ἀρετλῶ: poſitam ἐν ϑερμοτάταις, ἐν παῤῥησίαις, ἐν εἴδῃ πάντῃ κυβερνήσεως. *Ingenium* hoc loco liberalium artium notitiam interpretor: nam propriè ſumtum, ſanè ante pilos venit: eſt enim à natura. rtiam eruditio ſæpe in iuuenibus pilos anteuertit: at prudentia non poteſt: colligitur enim ex longa ſingulorum caſuum obſeruatione, quibus

vita est obnoxia hominum, vel singulorum, quæ simpliciter appellatur prudentia: & est hæc vnicuique satis ad se regendum: vel multorum in vnam societatem adunatorum: quæ prudentia ciuilis, éstque capescentibus Remp. necessaria. Aristoteles: νέος ἔμπειρος οὐκ ἐστί· πλῆθος γὰρ χρόνου ποιήσει τὴν ἐμπειρίαν.

Ante pilos venit.) Æschylus in Septem-thebana de Lasthene,

Γέροντα τὸν νοῦν σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.

Gregorius Nazianzenus in Apologetico in sententia simillima: πρὶν ἀποθέσθαι σχεδὸν τὴν πρώτην τρίχα, καὶ τὸ τὰ παιδικὰ ψελλίζεσθαι. idem eruditissimus scriptor Basilium adhuc iuuenem vocat πολιὸν τὴν σύνεσιν καὶ πρὸ τῆς πολιᾶς. in carmine autem de virginitate ita canit:

Καὶ πολιὴν ἀνέτειλε νέος, καὶ γῆρας ἐλαφρὸν
Εδρακον, ἀρτιχνόσιο πολὺ θεναρώτερον ἀνδρός.

dicenda tacendáque calles.) ab vno prudentiæ membro totam denotat: est enim prudentia habitus per quem vtilia eligimus, damnosa reiicimus μετὰ λόγου ἀληθοῦς inquit Aristoteles. Socrates sic: διάθεσις καθ' ἣν κρινομεν τί πρακτέον, καὶ τί οὐ πρακτέον. nomine autem τῶν πρακτῶν καὶ πρακτέων, id est eorum quæ facienda sunt in ethica disciplina etiam τὰ λεκτὰ & οἱ λόγοι siue sermones intelliguntur. & meritò: sermone enim pleraque transigunt qui præsunt publicæ rei, & demagogi. quam ob caussam multi veterũ, vt ex Platone & Aristotele scimus, rhetoricam cùm politica confuderunt, & partem illius fecerunt. aptissi-

mè verò heic posuit verbum *calles*: nam vt callus in corpore, sic prudentia in animo longo vsu paratur.

Ergo vbi commota fuerit plebecula bile.) totus locus ex illis Platonis expressus εἰ μέλλοντός σου ἰέναι ἐπὶ τὸ βῆμα λαβόμενος ἐροίμην, & quæ sequuntur. verùm ibi paullò aliter Socrates. prouocat enim Alcibiadem non ad seditionem tumultuantem plebem: sed ad comitia populi de publica re deliberantis: hoc est de bello aut pace, vel similibus. *plebecula* dixit de tumultuantibus & seditionem mouentibus loquens, verbo exprimens, quod pluribus Demosthenes: ὁ δῆμος, ait, ἐστὶν ὄχλος ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων καὶ ἀσυνετώτατον. eandem populi leuitatem ostendit Aristophanes similibus hypocorismis: δημίδιον, & γερόντιον sæpe nominans.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ Maiestate manus?) *fert animus* non ita heic accipiendum, vt initio Metamorphos.

In noua fert animus. ——

nam ibi significat διανοοῦμαι, ἐτχειρῶ: heic est fiduciam habes eam tui, vt hoc te posse præstare speres? Ammianus libro xxvi. de Valentiniano seditionem compescente: *elata prospere dextra vt princeps fiducia plenus ausus increpare quosdam vt seditiosos & pertinaces. calidæ turbæ* δήμῳ θερμῶς ἤτοι σφόδρα ταραττομένῳ. de omni vehementiore actione *calere* & *feruere* Græci Latinique auctores vsurpant.

fecisse silentia Maiestate manus.) Lucanus libro

primo de Iulio Cæsare:

——*tumultum*
Composuit vultu, dextráque silentia iussit.

Oratorum hic mos erat, & aliorum qui populum alloquebantur, vt manu porrecta audientiam facerent: quod Græci dicunt ἡσυχάζειν & καταιγαίζειν τὸν λεὼν τῇ χειρὶ vel καταστέλλειν. sic in Actibus Apostolorum D. Paulus verba facturus dicitur ὀκνῆναι τῷ χεῖρα & κατασείειν τῇ χειρί. sic enim loquitur Lucas euangelista. in prima Herodiani prodit philosophus in theatrum, cùm agon Capitilinus celebraretur, πῷ τε τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον καταιγάζει. In Hadriano Xiphilini legas præcones populo silentium manu semper, nunquam voce, solitos imperare. Erat autem consuetudo oratorum cùm dextrâ porrigebant, vt duobus infimis concluſis digitis, cæteros eminentes porrigerent: quod testatum reliquit Apuleius libro 11. Alius fuit mos silentium indicendi concrepatione digitorum. Hieronymus ad Rusticum monachum: *cum mensa posita librorum exposuissem struem, adducto supercilio contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans.* sic qui aliquid in aurem dicebant, vt rem silentio dignam esse indicarent, digitis concrepabant: teste eodem Hieronymo.

Hoc putà, non iustum est, illud malè, rectius istud.) Ita membranæ Bongarsij, non *puto*. Priscianus libro xv. de terminatione aduerbiorum: *ita solùm* a *correptum habet: quamuis quidam puta quoque*

aduerbium esse accipiant : ideóque Persium id corripuisse : vt, Hoc, puta, non i. &c.

Scis etenim iustum geminâ suspendere lance Ancipitis libræ.) Hæc & quæ sequuntur vsque ad illa, *Quin tu igitur*, εἰρωνικῶς accipiẽda. ita melius, quàm cum interrogatione legere, quam nulli veteres agnoscunt. his autem versibus verum politicum describit, vt arroganti iuueni ostenderet quantũ ab eo abesset. fusè Socrates hæc tractat apud Platonem.

rectum discernis vbi inter Curua subit :) hoc ideò, quia virtus in medio consistit duorum vitiorum : vt sæpe obscura & difficilis sit eius agnitio: ὅπερ δικαίζουσι γὰρ οἱ ἄκροι τῆς μέσης χώρας, vt est apud summum philosophorũ in secundo Nicomach. ideò soliti dicere Græci, vt ait Basilius in Asceticis, vitia & virtutes in eadem vicinia habitare. ἀχιδύρους, ait, φασὶ δὲ Ἕλληνες τὰς κακίας εἶναι τῆς ἀρετῆς. alludit fortasse Basilius ad Galeni locum in libello De propriis cuiusque animi affectibus : vbi ait multa occurrere in vitæ actionibus δυσδιέξοδα, quia ἡ ἀρετὴ γείτων τῇ κακίᾳ. atque hoc cùm in cæteris quoque virtutibus locum habeat, tamen in iustitia maximè spectari potest : cuius venatio atque inuestigatio magnis sæpe obsepta difficultatibus : vt apparet ex quinto Nicomacheorum, & prope infinitis legum voluminibus. hoc indicat pulcherrimè Persius, cùm ait, *rectum inter curua subire.* Propterea pronuntiat Aristoteles politicam scientiam, cuius notitiam hic iuuenis sibi vindicat, difficilem admodum

esse: vt cuius subiectum multam habeat διαφορὰν & πλάνην. ita enim ait.

vel cùm fallit pede regula varo.) cùm regula ob necessarias exceptiones sit vara. verbi gratia: Depositum redde, iuris regula est. sanus apud me ensem deposuit: insanus repetit. heic fallit regula. sexcenta sunt hoc genus. *pes varus* appellatur incuruus: heic *regula pede varo*, est regula quæ obliquari patitur, & incuruatur: quod cùm per se vitiosum sit: tamen aliquando, vt diximus merum ius est: quare bene dictum, *summum ius, summa iniuria.* mirum quantopere hallucinentur, qui decempedas heic comminiscuntur. imò verò regula heic est norma, hoc est γνώμων: vt solent sæpe hæc tria confundi, regula, norma, perpendiculum: quæ ratione tantùm quadam inter se differunt: re sunt idem. non dissimile est apud Ausonium in acroasi Pythagorica de viro bono:

— angulus æquus
Partibus vt coëat, nihil vt deliret amussis.

Tum autem maximè,

— fallit pede regula varo,

vel vt ait Iuuenalis, *fallit vitium specie virtutis*, cùm agitur de comparandis inter se officiis. nam vt eruditè docebāt Stoici, inueniendorum officiorum duplex est via: éstque interdum quæstio simplex, cùm rem per se expendimus honesta sit an non. interdum implicita est quæstio propter vnam pluréue circunstantias. Laërtius in Zenone: φασὶ τὰ μὲν καθήκοντα εἶναι αὐθυπόστατα· τὰ δὲ ἀδιάφορα. atque hanc partem doctrinæ moralis

fusè ex Theophrasto, Panętio & aliis Græcis exequitur Cicero in III. De officiis. eidem in XVI. epistolarum ad Atticum, dicitur τὸ κατὰ περίστασιν καθῆκον quod Laërtio περιστατικόν.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.) hoc est discernere & damnare. cùm recensebant laterculos militum, nominibus eorum qui perierant, præfigebant Θ: hoc erat expungere. Rufinus in Hieronymum: *Si quis accepto breuiculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint, & requirens qui inspicere missus est, propriam notam, verbi caussa vt dici solet, Θ ad vniuscuiusque defuncti nomen adscribat, & propria rursus nota superstitem signet: nunquid videtur is qui notam ad defuncti nomen apponit, & propria rursus nota superstitem signat, quod egerit aliquid, vt vel hic defuncti, vel ille viuentis caussam acciperet?* Etiam in antiquis lapidibus huius signi crebra extant vestigia. Sidonius Apollinaris vsus est pro nota critica qualis erat Græcorum τὸ X. quam literam deculpatis locis prænotabant, vt videre est in poëtarum scholiis antiquis. Locus Sidonij est in hendecasyllabo ad Magnum Felicem,

Isti qui valet exarationi
Districtum bonus applicare theta.

non puto tamen Latinos criticos ea litera vsos: verùm imitantem hunc locum Persij, ita locutum esse Sidonium.

Quin tu igitur.) quando hæc quæ dixi nescis, cur gubernacula tractas Reipub. & laudem af-

fectas principis boni?

summa nequicquam pelle decorus.) Bene hoc Neroni conuenit, qui principio imperij sui ita se gessit in administratione publicarum rerum, vt vulgò omnes laudarẽt. nota vox optimi principis de quinquẽnio Neronis: quasi regimine suo omnium bonorum principum laudes obruisset. quod referendum ad publicam illius vitam: nam vita priuata intra minus spatium omni probro ac dedecore fuit inquinata: matre etiam occisa, & incesto prius cognita, vt multi existimarunt. Sed nondum cùm hæc scribebantur in tam immania facinora eius natura proruperat: iam tamen signa palàm edebantur insignitæ nequitiæ, vt posteà dicemus. Vtrique igitur hæc conueniunt, Alcibiadi κατὰ τὸ ῥητὸν, qui forma excellebat, necessaria eruditione destitutus: & Neroni κατὰ τὴν διάνοιαν, qui speciosa Reip. administratione, bonitatem simulabat cùm esset interiore vita fœdissimus.

Ante diem blando caudam iactare popello Desinis.) De Alcibiade ita cape: cur non mutas propositum, & prius quàm populi gratiam vanis artibus & populari iactatione colligere studeas, discis illa quæ nescire conuictus es, cùm sint politico omnino necessaria? *caudam iactare* id quod diximus significat: ductum à canibus. demagogum qualis fuit Alcibiades ita describit Sextus Empiricus: ὁ δημαγωγῶν. λέγω μὲν καὶ τῷ δοκεῖν ὑπὲρ τοῦ κοινῆ συμφέροντος ὑπισχνεῖται πάντα ποιήσειν· ταῖς δὲ ἀληθείαις ἀπ' οὐδενὸς ὑγιοῦς τροφὴν πορίζεται, ἐοικὼς ταῖς τίτ-

θαις, αἳ μικρὸν τοῦ ψωμίσματος τοῖς παιδίοις διδοῦσαι, τὸ ὅλον καταπίνουσι. *blando popello*, ait, hoc est qui tibi nunc blanditur, mox paratus mordere ac perdere si quid offenderis. ij erant mores Atheniensium: populi natura sua mitis: sed adeò leuis, vt facilè ad quoduis scelus impelleretur: quod testantur tot illustrium virorum indignissimæ neces. Omnino hoc est quod tandem ait Alcibiadi Socrates: Γύμνασαι πρῶτον ὦ μακάριε, καὶ μάθε ἃ δεῖ μάθοντα ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως, πρότερον δὲ μή (hoc est, *quin ante diem desinis?*) ἵνα ἀγξιφάρμακα ἔχων ἴης, καὶ μηδὲν πάθης δεινόν. At de Nerone sic accipe: cùm sis tibi conscius ignorantiæ tuæ, cur non desinis venditare te apud senatum ac populum, quasi optimus princeps esses: cùm non ex virtute & scientia procedant si quæ facis bene: sed ex simulatione & popularis auræ affectatione. quin tu igitur desinis & differs administrationem rerum, donec sapientum præceptis seriò institutus, rerum caussas habeas notas, quidque differat vera virtus à simulata cognoscas: vt si quid bene nunc agis publicè, in eo confirmeris, & melius illud ipsum agas: si quid domi peccas, multa autem peccas, ea corrigas, & voluptatum amorem ponas. *caudã iactare popello*, publicè laudanda facere, & speciosis actionibus vẽditare se apud populum. huiusmodi facta Neronis fuerunt multa. vt cùm iniens consulatum cum L. Antistio, iurantibus in acta principum magistratibus, in sua acta collegam Antistium iurare prohibuit. cùm agenti senatui gratias re-

ſpõdit CVM MERVERO. cùm ex Auguſti præſcripto imperaturũ ſe promiſit. quid cùm illam vocem nunquã ſatis laudatam ἀπεφθέγξατο? quãdo admonitus de ſupplicio cuiuſdã capite damnati, vt ex more ſubſcriberet, dixit, QVAM VELLEM NESCIRE LITERAS. ſimilia his apud Tacitum & Suetonium alia. hoc autem venuſtè dictum à Perſio, *iactare ſe populo*. vt apud Iuuenalem,

Ipſe lacernatæ cùm ſe iactaret amicæ.

tranſlatum à pauonibus, quando,

—— *picta pandunt ſpectacula cauda.*

tunc enim creduntur iactare ſe fœminis. Gregorius Nazianzenus:

Φασὶ ταὼ μεγάλαυχον ἐπὴν πέρι κύκλον ἐγείρῃ
Αὐχένα κυρτώσας χρύσεον ἀστερόεις,
Κλάζειν θηλυτέραις φιλοτήσιον.

éſtque *iactare ſe* heic, quod Græci dicunt ὡραΐζεσθαι, & καλλωπίζεσθαι: cùm ſi quid laude dignum facimus, in oculis hominum id facimus, gloriolæ auidi, qua etiam cupidè nimis fruimur. paullum diuerſo ſenſu ait Syneſius Dionem ſophiſtam in quibuſdam iuuenilibus ſcriptis ſuis, ὑπτιάζειν καὶ ὡραΐζεσθαι καθάπερ τὸν ταὼν περιαθροῦντα ἑαυτὸν, καὶ οἷς γαννύμενον ἐπὶ ταῖς ἀγλαΐαις τοῦ λόγου.

Anticyras melior ſorbere meracas.) aptior regi, quàm dignus regere: & qui debeas in diſciplinam tradi magiſtro, qui ſeuera inſtitutione animum tuum purget ab illis vitiis quibus nunc ſeruis turpiter. vide in imitatione Horatij.

Quæ tibi ſumma boni eſt?) adeò alienus es ab

idonea cognitione τῆς πολιτικῆς: vt ne prima quidem virtutis elementa, & doctrinæ moralis prima præcepta nota habeas. quænam autem illa sunt? finis nempe notitia. inde auspicatur vniuersa ethica disciplina: inde omnis recta institutio. hæc Persius: vbique similis sibi, vbique πανταχοῦ ἀκολούθως, vt ad primam satiram, & alibi iam toties antè obseruauimus.

Vncta vixisse patella Semper, & assiduo curata cuticula sole.) si quæram ex te, quod sit tibi propositum vitæ? & tu velis ingenuè respondere πάσαν τὴν ἡδονήν: nempe hoc fatebere: non aliud te spectare, neque alio dicta factáque tua referre: quàm vt per omne genus voluptates vitam traducas. hæc tibi summa boni, hic finis vltimus. cæterùm etsi dicuntur hæc sub Neronis persona, verbis tamen Neroni conuenientibus non dicuntur: sed satiricis ac Persio aptis. nam in persona Neronis respondentis si voluissem decorum seruare, rei ignominiam honestate verborum vetassem. neq. enim honesta deerant verba voluptatum patronis. hic autem est perpetuus mos Persij, quoties in satiris suis alium ex aduerso dicere facit: vt ad primam admonebamus.

Vncta vixisse patella Semper.) Tangit gulæ intemperantiam & γαστριμαργίαν.

& assiduo curata cuticula sole.) tangit libidines & probrosam corporis curam, de qua mox plura dicturus.

Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus.) Di-

ctum ἐν ἤθει venustate non vulgari: quam non capiunt illi qui tanta confidentia locum audent corrumpere. Atqui palàm est attendenti sic locum accipiendum esse, quasi responsione audita iuuenis ἡδονικοῦ, Socrates hîc ita illum exciperet. Ego te falli aio dum ita vitam instituis, & fœdam βιοκουιζόντων, sectam sequeris. nam, oro te, hæccine principe tanto digna vita? an abiectissimi cuiusuis ex ima plebe? certè huius potius quàm illius. sed nolo mihi credas, ipse consule quemcunque volueris, quamuis abiectum ac vilem: atque adeò expecta, ecce venit pannucia quædam mulier: ex hac si lubet scisciture. non aliud respondebit, quàm quod tu mihi. Poterátne magis fastum retundere insolētis iuuenis, quàm cùm illum assimilat aniculæ & pannuciæ olitrici? Tale illud apud poëtarum regem: χαὶ καμπὶ ἴσος, quod variè interpretantur grammatici. ex-specta est Græcorum ἔχ' ἀπρέμας. hanc & similes dicendi formulas venustissimè scriptores magni vsurpant, ex communi vsu sermonis: nam ita multa dicimus in mutuis colloquiis: partim parandæ attentioni, partim ἐν ἤθει, vnde dicitur apud rhetores morata oratio. plurima sunt huius generis in dialogis præsertim Platonis: quæ nota sunt peritis harum elegantiarum. illud ἔχε ἀπρέμας, quod est, *exspecta*, planè ita positum notabamus in dissertatione prima Maximi Tyrij. nec multò aliter apud Dionem Chrysostomum in XXXVIII. μὴ θορυβήσητε ἀλλ' ἐπομείνατε. sic Iuuenalis in x. postquam alium loquentem induxit,

vt heic Persius, subiicit: *oro parumper*

Attendas. —— Syri simillime, כתר לי זעיר *expecta me paullulum*: quomodo accipitur in libro Iobi. Seneca verò in simili loco, ipsum quo heic vsus noster verbum *exspecta*, posuit De beneficiis libro, cap. XII. *Dicis me abesse ab eo qui operæ pretium facit: immò totam operam bonæ fide perdere. Exspecta: etiam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero.*

I nunc: Dinomaches ego sum.) i nunc: & fortunæ bona quibus abundas ostenta: nam quantumuis nobilis, quantumuis diues habearis, tamen pannuciæ Baucidi similior es, quàm verè nobili, verè diuiti.

Dinomaches ego sum.) ὁ Δεινομάχης υἱὸς, & ὁ Κλεινίου καὶ Δεινομάχης, Alcibiades apud Platonem. de genere Dinomachæ plura Plutarchus. at iustius Nero ego sum Agrippinæ filius: cui adoptionē debebat in domum imperatricem. cui etiam imperium.

suffla.) ironica συγχώρησις. habes nempe quo glorieris: ergo λαμπρὰ φύσα, τὲ πνέε μεγάλα, καταλαζονευόμενος τῶν ἀφανεστέρων καὶ ὑποδεεστέρων. ita sæpe Græci: vnde est apud Plutarchum ἐκπνευματοῦν τὸ οἴημα in libello Περὶ τοῦ ἀκούειν: elegantissimè verò pater ille Christianæ facundiæ Iohannes Chrysostomus in Matthæum, tumentem opibus vel dignitate hominem, ait esse similem φυσῶντι τὰς γνάθους παιδίῳ καταγελάστῳ. quod Persij mentem exprimit. alio sensu apud Plautum, *sufflare se alicui*, vt Casina:

Nescio quid se sufflauit vxori suæ.

& in Bacchidibus, *sufflatus*, pro παροξωθεὶς. *sum candidus.*) erat Alcibiades præstanti forma, & vt ait Socrates κάλλιστός τε καὶ μέγιστος: manstitque ei sua pulchritudo per omnem ætatem auctore Plutarchó. quare etiam iudicio Apollinis Græcorum omnium formosissimus est habitus. Plinius lib. xxxiv. cap. vi. itaque ad eius formam sua opera exigebant statuarij, qui summam pulchritudinem exprimere volebant. auctores, Clemens Alexandrinus, Arnobius, Aristænetus, alij. non ita Nero: quod apparet ex nummis & Suetonio.

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis.) ego facilè tibi concedam vt de fortunæ bonis glorieris, si ita sedet animo: dum ipse mihi concedas vicissim, bonis animi, quæ vera sunt & sola bona, non magis te esse instructum, quàm qui vel omnium minime. *Baucis* apud Callimachum in Αἰτίοις, & alios poëtas Græcos, vnde sumserunt Latini, est nomen pauperculæ vetulæ, cuiusmodi sunt ἀρτοπώλιδες, λαχανοπώλιδες, & similes, quæ res exigui pretij in foro diuendunt. ita hoc loco accipiendum. *dum ne deterius* formula exceptionis in contractibus: vt apud Siculum Flaccum, & alibi.

Cum bene discincto cantauerit ocima verna.) mulierculæ quas diximus solent inter se & cum obuiis quibusque certare maledictis & conuitiis: non enim sine re dicit Liber pater apud Aristophanem:

Ἔλεγχ' ἐλέγχου· λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἀνδρας ποιητάς, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

quid turpius, quid persona alicuius honestatis indignius, quàm ita in foro conuitiis & malis dictis cum quoquam certare? quare Latinus hic Socrates vt infra abiectissimos deiiceret suum illum ferocem iuuenem, nō solùm aniculæ eum comparat, sed aniculæ pannuciæ, cuiusmodi sunt quæ panem aut olera vendunt in foro: & hoc amplius, aniculæ pannuciæ conuiciatrici. mira δείνωσις ingeniosissimi poëtæ. *cantare ocima vernæ*, poëticè dictum pro, dicere atque ingerere seruulo opprobria, & ea quæ solent cantari cum ocima seruntur: hoc est maledicta. Plinius lib. XIX. cap. VII. *Nihil ocimo fœcundius: cum maledictis & probris ferendum præcipiunt, vt latius proueniat.* superstitio veterum: cui similes apud Plinium & auctores rei rusticæ multæ. neque magis mirabile quod vel cyminum vel ocimum maledicentes sererent: quàm quod sacra quædam maledictis & execratione celebrarent, vt ait Lactantius, libro primo, cap. XXI. Ocimum verò herbam, quam & βασίλειον Græci dixerunt, eáque appellatio in idiotismo nostro mansit, multi veterum sunt abominati: præcipuè Chrysippus de quo Plinius libro XIX. cap. XII. eadem tangit & Dioscorides & fusius Sotion apud Geoponicorum auctorem. herba est odoris acris, de qua etiam hodie mulierculæ similia blaterant iis quæ nugativeteres, de generatione scorpionum, & nescio quibus fabulis. Extitêre memoria pa-

trum quidam eruditi medici, qui hanc herbam non ocimum sed ozimum vocandam contenderent ὄζειν τὸ ὄζειν, propter odoris acrimoniam: quæ præceptio, etsi locum habere non potest, confutata auctoritate tot Græcorum & Latinorum scriptorum quot sunt qui eius plantæ meminerunt: præterea Græcorum Lexicis, quæ erroris suspicionem omnem amouent: videtur tamen non recens nata: nam in vetustissimis membranis Puteani pro *ocima* planè scriptum *ozima* offendimus. quomodo in libris medicorum qui ante renatas literas proximis seculis scripserunt, aut Arabum libros verterunt, scimus legi passim. *Ocimum* autem per *i* non per *y* hanc plantam nominant Græcorum & Latinorum codices: vt est à nobis studiosè obseruatum. quàm longè distent ocymum Catonis & aliorum ab hoc ocimo, non est huius loci explicare: tantùm dicam ocimum esse Dioscoridis & Plinij, quod in secundo libro Aboali principis describitur, nominatúrque *bazarug* vel *badarog*, vt alij pronunciant. at quod vocant garyophillatum ocimum, in eodem Auisenæ libro *phelengeschmiki* dicitur: non vt habet Bellunensis *falamamilki*: neque item vt Serapionis interpres, *berengemisch*. duobus modis Arabes huius plantæ nomen efferebant, *phelengemischki*, & *pherengemischki*: quarum appellationum prior apud Auisenam restituenda: posterior apud Serapionem. *l* & *r* in omnibus linguis facilè inuicem commutantur. fuisse autem vtramque scriptionem Ara-

Arabibus in vſu diſertè obſeruat Arabs auctor qui medicum Lexicon ſcripſit, quod in illuſtriſſimi Electoris Palatini Heidelbergenſi bibliotheca ſeruatur. Is liber vtiliſſimus fuerit ad corrigendas mendas illas quibus Arabica editio Auiſenæ, & omnes Arabum interpretes paſſim ſcatent. nec pauca in eo genere nobis obſeruata, cum ſuperioribus menſibus beneficio Georgij Michaëlis Lingelshemij, viri nobiliſſimi, & virtute ac eruditione præſtantiſſimi, illius libri vſum ab optimo principe impetraſſemus. Sed de his volente Deo aliàs.

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo!) Ab hoc verſu quæ deinceps ſequuntur omnia vſque ad illa verba non longe à fine,

——— *ilia ſubter*

Cæcum vulnus habes, ——— neque commune quicquam habent cum diſſertatione Socratis apud Platonem: neque propriè ad Alcibiadem aut ad Neronem ſpectant: etſi videntur illis hic & ſequens verſus optimè conuenire: ſed diligentius intuenti in auctoris mentem, facile erit intelligere, debere hæc aliter accipi, quàm vulgò accipiantur ab interpretibus. Eſt igitur hoc loco digreſſio quædam ab inſtituta inſolentis iuuenis increpatione: cuius digreſſionis ſcopus peti debet ab vltimis verbis illis, *ſic nouimus.* nam ante ea verba deſinit hæc ἀπὸ τοῦ προτέρου λόγου ἐκβολὴ, & iterùm ſermo conuertitur ad Alcibiadem, ſiue potius Neronem. Cauſſam præbuit huic excurſui, quod modò

dixerat: Neronem per voluptates & fœdas libidines vitâ exigere, neq. aliud curare. Atqui nondum Nero omnem penitus pudorem abiecerat: nondum ad ἀπονενοημένου hominis nequitiam peruenerat: sed famæ publicæ erat adhuc illi aliquis respectus. itaque palàm Curios simulans clàm Bacchanalia viuens, hominib. se impositurum sperabat. Sed iam ad peiora eius ingenium vergebat: iámque ceperat in publicum spargi fama de eius petulantia ac libidinibus: quod quomodo acciderit, quibus gradibus ad consummatissimam improbitatem peruenerit, ordine describit Tacitus, neque tacent Suetonius ac Dio. quare cum illo ipso tempore scriberet ista Persius, postea quàm gulæ & infamibus voluptatibus deditum esse Neronem significauit: nunc vnde id didicerit, & quomodo res nondum publicè vulgata ipsi innotuerit, Neronem ipsum docet. Heic igitur illum cõmunem locũ tractat, quem veteres multi sapiẽtes attigerunt: cùm dicerent, hoc innatum esse mortalibus vitium, vt in suis vitiis cæci, aliena libentissimè sagacerent: cerneréntque in illis mirùm quàm acutum. hæc est quæ Græcis dicitur πολυπραγμοσύνη: nam improbæ illius curiositatis finis vt plurimum, est vitia hominum & quicquid Lethæo flumine debebat obrui, ruspari, subtilitérque indagatum publicare. Quorsum autem hæc? dicat aliquis: & quid ad institutum sermonem? iam diximus ostendere Persium vnde illa acceperit quæ de Neronis gula & flagitiis modo

dixerat. nempe ex publica fama se illa habere: quod quidem non obscurè significat, cùm rediens ad Neronem ait,

Viuitur hoc pacto: sic nouimus. ——

quid nosti Persi? dicat Nero. respondet,

—— *ilia subter*

Nigrum vulnus habes. ——

de quibus mox plura. Sed illud dubiò procul magis spectabat Persius hac digressione: vt Neroni adimeret spem latendi: persuaderétque illi, vnicam esse ad bonam famam munitam viam: bene viuere, & nihil facere cuius te possit pudere, si vulgò præter opinionem tuam innotuerit.

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo!) descendere in sese, idem est cum præcepto Delphico, Γνῶθι σεαυτόν. cuius præcepti difficultatem omnes sapientes fatentur. caussam verò acutam affert B. Basilius, hanc: quod oculus mentis sit oculis corporis similis: vt igitur horum actio in se non reflectitur, ita neque illius: ex eo fieri quod neque faciem oculis corporeis videmus; neque propria peccata oculo mentis. Apponam eius verba: τῷ ὄντι χαλεπώτατόν ἐστιν ἑαυτὸν ἐπιγνῶναι· οὐ γὰρ μόνον ὁ ὀφθαλμὸς τὰ ἔξω βλέπων, ἐφ' ἑαυτὸν οὐ κέχρηται τῷ ὁρᾶν. ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἡμῶν ὁ νοῦς ὀξέως τὸ ἀλλότριον ἁμάρτημα βλέπων βραδύς ἐστι πρὸς τὴν τῶν οἰκείων ἁμαρτημάτων ἐπίγνωσιν. Atque hoc argumento vtitur Plato in hoc ipso dialogo vt probet, non posse hominem aliter se nosse, quàm si oculos in eum coniiciat, cui similis est homo: Deum nempe.

quæ prorsus diuina doctrina est. *Descendere in sese*, dixit, tanquam in Democriti puteum, vbi veritas latet obruta. sic nostra vitia in intimis penetralibus abdita atque infixa nos latēt. ita apud Senecam, *in deorum secreta descendere*, Natur. lib. VI. aliud est *recedere in sese* apud eundem & apud Græcos ἀναχωρεῖν εἰς ἑαυτὸν, vel εἰσώπιζειν.

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.) celeberrimus Æsopi apologus: cuius meminit Galenus & plurimi veterum: sed paullò aliter: nam Æsopus dixit, duas quemque manticas gestare: alteram antè pendere, alteram à tergo: in hanc sua peccata homines coniicere, in eam quæ oculis est exposita aliorum malefacta. Persius & quidam alij, non duas singulis, sed vnam à tergo peram tribuunt. redit eodem sensus. *Manticam* volunt à manu deductam vocem: est verò peregrina vox & propriè baltheum significat aut zonam: quæ veteribus instar peræ cuiusdam fuit. frequens in libris Arabum, & tam quod inde formarunt sibi verbum, quam illud vnde est ipsum deductum. pro hippopera posuerunt Lucilius atque Horatius.

Quæsieris, Nostin' Vectidi prædia?) Exemplis probat quod dixit: ostenditque adeò non solere vulgò homines de alienis vitiis tacere, vt contra nihil faciant libentius, quàm vt illa & proferant in lucem, & exaggerent quàm maximè possint. nam verbi gratia, inquit, si aliquem roges, Nosti illum? non multos inuenias qui eum de quo quæris notis tibi designent quæ ad eius

honorem spectent: sed inhonestis & probrosis. adeò verum est quod ait scriptor insignis Longinus: φύσει, inquit, παίζα τὰ ἀνθρώπεια ὑπὸ τῦ χείρονος ἀεὶ μᾶλλον ὑπογινώσκεται. Zeno Veronensis, de liuore & inuidia: *notitiam viri non ex bonis gestis dictisque, sed ex minus probabilibus fieri volunt. quo malo quid nequius?* Similis apud Theophrastum hominis maledici descriptio. Lege Plutarchi commentarium περὶ πολυπραγμοσύνης. Atque huc pertinet illud egregiè dictum à Stoico Epicteto: esse vnicuique & hominum & rerum humanarum ansas geminas quibus prehendi tractarique possint: alteram bonam, alteram malam: hac potius vti vulgum: illa sapientes. pro *Vectidi* membranæ *Vetidi*: in XI. Iuuenalis Ventidius quidam nominatur, notus vulgò à censu: quod huic bene conuenit: sed ille luxuria præterea insignis: hic sordibus & μικρολογίᾳ. quare non potest esse idem, quod quidam existimarunt.

Diues arat Curibus quantum non miluus oberret.) illúmne ais qui in Sabinis agrorum vastissima latifundia possidet? *arare* Latinis, agros possidere: *pascere*, habere seruorum familiam. *oberret*, pro circumuolet. prouerbialis locutio. Iuuenalis:

——— *tot miluos intra tua prædia lassos.*

Sic in municipali Gallorum iure volatus capi.

hunc diis iratis, genióque sinistro.) natum nempe. κεῖνον τὸν θεοσυγῆ & βεβρυδαίμονα. ita dictum, vt,

Ipse Quirinali lituo. ———

Ait autem *diis iratis*: quia auari homines sunt omnibus exosi: quod vel maximum est θεήλατον

κακόν. *genio* autem *sinistro*, quia auarus ne sibi quidem est amicus: sed genium suum miserè defraudans vitam pro pœna habet. bene Laberius: *Auaro quid mali optes, nisi vt viuat diu?*

Qui quandoque iugum pertusa ad compita figit.) Ingeniosè auarum μικρολόγον & minutissimarum sordium hominem χαρακτηρίζει. Ait adeò esse tenacem, vt vix die festo opus intermittens, cum familia paullò liberalius epuletur. tunc quoque epulas illius esse pultem & cepas, cum pauxillo aceto. quid igitur censes aliis diebus? obscura est diei festi notatio hoc versu comprehensa: quid enim est, *figere iugum ad compita?* clarum est cessationem ab opere intelligi. tum verò iugum suspenditur, & vt Græci dicunt τὰ σάλῳ ἀνακρεμάννυται: non figitur, quod est ἀνατιθέναι donarium. deinde cùm die festo τὰ ἐργαλεῖα suspenduntur, non ad compita ea reponere moris est, sed suo quæque loco, vbi seruari solent & haberi quando non occupantur. Neq. satisfacit mihi, quod hac locutione innuere voluit Compitaliorum solemnem cultoribus agrorum diem. quod etsi concedimus spectatum esse à poëta: nondum tamen intelligimus quid sit *figere iugum ad compita.* Sed tangit fortasse Persius ritum aliquem Compitaliorum, cuius ignoratione obscura nobis sunt ipsius verba. Quod enim quidam aiunt, morem fuisse vt iuga & similia agricolationis instrumenta in honorem deorum ruris ad compita suspenderentur: speciosum quidem est, sed ἀνιστόρητον: non enim instrumenta vetera & inuti-

lia diis consecrare erat moris: sed ipsi potius artifices cùm senuerant, & ad exercendam artem suam iam facti erant inutiles, aut cùm professionem mutabant, artis suæ instrumenta deo eius præsidi dedicabant: de quo argumento liber est integer in Græcorum epigrammatũ volumine. *Pertusa compita*, vt in quinta, *ramosa compita* πολύῤῥυμοι τρίοδοι.

Seriolæ veterem metuens deradere limum.) Ita liber Puteani: alij, *veteris*: vt & Bongarsij. *limum* vocat picem. hac enim linebant dolia & serias. picationis modum describunt Columella libro XII. & alij. inde *serias relinere*, quod noster, *deradere limum*.

Ingemit, hoc bene sit) ἀναστενάζων ἐπὶ τούτοις, φησὶν, ἵλεως ὁ θεὸς εἴη. Alibi dicebamus veteres ad cuiuscunque rei inchoationem numinis mentionem abhibuisse. ita ex illo more possunt ista exponi: vel hoc modo: τούτοις ὦ παῖδες ἡμᾶς εὐφραινώμεθα. τὸ *hoc* est sextus casus. Ouidius in IV. Fast.

Post modo glans nata est: bene erat iam glande reperta. ηὐφραίνοντο δὲ ἤδη ταῖς δοθείσαις βαλάνοις. vide in imitatione Homeratiana.

tunicatum cæpe.) πολύλοπον κρόμμυον. sic *replictas bulborum tunicas* dixit Statius in V. Siluarũ. Ioannes Saresberiensis libro VIII. *Hic cæpa tunicatior, densatis pellibus & epitogiis, chlamydi penulam superducit, & quasi conglobatus in orbem, rotulari quam incedere magis idoneus est.*

& farrata pueris plaudentibus olla.) emphasis

est in illis, *pueris plaudentibus*: hoc est lætantibus, & pro magnis lautitiis habentibus, quod pultis offa satiarentur, die saltem festo. atqui paupertatis extrema erat meta, pultis offa loco panis vesci. quid igitur isti diebus profestis?

Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.) non bicit vinum, sed acetum, hoc est οἰνὸν τρυγίαν, vappam aut poscam. vel etiam verum acetum: sanè & Romani milites & alij pauperes aceto potabantur, vt obseruabamus ad Spartiani Pescennium. sed hic deparcus acetum bibit *moriens*, hoc est, iam deficiens & ipsa etiam vetustate corruptum: immo ne acetum quidem, sed *aceti fæcem*. istam quoque *pannosam*, id est, ἀπρὰν ὑπὸ παλαιότητος. & ista sunt verè Persiana, hoc est ἐμφατικώτατα.

At si vnctus cesses, & figas in cute solem.) Alterum exemplum λογοποιίας. prius erat de homine auaro: hoc de luxurioso: illud ad Neronem nullo modo pertinebat: isto mollities eius, ac luxus perstringitur, sed dissimulanter, & tanquam de alio loquendo, non de Nerone ad quem est sermo. Hoc igitur ait: si quis mollius cutem curare instituerit, vt qui pumice, volsellis ac psilothris corpus sibi totum leue reddunt: statim de his spargi famam, quod sint impudici ac molles & qui flore ætatis nefariè abutantur. hoc vult istis nouem versibus: sed poëta alioquin grauissimus, & verecundiæ virginalis, vt testantur de illo veteres, à morib. suis heic discessit. sic enim alienam impudicitiam castigat, vt sermonis li-

licentia, etsi figuris obscurati, castas aures offendat meritò. Omnino satius erat verecundiam silentio vindicare. Sed nescio quomodo peruasit etiam sapientissimorum hominum mentes illa opinio, obscœnitatem obscœnitate aut liberiore saltem dictione esse castigandam. quod quàm à recta ratione alienum? & tamen summis viris ita olim placitum. quis sine rubore quæ de speculo Hostij scripsit Seneca legat, paullo qui sit αἰδημονέστερος? quid beatus Hieronymus, ille tantus castitatis & virginitatis buccinator? nónne & ipse aliquando in turpia turpiculè inuehitur? sanè quidem: neque id vno loco. Sed caussam quæ viros graues compulit, vt ita sentirent, itáque scriberent, aperit Iohannes Chrysostomus, plenum illud omni virtute & sanctimonia pectus. Ait ille homilia quarta in epistolam ad Romanos, eos quorum est scopus flagitia hominum nequam atque impudicorum reprehendere, cogi necessariò fœditatem illorum denudare, & quasi ob oculos spectandam proponere: quia parum aliter profecturi sint. ἂν μὲν γὰρ, inquit, σεμνῶς εἴπῃς, οὐ δυνήσῃ καθικέσθαι τοῦ ἀκούοντος. ἐὰν δὲ βουληθῇς καθάψασθαι σφοδρῶς, ἀνάγκην ἔχεις ἀπογυμνῶσαι Ἀφέστερον τὸ λεγόμενον. solet etiam in eam rem chirurgi exemplum afferre, qui vt tabo ac sanie manans vlcus sanet, non veretur sibi manus inquinare, atque in fœtidissimum pus immittere. ὁ ἰατρὸς, inquit, in priorem ad Corinthios, σηπεδόνα ἐκβαλεῖν βουλόμενος, οὐ σκοπεῖ πως καθαρὰς διατηρήσειε τὰς χεῖρας, ἀλλ' ὅπως αὐτὸν ἀπαλλάξειε σηπεδόνος.

quam sententiam totidem ferè verbis sæpe repetit, idémque in eam ad Thessalonicenses distinguendum monet, vtrum dicantur eiusmodi sermones, ἐξ οἰκείου πάθους, an κατὰ κακοζηλίας: ex loquentis affectu, an curandi voluntate.

si vnctus esses, & figas in cute solem.) Suprà,

——— *& assiduo curata cuticula sole.*

Nemo est quin sciat inter corporis exercitationes, vsitatas apud gymnastas, esse insolationem, quæ in libris medicorum ἡλίωσις & ἡλιοκαία dicitur. neque dubium, vituperatione caruisse istam insolationem, quæ ex medicorum præscripto fiebat, acquirēdæ corporis siccitati, vt ait Arnobius libro primo. Sic narrat in epistolis Plinius, solitum Spurinnam curandi corporis causſa, in sole nudum ambulare. alluſit ad hunc morem Marcus Tullius, scribens ad Atticum libro XII. epistola sexta: *pro isto assō sole quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem vnctúmque repetemus.* appellat *solem vnctum*, quo calefiebant vncti: quæ fuit ξηροθηριφή veterum: huic opponit *solem assum* quem Plato in Phædro ἥλιον καθαρὸν appellat: etsi eo loci Plato soli puro non vnctum solem opponit, verùm τὰς συμμιγεῖς σκιὰς balneorum. sed fuit alia lasciuorum hominum insolatio, quando nudi ad solem expositi, operam dabant dropacistis, qui inhonestas partes corporis depilabāt. Hæc est cura cutis ad solem quam exagitat heic Persius. *figere in cute solem*, poëtica figura, pro exhibere cutim ad solem, cum diuturniore mora. hoc enim significat *figere*. Sene-

ca De breuitate vitæ: *Persequi singulos longum est, quorum aut laterunculi, aut pila, aut excoquendi in sole corporis cura consumsere vitam.* taceo nunc insolationes apud chromatiarios eorum qui colorē de industria sibi infuscabant.

Est prope te ignotus cubito qui tangat.) si turpiter viuas, reperietur aliquis, de quo minimè cogitabis; qui tacitus conuitium tibi faciat, & exosus mollitiem tuam te differat, tuáque facta διαφημίζῃ. *cubito tangere* ἀγκῶνι νύττειν: sed heic figuratè accipiendum pro reprehendere, quamuis tacita cogitatione.

& acre Despuat in mores.) qui abominans tuos mores hæc dicat de te quæ sequuntur. τὸ *despuat*, duorum verborum locum obtinet, vt passim καταπτύειν, pro καταπτύοντα βλασφημεῖν: quid autem iste dicet? nempe impudicum te esse, καὶ τὴν ὥραν πᾶσι τοῖς τυχοῦσι χαρίζεσθαι τε τὰ γυναικῶν παθεῖν. Suetonius cap. XXIX.

arcanáque lumbi Runcantem.) τὸν ὄρρον ξυρούμενον. in XIII. Athenæi.

Tu cum maxillis balanatum gausape pectas.) Duo probra obiicit: quod comam impensius curet, vnguentis etiam delibutam: & quod τὰ περὶ τὴν αἰδὼ vulsa leuatáque habeat. Originem huius turpis consuetudinis grauissimus morum censor Dio Chrysostomus explicat in fine prioris Tarsicæ. Vetus res, & quæ à Græcis ad Romanos videtur transiisse. nam Iuuenalis in VIII. vulgò omnes Græcos leuigari solitos resina ostendit. neq. illius rei frequentior occurrit in Græ-

corum nequitiis mẽtio quàm ξυρήσεως, τριπλμοδ, δρωπακισμοδ, πιττώσεως καὶ πιττοκοπήσεως καὶ κατακισσηρεύσεως, etiam illarum partium quæ heic tãguntur. ſed Romanorum non minor inſania, vt ex eorum ſcriptoribus apparet.

maxillis.) pectine. ſic Græci poëtæ, κτένα ὀδοντωτήν. qui de barba accipiunt, & afferunt locum Iuuenalis,

Hiſpida barba quidem, &c.

plus quàm toto cœlo & via tota errant. nam Iuuenalis ibi loquitur de eo qui militaris viri famã affectans, barbam alebat, & totam exteriorem ſpeciem horridam & verè maſculam præ ſe ferebat. quid hoc ad delicatulum inuenem de quo heic agitur? qui non minoris mollitiei in alenda, comenda, vnguentis linenda coma argumentum præbeat, quàm in cæterarum partium leuigatione?

balanatum gauſape.) eleganter capitis comam appellat *gauſape*: quod fuit genus veſtis craſſæ & villis hirtæ. quare etiã ad vſus balinearum tranſlata ſunt gauſapa. *balanatum*, μυρισθέν. Horatius in lautioris apparatus deſcriptione,

Preſſa tuis balanus capillis
Iamdudum apud me eſt.

Quinque palæſtritæ.) Quamuis multam operam ſumas, vt naturæ quæ te virum naſci voluit, illudas, omni te ratione nequiſſimè effeminans: ſemper tamen impreſſa tibi à natura viri ſigna manebunt: neq. vnquam perfecta eris fœmina, ſed horrendus & ſimilis portenti androgynus.

palæstritæ.) δρωπακισταὶ ἐῤῥωμενέστατοι, καὶ τῆς ἑαυτῶν τέχνης τὰ πρῶτα.

plantaria.) τὰς τρίχας. hanc vocem & sequentis versus primam mutuatus est à Persio Ausonius epigrammate CXXIII.

Non tamen ista filix vllo mansuescit aratro.) ὅμως οὐκ ἀκνικήσεις· ἀλλὰ τὰ ἀνδρὸς σημεῖα ἀεὶ ἀναφύσει. Ait, *ista filix*, nempe ea de qua sentit ἀλληγορικῶς: nam filix vera aratro mansuescit, id est penitus extirpata sinit se vinci. Columella libro II. *pernities filicis, frequens extirpatio est, quæ vel aratro fieri potest: quoniam intra biennium sæpius conuulsæ moriuntur, celerius etiam.*

Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.) huiusmodi λογοποιίαις alij aliorum probra publicamus.

Viuitur hoc pacto.) quid faceres? nam si speres te hoc vitium hominum posse emendare, vel auctoritate tua impedire ne de te loquantur liberè, frustra sis. quæ sunt enim hominibus adeò cognata vitia corrigi nequeunt.

sic nouimus: ilia subter Cæcum vulnus habes:) Hac igitur ratione interiorem tuam vitam cognouimus: & flagitia tua, quæ iam in publicum erumpere incipiunt, quamuis diu à te dissimulata, habemus nota: *vulnus cæcum subter ilia* appellat libidinem & flagitia clam solita à Nerone committi.

sed lato baltheus auro Prætegit.) sed flagitia quæ patrantur à te quotidie propter potentiam tuam abscondere te posse confidis: nemine audente

aut in illa inquirere, aut de iis loqui. Alludit Persius ad ictus quos acceperat noctu per vrbem petulantissimè vagans, vt scribunt Suetonius ac Tacitus: hic verò etiam addit, vulneris cicatrices ore prætulisse. baltei veterum lati erant. Virgil. quem noster imitatur,

—— *lato quam circumplectitur auro*
Balteus. —— ideò τελαμῶνες Græcis scriptoribus dicuntur: at *balteus lato auro*, duarum rerum symbolum heic est: potentiæ & diuitiarum: quæ duo sunt vitiorum magna tegumenta. Antiphanes:

Ο πλοῦτος ἐστι παρακάλυμμα τῶν κακῶν.

vt mauis, da verba, & decipe neruos Si potes.) Esto si ita vis: tu qui animo periculosissimè ægrotas, pro sano te iacta, & vendita: corruptissimis tamen moribus es: viuis turpissimè, & flagitiosissimè. i nunc & temperantiæ ac modestiæ laudem affecta. *decipe neruos* translatum ab iis, qui neruorum infirmitate laborantes, & morbis articularibus & cæteris ab eadem caussa prouenientibus, obnoxij: sanos tamen & Κρότωνος ὑγιεστέροις se fingunt, quo liberius & Baccho & Veneri seruiant.

Si potes.) quasi diceret, atqui non poteris: & dum aliis te verba dare putabis, dabis tibi: tandémq. huius stultitiæ tuæ pœnas meritas dignas lues: quod etiam euenit.

Egregium cum me vicinia dicat, Non credam?) Dum adhuc latebant flagitia Neronis, omnes illum laudabant. Ipsos Senecam & Burrhum

mitius cum eo egisse non dubium, quò perditissimum iuuenem à publica infamia vindicarent, si possent. Iam assentationes ministrorum, & mulierc ularum quibuscum semper erat, corrumpendo principi vel optimè nato satis erant. Quare non sine caussa hæc pars addita Persio: vt ab alienis assentationibus ad suam ipsius conscientiam eum reuocaret.

Viso si palles improbe nummo.) quid aliorum allegas testimonia? quin te ipse potius exploras, & tuam ipsius conscientiam interrogas? scias nullo negotio, quantum te assentatores tui & parasiti fallant. nam verbi gratia, prædicabunt illi te, vt liberalem: at si te ipse consulas innatam tibi auaritiam deprehẽdes. hoc Neroni non conuenit, quod sciam: fuit enim profusissimus & damnosissimus omnium nepotum. nam quæ de illius calumniis rapinisque narrat Suetonius capite xxxii. huic illius ætati non conueniunt: neque satis certa sunt φιλοχρηματίας argumenta: rapinas enim agebat, non amore pecuniæ, sed vt haberet quæ profunderet, & vnde suas sibi voluptates procuraret. Non igitur auarus Nero: neque hæc verba in eum competunt. Sed de industria factum à Persio, vt ab hypothesi referret se ad thesim: ne facilè omnes intelligerent, Neronem esse aduersus quem hæc satira est scripta.

Si facis in p. quicquid tibi venit amarum:) si nullum est tam fœdum, tam obscœnum genus libidinis, quo te quotidie non inquines. *amarum*

dixit propter amantium amara, quia verè πικρὸς Ἔρως aiunt poëtæ: vel propter tristes casus, qui luxuriosis sæpè contingunt, eósque miserè perdunt. nam vt Menander ait,

Μεγάλην πρᾶκαιρος ἡδονὴ τίκτει βλάβην·
Ἐξ ἡδονὴς γὰρ φύεται τὸ δυςυχεῖν.

Si Puteal multa cautus vibice flagellas.) Omnes vulgò de huius versus obscuritate queruntur: qui tamen videtur nobis non tam difficilis sententiæ quàm ancipitis. neq. verò imprudentem Persium in hanc ἀμφιβολίαν putamus incidisse: verùm de industria ambiguum sensum posuisse: vt & de Nerone aptissimè posset intelligi, & de alio item quàm Nerone conuenienter exponi. duas igitur expositiones afferemus. Prior cum superioribus verbis concinit:

—— *viso si palles improbe nummo.*

quibus auaritiam notat illius quem alloquitur. Est genus hominum improbissimorum, qui vt auaritiæ suæ faciant satis, & prædia prædiis adiungant, aurum auro accumulent, ministerio abutuntur vel innocentium iudicum. miseris enim atque incautis hominibus lites concient, quarum ipsi sunt callentissimi. ita facilè per calumniam superiores è iudiciis discedunt, & simplices homines bonis suis exuunt. huius etiam generis sunt sycophantæ, quadruplatores, litium redẽtores, & vno verbo, quicunq. ad explendam auaritiam, scientiam iuris referunt: atque vsum quem habent rerum forensium. qui versati sunt in lectione comicorum præsertim Græcorum, non

non ignorant quanta apud veteres hoc ingenio qui erant inuidia flagrarent: quod vel vnicus Theophrasti libellus aureolus quo morum notas exposuit, vbertim declarauerit. eum vide cap. Περὶ ἀπονοίας. De his accipere possumus hunc versum. *Puteal* est forum, & τὸ δικαστήριον. *flagellare Puteal* ἐμφατικῶς dictum, pro frequenter adire forum, & in turba forensi assiduè versari. *flagellare* est arctare, premere: vt apud Martialem lib. 11. *arca* dicitur *flagellare opes*, quas ægrè infertas continet. similes emphases optimis scriptoribus familiares sunt. Tertullianus de Pallio Christianos eo nomine laudat, quod non vt cæteri, *subsellia contundant*: id est, non flagellent Puteal, non ardeant studio litium: atque vt elegans verbum Marci Augusti vsurpem, οὐκ ἔχουσιν ὡσικῶς πρὸς τὰς δίκας. parem vim habent illa elegantissima loquendi genera, *forum aleatorium calfacere*, in epistola Augusti: *carcerem æstuare* in Apologetico Tertulliani, & id genus alia. Sed addit Persius *multa vibice*, ad maiorem declarationem improbitatis quam hic alienarum opum insidiator adhibebat. Adde quod vbi est turba hominum aliorum in alios incidentium, ibi rixa est, ibi verbera & vibices. τὸ *cautus* artis verbum est: proprium enim fori peritis & pragmaticis, cauere. Lucilius:

Iactare indu foro se omnes, decedere nusquam:
Vni se atque eidem studio omnes dedere & arti:
Verba dare vt cautè possint, pugnare doloſe.

quis erit tantus Marrucinus qui hanc interpre-

tationem improbare ausit? Veruntamen Neroni, vt diximus, hæc sententia nullo modo conuenit. Igitur qui Neroni volent aptare, quod videtur necessariò faciendum, ita exponant. *Si Puteal flagellas*, id est, si tanta est tua petulantia & lasciuia, vt nocturnus præmiator grasseris, cum obuiis rixam contrahēs, & pudori matronarum illudens, nullum denique insolentiæ genus prætermittens. Hoc genere insignem primum se fecit Nero, cùm foras erumperent illius probra, quemadmodū disertè scribit Dio. Tacitus quoque: *Q. Volusio, P. Scipione Coss. otium foris, fœda domi lasciuia: qua Nero itinera vrbis, & lupanaria & diuerticula, veste seruili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, & obuiis vulnera inferrent aduersus ignaros, adeò, vt ipse quoque acciperet ictus & ore præferret.* eadem Suetonius capite XXVI. Existimo circa illa tempora, aut non longe pòst scripsisse Persium istud carmen: vt valde mirer è tot interpretibus huius poëtæ nemini istius interpretationis hactenus, quod sciam, venisse in mentem. *Puteal flagellare multa vibice* est, pererrare forum & obuios cædere petulanter ac lasciuè. Tacitus *vrbis itinera* nominat, Suetonius *vicos*, in quibus furere ita solitus Nero: sed ad maiorem inuidiam Puteal, siue forum satiricus nominauit. Seneca De beneficiis libro sexto: *Diuus Augustus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegauit, & flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam no-*

cturnis comessationib. ciuitatem, forum ipsum ac Rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse. & Dio, ἡ Ἰουλία ἀσελγαίνουσα ὧν οὕτως ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ γεῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν τὸ *cautus* ad hanc sententiam appositissimũ est: verbo enim significauit quod pluribus historici. Tacitus: *Nero metuentior in posterum, milites sibi, & plerosque gladiatorum circundedit, qui rixarum initia modica & quasi priuata sinerent: si à læsis validius ageretur, arma inferebant.*

Ne quicquam populo bibulas donaueris aures.) si tibi ipse vitiorum & flagitiorum conscius es, frustra assentatorum vocibus aures accommodaueris, vt illis potius quàm tibi de te credas. bene *bibulas aures*, hoc est auidas laudationis: quia ἥδιστον ἀκρόαμα ἔπαινος, inquit ille. itaque laudati per adulationem & falsissimis onerati encomiis, sic illa excipimus, quantumuis ἀντιμαρτυρούντος τοῦ συνειδότος, quasi verissima. Seneca De tranquillitate animi: *Non est quod, nos magis aliena iudices adulatione perire quàm nostra. Quis sibi dicere verum ausus est? Quis non inter laudantium blandientiúmque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est?* Itaque magnum oportet esse virum, quem admirantium & laudantium voces assiduè personent, neq. corrumpant, iudiciúmve peruertant. Verissimè Dio Chrysostomus in XXXV. μεγάλης διανοίας καὶ δυνάμεως ἔοικε δεῖν ὅταν θαυμάτωσιν ἕνα πολλοὶ, καὶ διαφέρειν ἡγῶνται τῶν ἄλλων· εἰ μέλλει σωφρονεῖν τοῦτο ὁ ἀνὴρ, καὶ μηδὲν ἀνόητον πάσχειν, μηδ' ἐπαίρεσθαι τοῖς πολλῶν λόγοις ὥσπερ πτεροῖς. Propterea dicebat Plutarchus

in libro de discrimine adulatoris ab amico, adulatores tenere auribus prehensos homines laudari cupidos, itáque inhærere, vt excuti non possint. τῶν φιλοτίμων, ait, ὁ κόλαξ τὰ ὦτα κατέχων τοῖς ἐπαίνοις, καὶ προσπεφυκὼς δυσαπότριπτός ἐστιν.

Respue quod non es:) reiice laudationes à fortunæ bonis, aut etiam corporis: non enim id es tu: neque tuæ sunt illæ laudes. homo, vel melior certè hominis pars, est animus: huius laus vera ea est, quæ propriè homini conuenit. Seneca epistola LXXX. *Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipse consule. Nunc qualis sis aliis credis.* vel simpliciter: reiice laudes quas præter rei veritatem in te assentatores cóferunt: vt cùm semidoctum vocant doctissimú, tantum non deformem formosissimum.

tollat sua munera cerdo.) hortanti ad cognitionem sui opportunum hoc præceptum: nam ex diametro cum illo, Nosce te ipsum, pugnant sermones assentatorum. laudes immeritas vocat munera assentatoris: ipsum nominat *cerdonem:* quia parasitum agere & per assentationem laudare, proprium est abiecti hominis, & nullius rei, vt etiam Aristoteles ac Theophrastus pronuntiant. Hoc verò est quod Socrates Alcibiadem etiam & etiam admonet: videat ne sinat se à populo corrumpi.

Tecum habita.) οἰκεῖν παρ' ἑαυτῷ, & οἰκεῖν ἑαυτὸν, Philo περὶ ἀποικίας. Iuuenalis,

——— *te consule, dic tibi quis sis.*

sic, *habitare apud mentem suam*, Augustinus in epi-

ſtolis. paullò aliter εἰς ἑαυτὸν συνθύειν φεύγοντα ἀπὸ τῶν φυσικῶν παθῶν, dixit Simplicius.

noris quàm ſit tibi curta ſupellex.) noſce quàm ſis præſidiis neceſſariis ad vitam bene agendam, & adminiſtrandam Remp. deſtitutus. ſic *philoſophiæ ſupellectilem* dixit Cicero in v. de finibus. vel ita accipe: ſi tecum habitaueris, noſces quàm curta ſit tibi ſuppellex. nihil enim eſt aliud noſſe ſeipſum, niſi noſſe vitia ſua, & πρὸς τὰ κλιὰ ἀδυναμίαν. Quædam membr. *vt noris*; non ſine damno elegantiæ.

AD SATIRAM QVINTAM.

ARISTOPHANES grãmaticus, quid de Archilochi iambis sentiret interrogatus: Mihi, inquit, longissimus quisq. optimus videtur. possumus & nos de hac Persij satira idem pronuntiare: quę cæteras non magis numero versuũ vincit, quàm nitore & elegantia. caussa eius rei est: quod in aliis satiris suscepto argumẽto magis se astrinxit poëta: vt qui prodesse tantùm iis studeret, quorum vitia & mores deprauatos susceperat philosophica grauitate castigandos. sapientis autem medici non est, dum vel secando vel vrendo curationem facit, studium elegantiæ præ se ferre. hæc verò satira & pulcherrimo proœmio reliquis præstat: quo luculentissimis versibus facundissimus poëta, Annæi Cornuti præceptoris sui laudes persequitur: & hoc amplius, asperitate illa censoria atque irati magistri supercilio tristi magnam partem caret: neque enim vitia homi-

num carpere παρηγορικῶς in hoc carmine instituit, quod est munus obiurgantis: sed vulgi mentem ignorantis quæ vera libertas sit, errore liberare: quæ sunt beneuoli doctoris partes. quanquam multa & in hac satira aduersus vitia acriter differuntur: sed aliud tamen est, ipsa vitia describere, naturámq. eorum aperire, ac vitiosos obiurgare & increpationum acrimonia pudorem illis suffundere. Sunt igitur satiræ huius distinctæ partes duæ: priore amoris sui vel potius pietatis vehementiam erga præceptorem bene meritum Cornutum prolixè aperit: summam illius in se educando curam, fidē, ac beneuolentiā, suúmque vicissim erga illum amorem commemorat: laudes deniq. ipsius & totius vitæ illius institutum ac tenorem subtexit: postremò iuuentutem hortatur vt tanto viro in disciplinam se dedat. Ita fit transitus ad secundā partem: cuius initio desidiam iuuenum molliter increpat: deinde ad libertatem illos hortatur. heic Stoicum paradoxum tractare instituit Persius: OMNES PRÆTER SAPIENTEM SERVOS ESSE, NEMINEM LIBERVM: in cuius sciti explicatione ac demonstratione tota deinceps satira occupatur: de quo plura inferius sumus dicturi.

AD ANNÆVM CORNVTVM, CVIVS FVIT AVDITOR.) Præferunt hunc titulum antiquæ membranæ & Bongarsij & Puteani. paullò aliter in aliis item vetustis codicibus. AD MAGISTRVM SVVM CORNVTVM: sed

ridiculo errore, qui tamen etiam in optimi clariſſimíque Pithœi editione remanſit, pro MAGISTRVM SVVM ſcripſerunt librarij MAGISTRVM EQVITVM. Hic eſt Annæus Cornutus Stoicus philoſophus, quem à Nerone propter liberiorem de eius carminibus vocem multatum exilio referunt Dio, & Euſebius in Chronico. multa de hoc falſa & inepta Suidas, cui fidem habere caueant tirones. ex Perſio diſcimus profeſſum eſſe Romæ philoſophiam Stoicam: & iuuentuti ad ſapientiæ ſtudium magiſterio ſuo præiuiſſe. Multa eum in philoſophicis ſcripſiſſe, coniicimus ex Hieronymi ad Magnum oratorem epiſtola: putamus enim hūc eſſe Cornutum illum, ex quo multa Origenes in Stromateas ſuos tranſtuliſſe dicitur. Fuiſſe verò non ſolùm philoſophiæ cognitione clarum, ſed & aliis ſtudiis, hiſtoria arguit quam Dio narrat, de adhibito illo à Nerone in conſilium ſuper inſtituto carmine de rebus geſtis Rom. nam Neronem ab omni philoſophia fuiſſe alienum conſtat: neque verò cauſſæ quicquam erat, cur de pangendis verſibus Stoicus conſuleretur: niſi etiam eruditionis laude & diſciplinis humanioribus excultus fuiſſet Cornutus. quare Dio illum ait ὄχι παιδείᾳ εὐδοκιμῆσαι πάνυ: non autem ὄχι φιλοσοφίᾳ. cùm igitur in vtroque genere excelluerit Cornutus: quæſtionis eſt, idémne hic an alius ab hoc diuerſus fuerit Annæus ille Cornutus grammaticus, quem in Virgilium & alios poëtas commentarios ediditſſe, conſtat, & paullò

ante A. Gellij memoriam Romæ grammaticam esse professum. de hoc igitur studiosi quærant amplius: nobis quidem non videtur.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces.) Efficacissima ratio est declarandæ magnitudinis alicuius rei, cùm non posse eam declarari à nobis ingenuè fatemur. qua figura etiam mortalium facundissimus M. Tullius, ne de aliis dicam, interdum vsus est, vt in elegantissima ad Quintum Valerium epistola, quæ libri XIII. sexta est. Omnium verò primus, fons ille ingeniorum Homerus huius rei exemplũ aliis dedit, non vno loco. Homeri vestigia & Virgilius, & alij passim sunt secuti, adeò familiariter, vt tanquam communem poëtarum morem hunc notet heic Persius. Nam quia cùm aliquid ex more facimus, non certo consilio id agimus, sed ἀβούλως, solùm consuetudine, & vt ita loquar, dicis tantùm caussa: ideò Persius eodem poëtarum more vsurus, ad declarandam ingentem vim sui in Cornutum amoris: his verbis prius cauendum putauit, ne existimaretur eodem cum cæteris poëtis animo, hoc est summis tantùm labris, hoc dicere. Quare ita verba illius accipienda, quasi diceret: scio solere poëtas etiam in rebus nihili, (vt cùm veterum aniles fabulas tractant,) aut certè non adeò magnis, (vt cùm Parthica scribunt adulantes Neroni aut Corbuloni) de infantia sua queri, quasi magnitudine subiecti obruantur, & centum linguas, centum voces sibi optare: ego verò de te scripturus Cornute, opto quidem mihi cen-

tum linguas totidémq. voces, recepto hoc poëtarũ more: sed non quomodo illi, verùm ὑποβλητικῶς & planè ex meo sensu: vt qui imparé me sentiam exprimendis tuis in me summis meritis, & mutuo amori nostro, qui παντὸς λόγου πέρα ingens est, eloquendo. ita expleri debet sententia, quam quatuor primis versibus inchoatam solùm posuit poëta: impeditus ne eam perficeret Cornuti interpellatione: cuius sermonem posteà excipiens, sententiam quam heic inchoauerat, absoluit.

centum sibi poscere voces.) tria ponit, voces, ora, linguas: quæ omnia significant rem eandem: imitatur Homerum, qui similiter posuit, γλῶσσαι, στόματα, φωνὴ. Virgilius, linguas solùm & ora. sed numerus est à Virgilio: nam Homerus dixerat δέκα.

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.) siue tragœdiam aliquam scribant, quam posteà histrionibus tradituri sunt, acturis illam in scena μάλα ἐμπαθῶς. ideò ait *mœsto* & *hianda*. Et poëtæ qui ex historia fabulari tragœdias componebãt, & histriones qui agebant, non veros affectus exhibebant, sed simulatos. *hiare* est cum vehementia tragico argumento conueniente pronuntiare: quod diligentissimè præstabatur ab histrionibus tragœdiarum: qui propterea in primo Athenæi dicuntur ἐνθουσιᾶν, Tatiano δαιμονᾶν. apud rhetoras, hiatus orationis vitium est, peccantis in dictionum σωφίσει, cùm liberæ respirationis incommodo. inde factum, vt dithyrambicis

poëtis & tragicis qui ampullatis sæpe & sesquipedalibus verbis vsi, hiatus tribuatur quomodo & Græci χαίνειν de illis vsurpant.

Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrũ.) Obiter perstringit Persius eos poëtas qui vt Neronem laudarent & proceres alios Rom. Parthica scribebant, & res Romanas assentatoriè in maius extollebant. non est enim dubium multos eam viam adulandi Neroni institisse, & prosa & versu. nam & qui sub Traiano & Hadriano vixerunt, fecerunt idem: & admodum quidem ridiculè. vt apparet ex Luciano, qui illorum nonnullos carpit nominatim in libro De scribenda historia. de rebus Parthicis sub Nerone accuratè Tacitus. *Vulnera Parthi*, & actiuè & passiuè potest accipi: sed illud heic potius.

ducentis ab inguine telum.) Iaculandi modus apud varias gentes varius. Eustathius triplicem commemorat, παρὰ μαζὸν, à mamma: παρὰ τὸ δεξιὸν ὠτίον, ab auricula dextra, hoc est à capite, & vt ait Euripides Hippolyto, παρὰ χαίταν ξανθάν· παρ' ὦμον, ab humero. adde alium modum ab inguine: quem morem Parthis tribuit hic Persius. Propertius lib. IV. Gallis,

Illi virgatis iaculantis ab inguine braccis.

Quorsum hæc?) Fingit Persius adfuisse sibi Cornutum satiram hanc scribere incipienti. ille igitur magistri iure vtitur, & discipulum qui videbatur moderati stili modum velle excedere, & μεγάλα φυσᾶν, in ordinem cogit hac modesta reprehensione.

aut quantas robusti carminis offas Ingeris.) Bonorum poëtarum carmina commẽdantur à subtilitate, facta translatione ab operibus Mineruæ: ideò *deducta* solent dici. Horatius,

Cùm lamentamur non apparere labores
Nostros & tenui deducta poëmata filo.

Iuuenalis,

Sed vatem egregium cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere. --

contrà cùm aliena vituperabãt, aut sua extenuabant, *crasso filo composita* dicebant, vt M. Tullius suam pro Deiotaro: sic *laborata soloci filo cantilena* apud Symmachum. ab eadem mente, etsi diuersa translatione, Persius malum poëtam & tumidum *offas carminis* ait *ingerere*, quod contrarium est τῷ *deducere*. translatum verbum è pistorum, vel cocorum operibus. *offa carminis robusti*, carmen non deductum, sed ampullatum, turgidum, atque inelaboratum. Iuuenalis in alia re eandem vocem satirico cachinno aptauit:

—— *& patruo similes effunderet offas.*

satira secunda. *offa* est ὄγκος, propriè pultis, vt indicat Plinij locus libro XVIII. cap. VIII. ita etiã vocantur illi globuli quibus aues altiles farciuntur.

Ingeris.) profers in publicum, & lectoribus tuis obiicis. at veræ offæ inseruntur non ingeruntur.

centeno gutture niti.) Quidam *gurgite*. omnes veteres *gutture. niti* pro habere, fultum esse. sic Græci suum ἐρείδειν variè vsurpant.

Grande locuturi.) κατάχρησις in voce *grande*. vide ad primam.

nebulas Helicone legunto.) Vide ad illud,

—— *Heliconiadásque pallidámque Pirenen.*

leuia & quæ sola specie sunt magna, νεφέλας Græci, Latini *nebulas* dicunt. quod propriè referendum ad ὁμίχλας, & quas νεφέλας ἀΰδρους vocat D. Iuda in epistola sua. Aristoteles 1. Meteorolog. νεφέλας ἀγόνους, alibi μήπω γονίμας: quibus opponuntur οἱ γόνιμοι & πλωϊάδες.

Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ Feruebit.) Vt sæpè apud philosophum γεννᾶν τὸν οὐρανὸν ij dicuntur, qui scribebant cœlum fuisse genitum, siue creatum. apud Theophrastum & Plautum αἱρεῖν τὰς πόλεις, *vrbes capere*, illi qui vrbiũ ἁλώσεις narrabat: ita heic, feruere illis dicitur olla Procnes aut Thyestæ, qui tragœdias componunt vel de Tereo qui filium Ityn sibi appositum imprudens edit: vel de Atreo qui similibus epulis Thyestam fratrem pauit. notæ sunt fabulę. Plautus Rudente,

Scelestiorem cœnam cœnaui tuam,

Quam quæ Thyestæ quondam apposita est & Tereo.

sæpè insulso cœnanda Glyconi.) quam tragœdiã Glyco tragœdus sit sæpius acturus. *cœnare* heic est agere fabulam cupiditate cœnæ, siue mercedis, vnde se ipse alat. *Glyco* tragœdi alicuius nomen vocis absonæ, quem obiter satiricus irridet, Ex hoc loco discimus, fabulas quæ semel populo placuerãt, sæpius reponi & ἀναδιδάσκεσθαι solitas: quod & scriptores alij Græci ac Latini testantur.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino Folle premis ventos.) Solent præceptores discipulos εὐφυεῖς laudando magis quàm obiurgando in officio continere. propterea Persius nihil veritus Cornutum heic inducere, ipsius laudes commemorantem. Laudat autem Persium Cornutus κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. prius separans à malis poëtis & vitia commemorans, quibus careat: deinde virtutes recensens quibus sit ornatus. Quid tibi vis, inquit, cùm malos poëtas imitaris? nam tu non is es qui malis & ineptis poëtis debeas annumerari. tribus autem notis malum poëtam χαρακτηρίζει: prima est, quod *folle anhelanti premat ventos, coquitur dum massa camino.* id est quod ambitione tumidus, sicut folles concepto vento tument, ab illa impellatur ad scribendum. expressus locus ex Horatio: de quo plura diximus in diatriba de imitatione Horatij.

nec clauso murmure raucus Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè.) Altera nota poëtæ insulsi: quod famam captare solet singularis cuiusdam contentionis atque assiduitatis in studiis: quæ vanitas ab eodem fomite ambitionis peruersæ manat. isto animo qui erant, solebant soli in publico cõspici, vultu tristi, & secum aliquid murmurantes. hæc enim omnia meditabundum hominem exprimunt, & qui in seria cogitatione aliqua sit defixus. non dissimilis infelicium oratorum insulsitas ridetur ab Aristophane in Equitibus:

Ἀλλ' οἶσθ' ὅ μοι πεπονθέναι δοκεῖς; ὅταν τὸ πλῆθος

Εἴπου δικίδιον εἶπας εὖ, κατὰ ξένου μετοίκου,
Τὴν νύκτα θρυλλῶν, τὰ λαλῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ
Ὑδωρ τε πίνων, κἀπιδεικνὺς, τοὺς φίλους τἀνιῶν,
Ὠὼ δυνατὸς εἶναι λέγειν. ὦ μωρὲ τῆς ἀνοίας!

cornicaris tecum clauso murmure. est quod dixit comicus, λαλεῖς ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ. *cornicari* est solùm ambulare more cornicis. de qua Virgilius,

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

de murmure meditantium dictum ad satiram III. *graue* est μετὰ σκυθρωπότητος: sed melius iungas, *nescio quid graue*, vt in satira prima, *grande aliquid.*

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.) Tertia nota: quod soleant imperiti poëtæ τὴν γνάθον φυσᾶν, hoc est inflati esse. potest hoc vel ad mores referri: quia imperitissimus quisque & ἀφυέστατος, plurimum sibi in literis tribuit: vel ad scripta, & illum quem paullò antè dicebamus hiatum carminis, & κομποφακελλορρημοσύνην, vt diceret comicus. *stloppo* scriptum inuenimus non *scloppo* in omnibus antiquis membranis, non solùm Persij, sed etiam Prisciani. vox est eleganter ficta ad exprimendum illum sonum, quem buccæ inflatæ, & ictu collisæ edunt. Glossæ veteres *stloppus* ποιφυγμός. apud Marcellum Empiricum capite XXVIII. in carmine ad rosus, *Stolpus à cœlo cecidit.* scribe, *stlopus.*

Verba togæ sequeris.) sequitur laudatio κατὰ θέσιν. prima laus, ἡ τῶν ὀνομάτων ἐκλογή. & est reuera prima vel primæ proxima oratoris aut poëtæ laus, electio recta verborum. Tu, inquit, vteris verbis

in communi vsu positis, non ex vltima antiquitate repetitis, vt quidam inepti faciebant, sicut ad primam dicebamus. non etiam ampullatis & sesquipedalibus. *verba togæ* quibus vtuntur oratores in foro: vbi καλλιεπείας ἀγὼν ἐξετάζεται.

iunctura callidus acri.) altera laus: quod sit ἔμπειρος τῆς κρήνης τῆ λόγου συνθέσεως. electionem verborum proximè sequitur eorundem compositio recta: de quo tam multa præcipiunt rhetores. Seneca etiam epistola CXIIII. eos reprehendit, qui studio exasperandæ orationis in hac parte peccarent de industria: *nolunt*, inquit, *sine salebra esse iuncturam, virilem putant & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat.* contrarium huic vitium illorum, quorum compositio erat modulatio, vt ibidem scribit Seneca. inter vtramque est illa *iunctura acris*, quæ heic commendatur à Cornuto.

Ore teres modico.) Tertia laus ab elocutione concinna neque humili, neque inflata. *teres* scripsimus cum membranis Iacobi Bongarsij. quid sit *teres oratio* declarat M. Tullius in III. De oratore hoc modo. *Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiris, est plena quædam & tamen teres ac tenuis, & non sine neruis ac virib.* sed Persius suo more ad verba Horatij respexit, *ore rotundo loqui.* sic apud comicum στρογγύλον τόμα, & στρογγύλα ῥήματα, & passim apud rhetores στρογγύλη λέξις, siue τὸ στρογγύλον τῆς λέξεως: quod tamen non ita generaliter apud illos accipitur. Alij libri vulgò edunt *teris*: quod si cui placeat, repetendum erit

è versu

è versu præcedenti, *verba togæ*. erit autem *ore tenere verba* idem ac loqui, verba vsurpare siue scribendo, siue loquendo. Horatius:

—quid nunc esset vetus, aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus vsus?
pallentes radere mores Doctus.) Quarta laus, à genere scriptionis: sanctè enim viuere eum oportet, qui sit paratus in alium dicere: ac multò magis, qui satirica scriptione publicos mores hominum obiurgare instituat, vt fecit Persius. *doctus* & nomen esse potest pro σοφὸς, δεινός: & participium pro διδαχθεὶς: quod bene Cornuto quadrat: qui Persium κατ' ἰδίαν docuerat. Satiræ proprium est, ridendo dicere verum: duo igitur ἰδιώματα scriptionis satiricæ: reprehendere, & ridere. quare Cornutus ab vtraque hac proprietate satirographum Persium denotauit. prior cõtinetur his verbis. *radere*, reprehendere, vt in prima. *mores pallentes*, οὐχ ὑγιεῖς. Sequitur altera proprietas, *& ingenio culpam defigere ludo*, quod quasi ridens ludénsque vitia carpat. *defigere* est validè figere. heic est, nõ leui nota aspergere, sed quæ hæreat, vt quæ probè sunt in terram defixa. videtur alluſum ad obelos criticorum, & propria eius artis vocabula, κεντεῖν, σίζειν, *compungere*, *confodere*, & similia. non malè etiam exponas, *defigere ingenuo ludo*, salibus & acrioribus iocis ceu colaphis petere. sic in Persa Plautus:

—te hodie defigam in terram colaphis.

non probo vt referamus ad magicas defixiones, & κατὰ δέσμους. *ingenuus ludus*, qui illiberali atque

obscœno opponitur: quales sunt αἱ ἐπονείδιστοι παρὰ τὸ βδελυρόν apud Theophrastum.

Hinc trahe quæ dicas.) Confirmat Cornutus Persium in proposita studiorum ratione: quasi dicat: fac vt quæ dices scribésve, ab eadem mente orta se probent, ex qua priora tua scripta: eandem stili temperiem serua: idem argumentum vrge, & perge satiras scribere.

mensásque relinque Mycenis.) *mensas* nempe Atrei. *Mycenis* omnes membranæ, non *Mycenas* quod esset pro Mycenæas Μυκηναίας. vel Mycenenses, vt apud Tullium.

Cum capite & pedibus.) Seneca ait manibus. in Thyesta:

Denudat artus dirus atque ossa amputat:
Tantùm ora seruat, & datas fidei manus.

plebeiáque prandia noris.) omitte & argumenta tragica, & omnem orationis vanum tumorem.

Non equidem hoc studeo.) Excusat se modestè Persius apud præceptorem: dicítque iustam sibi causſam esse talis voti faciendi quale supra cœperat facere: rem enim magnam esse quam velit, si posset, eloqui: non leue aliquid, ac nugatorium, vt ferè sunt illa quæ tumidè adeò vulgò poëtæ soliti sint tractare.

bullatis vt mihi nugis Pagina turgescat.) *bulla* symbolum vanitatis. Varro, *homo bulla.* ἄνθρωπος πομφόλυξ, id est ματαιότης. inde *bullata*, vana & ματαιότητος plena. *bullatæ nugæ* heic argumenta inania, quib. opponuntur apud Polybium & alios Græcos παγκαπικὰ scripta: inania inquam, siue

argumento, siue scribendi genere. sic *crepantes adulationum bullas*, dixit Sidonius Apollinaris in septima libri primi. etiam Græci πεμφόλυγας & παφλάσματα similes scriptiones vocant: vnde vocem composuit facetissimus comicus, πεμφολυγοπαφλάσματα. Sed in omnibus scriptis manu libris, quibusdam etiam editis, inuenimus constanter *pullatis*: quam lectionē & antiqua scholia agnoscunt. *pullatæ nugæ*, quæ pullatis & vilis popelli iudicio sint probandæ: nam *pullati* apud Plinium, Suetonium atque alios vocantur ὁ χυδαῖος ὄχλος. nec malè vetus interpres, quisquis ille fuit, de tragicis argumentis interpretatur ex iis quæ præcedunt: semper enim in tragœdiis reges pullati, hoc est mœsti & aliquo ingenti casu tristes inducuntur. In veteri Bongarsij expositum inuenimus, *nigris mendaciis*.

dare pondus idonea fumo.) leuissima: cuius pondus non sit maius quàm fumi pondus. Græci Latiníque leuia vocant fumum. locutio est ab Horatio.

Secreti loquimur.) adeò cupiditate gloriæ ad hæc scribenda non impellimur, sicut isti aretalogi κομπασταί, vt te vnum spectem cùm hæc scribo: neque aliter tecum fabulari heic cupiam, quàm si vnâ essemus ac secreti loquentes pectorum arcana inuicem nobis aperiremus. Amici cùm de rebus suis liberè confabulari volunt, secretum petunt: ideò Persius secretum se loqui ait cum Cornuto, hoc significans, nihil ficti, nihil simulati se heic dicturum: sed omnia ἐξ ἀπρο-

κέος νόος, vt ait Theocritus, & vt est apud tragicũ, ἐξ ἄκρου μυχοῦ ψυχῆς.

tibi nunc hortante Camœna Excutienda damus præcordia.) quasi dicat, cepit me impetus aperiendi tibi pectoris mei intima viscera. sed quia versu scribit, ideò ait, *hortante Camœna*: quomodo autem hoc carmine præbet amico pectus suum excutiendum? nam possumus quidem familiari scriptione declarare affectum nostrum: sed præbere explorandum animum ea ratione non possumus. referrem inter ὄμοια licentiæ poëticæ: nisi in promtu esset excusatio non vana: ita locutum poëtam, quia præsentem fingit Cornutum. item alia: quòd hac compellatione faciat potestatem Cornuto experiendi animum suum qua voluerit cumque ratione: sicut disertè mox sequitur.

quantáque nostræ Pars tua sit Cornute animæ.) quam non dimidia pars animæ nostræ tu sis, vt olim sapiens dixit: sed pars & melior & maior. sic Statius Metium Celerem vocat *animæ suæ partem meliorem.* Rutilius in Itinerario: *Victorinus enim nostræ pars maxima mentis.* & ita multi Latini. tractat pluribus hanc sententiam de se & Basilio loquens Gregorius Nazianzenus in illius epitaphio. idem alibi ad exprimendam coniunctionem voces illas vsurpat, συμψυχίαν & συμφοίαν. contrà Simplicius amicitiæ vtilitatem explicás, per hanc vnumquemque amicorum plures animas plura corpora habere ostendit.

pulsa, dignoscere cautus Qu.) postquam dixit se

facere poteſtatem Cornuto experiundi ſui, nunc hortatur vt faciat. & rationẽ adiicit: potes enim. non mediocris laus eſt, quæ heic tribuitur Cornuto: ſcire illum diſcrimen facere inter amicum verum & falſum, ſiue adulatorem. quod quàm difficile ſit, diſcere poteſt, ſi quis eſt qui neſciat, diſcat licet ex vtiliſſimo Plutarchi libello, quem deea re compoſuit. *pulſa*, κροδε vel περίκρουε, vt fit in fictilibus: ſuprà ad tertiam. item διακροδώνιτε: quam vocem hoc ſenſu amat ponere beatus Chryſoſtomus.

Quid ſolidum crepet.) Auſonius in Pythagorica acroaſi:

Sit ſolidum quodcunque ſubeſt: nec inania ſubtus
Indicet, admotus digitis pellentibus ictus.

& pictæ tectoriæ linguæ.) Non videtur dubitandum quin hæc vera ſit lectio: non poſſum tamen prætermittere, quod inueni in tribus antiquiſſimis codicibus: vbi ſummo conſenſu *plectoria* ſcriptum pro *tectoria*. an ſub mendo manifeſtario lateat aliquid cogitent docti.

His ego centenas auſim depoſcere voces.) *His*, ad iſta, ad declarandum meum in te animum, & iudicium de te. variat lectio in optimis libris: nam *hic* præferunt alij: nulla ſententiæ mutatione. *centenas*, ſi legas *his*, erit ad ſingula horum optare non dubitauerim centum voces. ſi ſcribatur *hic* pro centum ſimpliciter poſitum, vt ſæpe apud poëtas.

vt quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi.) Obſerua dictionum vim: *fixi*, non *repoſui*. vt, *manet*

alta mente repostum: & sæpe poëta ἐνὶ φρεσὶ κατθέσθαι. facilè moueri possunt, quæ posita sunt aut recondita. at fixa, & quæ vi adacta, hærent. deinde, *sinuoso pectore*, hoc est, in omnibus etiam intimis animi recessibus. sinus animo tribuit, vt Græci κόλπους.

Voce traham pura.) in publicum proferam, & & palàm faciam. *trahere* pro dicere, vt *dare* sæpe. *da Tityre nobis.*

totúmque hoc verba resignent.) Lucilius:

——*salutem fictis versibus Lucilius,*
Quibus potest impertit, totúmque hoc studiosè & sedulo. apud Nonium in *sedulo.*

sed non videtur perfecta esse sententia.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.) *fibra arcana*, intimi cordis recessus. iunge *latet non enarrabile*, mea nempe lingua: ideò ad hoc enarrandum, ——*centenas ausim deposcere voces.*

Cùm primum pauido custos mihi purpura cessit.) Tanti sui in Cornutum affectus caussam exponit: vsum se illo præceptore, diligentissimo, fidelissimóque: & eo quidem tempore, quo maximè illi opus erat rectore: quando ex ephebis egressus, sumta virili toga, ceperat vitæ suæ modum habere. hæc est illa ætas periculosa iuuentuti: qua quidem aut virtutis aut vitij iter ingreditur, quod ferè deinceps insistit. propterea Persius vt magnitudinem beneficij in se à Cornuto collati amplificet, periculum suum exaggerat, multísque versibus lubricum eius ætatis describit.

Cùm primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit.) quando primùm poſui purpuram, id eſt togam prætextam quæ puero mihi & in tenera illa ætate verſanti, pro cuſtode fuit. Antiquiſſimum Ro. inſtitutum fuit, vt pueri ad pubertatem vſque toga amicirentur purpurâ prætexta. cuius moris originẽ ſimul & cauſſam variè explicat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. VI. Sed de cauſſa Perſium ſequamur: qui purpuram pueris attributam ait, *cuſtodem pauidis*: eſt enim illa ætas obnoxia alienæ vi: maximè autem τῶν παιδομανούντων, quorum flagitia præcipuè timebantur, vt Græci Latiníque paſſim teſtantur. ideò apponi ſolitus cuſtòs lateri puerorum pædagogus: cuius hoc primum officium, vt docet Quintilianus libri primi cap. II. Horatius de ſuo patre:

—— *mi ſatis eſt, ſi*
Dum cuſtodis eges, vitam famámque tueri
Incolumem poſſim. ——

idémque alibi iure gloriatur, patrem ſuum ſibi adfuiſſe cuſtodem omnes circum doctores. hoc eſt, pro pædagogo ſibi fuiſſe. eandem ob cauſſam dabatur & cuſtos alter, purpura nempe. Ea veſtis ſacra habebatur dicebatúrque, vt apud Appianũ, ἱερὰ ἐσθὴς tribunorum plebis. quare qui purpura vtebantur, eo ipſo nomine, venerabiles & ſancti habebantur: vt ſi quis contumeliæ vel iniuriæ cauſſa purpura inſignitos attrectaſſet, non hominum tantùm, ſed & deorum iura violaſſe intelligeretur. hanc enim vim res habuit. Fabius declamatione CCCXL. *Ego vobis allego etiam illud*

sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem. & alibi: *expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti.* quoniam vt domus sua cuique sacra, sic virgini sua prætexta. hæc est quæ dicitur *maiestas matronarum & maiestas pueritiæ*, vt dicebamus ad Trebellij Pollionis Gallienos. quam eandem maiestatem alia ratione tribunis suis pop. Ro. conciliauit: nouo & inusitato honoris genere diis consecrando. cuius rei argumentum affert Plutarchus, quod si fortè tribunus in publico ambulans caderet & humum tangeret, expiari illum oportuit: quod in rebus tantùm sacris fieri solebat. locus Plutarchi ita scribendus Quæstionum Rom. capite LXXXI. τὸν δήμαρχον τῇ πυῇ ποιοῦσιν ἱερὸν & ἅγιον, & ἄσυλον· ὅπου καὶ βαδίζων ἐν δημοσίῳ πίπτῃ, νόμος ἐστὶ καθαίρεσθαι & ἁγνίζεσθαι τὸ σῶμα, καθάπερ μεμιασμένον. καρσοφρεπὲς illud, *purpura cessit mihi*, hoc est, me reliquit, siue relicta est à me. *cessit* videlicet, vt iam annis maiori: vel etiam vt hosti: nam grandiusculis pueris inuisa purpura propter expectationem libertatis post sumtam virilem togam.

Bullâque succinctis Laribus donata pependit.) De bulla puerorum fusè ibidem Macrobius. & hanc & togam prætextam cùm ponebant, diis appendebant, vt dicebamus ad satiram secundam. Laribus nempe, in quorum conspectu pueritiæ insignia moris erat ponere. *succinctis* autem id est, εὐζώνοις, quia habitu peregrinantium erant Lares, pellibus amicti, cum cane comite.

Cùm blandi comites.) cùm assentatores, parasiti & similes iuuenum latera cingere solent, nudata à pædagogis, & magistris, qui erant comites ingrati & inuisi.

totáque impune Suburra Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.) cum toga libera & virilis assumta, dat potestatem, amori si ita lubeat, indulgendi: & toto illo infami Suburræ vico quærendi Lesbiam aliquam vel Laïdem. Propertius libro III.

Vt mihi prætexta pudor exuelatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter.

Plutarchus De audiendo: καθάπερ Ηρόδοτός φησιν ἅμα τῷ χιτῶνι συνεκδύεσθαι τὴν αἰδὼ τὰς γυναῖκας, οὕτως ἔνιοι τῶν νέων ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι συναποθέμενοι τὸ αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι, καὶ λύσαντες τὴν καταχρηματίζουσαν αὐτοὺς περιβολὴν, εὐθὺς ἐμπίπλανται τῆς ἀναγωγίας. Toga virilis alba erat sine purpura. *vmbo togæ*, est centrum plicarum in toga. sic enim lautiorum toga componebatur, vt corrugata in multa πτύγματα clypei speciem præberet: cuius centrum propriè appellatur vmbo. sed de togæ vmbonibus ac tabulatis accuratè disputamus in libris De re vestiaria. *Suburra* infamis Romæ vicus ob inhabitantes lupas. notum ex poëtis.

Cúmque iter ambiguum est.) alludit ad Herculem Prodicium.

& vitæ nescius error.) philosophiam vitæ magistram vocant Cicero, & Seneca. huius contrarium est *error vitæ nescius.* hoc est ignoratio eo-

rum quæ sunt necessaria ad vitam bene instituẽdam. Vitæ autem via quædam est, quò respexit Pythagoras. Basilius Magnus in primum psalmum rem fusè explicat: item in ea περὶ τοῦ μὴ πορεύεσθαι τοῖς βιωτικοῖς.

Diducit trepidas ramosa in compita mentes.) apud Seruium malè scriptum *Traducit.* Pars librorum *Deducit:* alij *Diducit.* quod rectius, vt dictum ad tertiam. *ramosa compita*, litera Pythagoræ, de qua satis ibidem.

Me tibi supposui.) in disciplinam dedi. ὑποτέταχα φέρων ὑποτέθεμαι, vt loquitur Plutarchus in eadem re: etsi de grandioribus προβάλλειν dicunt Græci potius quàm ὑποβάλλειν. ridiculi sunt qui ad suppositionem partus putãt alludsum. præcipua discipuli laus, vt magistro obedientem se præbeat. hanc ὑποτάττω Cornuto se præstitisse hoc verbo significat: propius sit vero, alludsum ad oua quæ supponuntur gallinis fouenda: vt *suscipere sinu* sit ἐπωάζειν. In veteri Bongarsij legitur,

Me tibi sepositi: —— & apposita est interpretatio, *ad te segregaui.*

Socratico Cornute sinu.) suscipis me fouendum in sinu tuo. qui es Socraticus philosophus. etiam Stoici è Socratis schola, tanquam ex equo Trõiano prodierunt: nam inter Socratis γνωρίμους & discipulos Antisthenes: huius Diogenes, præceptor Cratetis Thebani, quo vsus doctore Zeno. Adde quod, tota moralis doctrina, quam propriè Seneca aliíque philosophiæ nomine intelligunt, à Socrate est. itaque omnes illæ τῶν

ἠθικοὶ αἱρέσεις quas in præfatione Laërtius nominat, & item aliæ quarum Cicero ac cæteri meminerunt à Socrate & originem & commune nomen sunt nactæ. quare *Socraticus sinus* est institutio in morali philosophia.

tunc fallere sollers Apposita intortos extendit regula mores.) tunc disciplina tua, qua me imbuisti, direxit prauos mores meos, sensim atque ita vt asperitatem nouæ disciplinæ vix vllam sentirem. duo dicit Persius: correctam priorem vitam suam à Cornuto, postquam se illi in disciplinam dedit: & ita leuiter correptum se atque ab obliquis tramitib. in rectam viam fuisse traductum, vt repentina vitæ mutatione & nimio rigore disciplinæ non offenderetur. egregia laus Cornuti: est enim cum primis difficile atque arduum, præceptorem inuenire qui bene & cõmodè iuuẽtutem ab voluptatum studio ad amorem virtutis flectat, & sine tædio quò vult ducat. hæc docendi ratio est, quæ Persio heic dicitur, *regula fallere sollers:* quæ non ἀθρόως, sed ἐν προσαγωγῇς discentis animum inflectit: vt prius sentiat se emendatum quàm emendari: prius perductum se ad sanitatem gaudeat, quàm medicamenti amaritudine offendatur. *regula apposita*, & *intorti mores* ab arte fabrili sunt eleganter translata. sic passim Græci τῷ κανόνι τὰ σκολιὰ ἀπευθύνειν. vel τῇ προσαγωγῇ τῦ κανόνος τὰ διεστραμμένα εἰς εὐθύτητα μεταξάλλειν. *extendit* pro dixerit, correxit. translatum à perpendiculari funiculo: qui tum demum est rectus quando est intensus. contrà

pro extendere *corrigere* dixerunt. Plinius de Milone lib. VII. *malum tenenti nemo digitum corrigebat.* ita autem scripta lectio, non *ostendit.* τὸ *fallere solers*, etiam hoc modo est interpretari: tunc vitæ meæ prioris errorem correxit, institutio tua, & ea quam abs te accepi recti notitia: quæ eo difficilior est, quia sæpe,

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

mihi prior interpretatio quam & vetus sequitur, acutior videtur ac melior.

Et premitur ratione animus vincique laborat.) *Animus* heic, non est totus animus, sed pars tantùm illius. Est in animo nostro pars ratione prædita, pars rationis expers: hæc duplex est: nam aliud est ἄλογον quod prorsus ratione caret: vt ἡ θρεπτικὴ δύναμις, & facultas vegetatiua, quæ maximè in somnis ἀνεργεῖ. aliud τὸ ἄλογον μὲν, λόγου δὲ πῆ μετέχον, ait philosophus. hinc illa pugna in animo continentis. ineſt ratio, quæ deterret à vitiis: ineſt & ἄλλο τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκὸς, inquit Aristoteles, ὃ μάχεται καὶ ἀνανεύει τῷ λόγῳ. idem igitur heic *animus*, ac perturbatio & vitium: vt cùm aiunt vulgò Græci, τὸ πάθος τοῦ λογισμοῦ πείζον χεή. cùm addit,

——— *vincique laborat.*

hoc vult quod ex Aristotele modò dicebamus: partem illam animi rationis expertem parere tamen rationi esse aptam. diuersa autem notione vox *animus* heic repetenda: neque enim verè dixeris partem illam sequiorem laborare, aut omnino velle vinci: sed nec rationali parti hoc

conuenit: quæ vincere laborat, non vinci. verùm animus in vniuersum consideratus is est, qui vinci illam sui partem cupit nactus meliorem institutionem, atque in eo laborat altera sui parte.

vincíque laborat.) rectè *laborat.* est enim labor ingens, & certamen arduum quando vitia domare nitimur, & vt ait Æschylus, σφριγῶντα θυμὸν ἰσχαίνειν βίᾳ. videtur Persius imitatus Plautinum illud in Trinummo:

Certum' st ad frugem applicare animum: quanquam ibi animo
Labos grandis capitur. ——;

Gregorius Nazianzenus:

Πράγματα δ' οἷα δοκεῖς πάσχειν ψυχὴν πολεμοῦσαν
Σώματι, καὶ κόσμῳ ἀντικαθεζομένην;

Artificémque tuo ducit sub pollice vultum.) & ita animus meus tua disciplina totus immutatur, atque ex deprauato emendatus, è malo euadit probus. Iuuenalis in VII. imitatur hunc locum, & quasi ex professo illustrat:

Exigite vt mores teneros ceu pollice ducat
Vt si quis ceræ vultum facit. ——

Statius quoque in prima Achilleidos eandem similitudinem vberius tractauit. Ait enim de Thetide filium suum non ad virtutem, verùm ad mollitiem instituente,

Incessum motúmque docet, fandíque pudorem
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas; ignémque manúmq. sequuntur
Talis erat diuæ natum mutantis imago.

ex verbis Iuuenalis non sine ratione aliquis putet legendum in nostro, *ducit ceu pollice*. sed nihil mutandum: nam Iuuenalis ita molliuit, quod duriusculè dictum fuerat à Persio. translatio est à statuariis, qua & satira prima vtitur. *pollice ducere* familiaris Claudiano phrasis. *animus ducere vultum* dicitur, quando bonis moribus informatur: quorum persæpe dat significationem vultus: vt modestiæ aut immodestiæ, iræ aut ἀοργησίας, spei bonæ, aut meticulosi ingenij. Sed cur ait Persius *artificem vultum*? videtur enim αὐτῷ πρέπον, vt vultum qui fingitur appellet artificem: immò artifex est pollex qui fingit nō opus quod fingitur. Vni, opinor, è tot interpretibus Britannico venit in mentem huius absurditatis. ait verò ille esse antiptosin accusatiui pro ablatiuo. parum rectè: nam antiptosis locum habere non potest, vbi ea admissa sensum peruertit. tolerabilius dixisset esse hypallagen. Nos existimamus vel *artificem vultum* παρηγμένος dictum, pro magna cura atque arte laboratum. sic *artifex nodus* apud Macrobium libro III. capite XIII. vel scripsisse Persium, *Artificíque tuo ducit s.* — ignoratio huius Latinitatis, *ducit vultum sub tuo artificis pollice*, corrupit hunc locum. sic autem sæpissimè Cicero, & omnes veteres. in epistola ad L. Paulum Cos. *me consulem tuum studium adolescentis perspexisse*. M. Cato Ciceroni, *tuam virtutem cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris*. Liuius, *vt noster duorum euentus ostendit*. alibi, *nostro duorum euentu*. ita Græci: Homerus,

Δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος.

Sophocles τἀμὰ δυστήνου κακα. ita ergo, *tuo artificis vultu.* Idem erit ſenſus ſi legas,

Artificíque tuo d. ſ. p. v. -- ſanè in ſuperiore Statij loco non *artificis*, ſed *artifici* legit Priſcianus lib. VII.

Tecum etenim longos memini conſumere ſoles.) Hoc verſu & tribus ſequentibus ſummam familiaritatem deſcribit, quæ illi fuerat cum præceptore ſuo Cornuto: apud quem videtur vixiſſe dum philoſophiæ ſtudiis imbueretur. Vetus ſcriptor vitæ Perſij, *Cùm eſſet annorum ſedecim amicitia cœpit vti Annæi Cornuti, ita vt ab eo nuſquam diſcederet: à quo introductus aliquatenus in philoſophia eſt.* paullò pòſt: *Vſus eſt apud Cornutum duorum conuictu doctiſſimorum & ſanctiſſimorum virorum. longos conſumere ſoles* eſt, dies totos tranſigere. ſic ἥλιον vel ἡμέραν ἀνδρίσκειν Græci: & μακροὺς παραλλάττειν ἡλίους apud Nicephorum Gregoram. Callimachus in epigrammate καταδύειν τὸν ἥλιον: quod παροιμιακῶς Dio Chryſoſtomus vſurpat de eo qui fruſtra tempus terat.

Et tecum primas epulis decerpere noctes.) conuiuia paullò ante noctem, hoc eſt, poſt horam decimam à ſobriis adibātur, & in primam noctem protrahebantur. *primas* itaque *noctes* ſiue vnam aut alteram horam noctis cibo ſumendo impendebant. longè erant alia quæ vocabant intempeſtiua conuiuia: quæ adpetere diſertè vetantur ſtudiorum liberalium ſectatores, lege trium Auguſtorum in Codice Theodoſiano.

Vnum opus & requiem pariter disponimus ambo.) id est, sine vlla intermissione vnâ eramus: vnâ studebamus: vnâ cessabamus. vitæ vniuersæ duæ sunt partes, otium & negotium: σπουδὴ καὶ σχολή. pro *vnum*, malim,

Vnâ opus & requiem pariter disponimus. - aliter tamen veteres. ita igitur accipe, vnum opus, & requietem eandem pariter disp. imitatus est istum Virg. versum:

Omnibus vna quies operum, labor omnib. idem.

Atque verecunda laxamus seria mensa.) iam dixit,

Et tecum primas epulis decerpere noctes.

cur repetit? quia vel præcipuum testimonium est arctæ amicitiæ salis & mensæ communio. ἡ γὰρ συνεστοφία, ait verè Plutarchus, ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐστι τῆς εὐνοίας.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo Cõsentire dies.) Vt summam animi sui coniunctionem cum animo Cornuti magis exprimat hæc dicit Persius: non enim πρὸς τὸ ῥητὸν & simpliciter hæc sunt accipienda, vt perineptè fecerunt quidam. Atqui non aliter capi locus debet, quàm si dicat Persius: ex omnibus caussis magnæ cuiusdam ac perfectæ amicitiæ, ἡ συναστρία censetur quorundam iudicio maxima: quod si ita est, ab effectis colligere tutò possumus, occulta sideris alicuius potestate coaluisse hanc inter nos amicitiam tantam, adeóq. firmam. Quod amicitiæ singularis caussam è siderum consensu vulgò peterent, etiam Hebræorum παροιμιακὴ locu-

locutio testatur. nam cùm aliquem alij esse amicissimum significare volunt, dicunt בן גילו *est filius stellæ eius*. Horatium autem imitatur Persius; vt alibi ostendimus.

Non equidem hoc dubites.) hoc est, credas, φαίης ἄν: quæ loquendi genera non vsurpamus, cùm vera res est de qua loquimur: sed cùm simillima vero. at quidam interpretes ita interpretati sunt quasi *credas* dixisset Persius: & ex sententia Cornuti hæc Persium dicere adnotarunt: quo nihil falsius fingi potest. omnino absurdissimũ est ita hæc accipere quasi potuerint Cornutus & Persius, qui ætatis diuersæ fuerunt, eundem horoscopum habere. nam quot seculis opus fuerit, vt fieret omnium siderum in idem punctum ἀποκατάστασις?

Consentire dies.) Ita omnes codices, non *deos*, quod afferunt nonnulli. atqui confutat Persius statim:

Nostra vel æquali suspendit tempora libra.

quod heic *dies* ibi dixit *tempora*. intelligit vniuersam vitam, cuius præcipuas partes sideribus alligant mathematici, genituram, ortum coniugium, ἐπιτήδευμα, aduersa aut læta, mortem. in his omnib. similibúsque aliis consentire oportet eos quorum consentiunt dies vel tempora, vt heic loquitur Persius.

Nostra vel æquali suspendit tempora Libra Parcæ tenax veri.) Plures sunt constellationes quæ inter se homines iungunt: sed duæ illæ præcipuæ quarum heic fit mentio. cùm sub eodem Libræ

ſigno naſcuntur, aut ſub Geminis. id eſt, cùm pariter ſunt. vel ζυγιανοὶ, vel διδυμιανοὶ: ſic enim vocant Græci. ita dicuntur alij κριανοὶ, ταυριανοὶ, σκορπιανοὶ, & ſimiliter in cæteris.

ſeu nata fidelibus hora Diuidit in Geminos concordia fata duorum.) *hora* eſt horoſcopus. etſi in genituris obſeruandis, non hora ſolùm ſpectari ſolita, ſed dies quoque: imò & tertius dies æquè ac primus, vt ait alicubi Firmicus. aliter alij, quos ridet Baſilius ſexta in Sex dies homilia. *hora nata fidelibus*, hypallage, pro qua naſcuntur fideles amici. vel quæ οἰκεῖοι, ſiue ποιεῖ συμπαθείας ἀπταίστοις καὶ ἀδταλύτοις, καὶ ἀνεπηρεάστοις, vt loquitur Ptolemæus. de Geminis Manilius:

Magnus erit Geminis amor & concordia duplex:
Magnus & in multos veniet ſucceſſus amicos.

Saturnúmque grauem noſtro Ioue frangimus vna.) *noſtro*, nobis propitio. eſt enim ſignum ἀγαθοποιὸν, vt Saturnus maleficus. Apud Firmicum ſæpe legas, *Saturnum radiationibus Iouis mitigari.* Ptolemæus Tetrabib. IV. Κρόνος καὶ Ηλιος ἐπελθόντες τοῖς δηλήλων τόποις ποιοῦσι φιλίας διὰ συντάξεως, ἢ γεωργίας, ἢ κληρονομίας. *Frangere & temperare* aſtrologorum voces, in eam rem vſitatæ, cùm ſiniſter affectus vnius ſideris impeditur contraria vi alterius. Seneca De beneficiis libro IV. cap. XXIII. de ſole & luna. *Non dubium eſt quin hoc humani generis domicilium circuitus ſolis ac lunæ vicibus ſuis temperet: quin alterius calore alantur corpora, alligantis omnia hyemis triſtitia frangatur.* alludit Statius in Tiburtino Manlij:

——frangunt sic improba solem
Frigora: Pisæúmque domus non æstuat annum.

Nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.) quia, vt diximus, plura sunt signa amicantia, Persius aliquot positis, vel hæc, inquit, signa hanc tantam inter nos amicitiam conciliarunt: vel certè aliquod aliud: nam omnino aliquod sidus est vnde nostræ amborum voluntates, studiáque pendent, & inter se adeò amicè mutuò conspirant.

quod me tibi temperat.) συγκιρνᾷ, συγκολλᾷ, miscet. aliter hanc vocem accipit quam vulgò mathematici, & Horatius ipse quem imitatur.

Mille hominum species & rerum discolor vsus.) Hactenus de suo in Cornutum affectu & Cornuti in se meritis egit: nunc de singulari eiusdẽ virtute dicturus, & genere vitæ quo vniuersam iuuentutem Rom. partim demerebatur, partim demereri paratus erat, à dissimilium vel contrariorum comparatione laudationẽ eius instituit: est enim hic μέγιστος τόπος αὐξήσεως, vt ait philosophus. Commemorat igitur varia hominum studia: quæ omnia vel ad χρηματιστικὴν auarorum vitam, vel ad ἀπολαυστικὴν voluptuariorum referuntur: vt ex horum vilitate, crescat laus Cornuti, cui vnicum erat vitæ propositum philosophari cùm sibi tum aliis: iuuentuti nempe Romanæ, quæ ad studia sapientiæ & Stoicæ disciplinæ cognitionem se vellet accingere. *species* sunt, proposita vitæ, artes vel scientiæ quas homines profitentur. Ptolemæus in quarto Tetra-

bibli πράξεων ποιότητας vocat, vulgò Græci βίου ἀφορμὰς & ἐπιτηδεύματα, vel etiam ἰδέας βίων, vt Gregorius Naz. in ea ad Iulianum ἐξισωτήν. idem alibi αἱρέσεις nominat, cùm ait, αἱρέσεις βίων διάφοροι. *rerum vsus discolor*, artes diuersæ, ac scientiæ quæ circa res versantur: putà medicina, circa sanitatem: myrepsica, circa confectionem vnguentorum, naupegica circa nauium fabricas. sic apud Ciceronem, *vsus reip.* vel *in rep.* est notitia politicæ scientiæ. *discolor* igitur *vsus rerum*, διάφορος τῶν πραγμάτων χρῆσις: hoc est, διάφοροι τέχναι περὶ τὰ πράγματα καταγινόμεναι, ἡ μὲν ὧδε, ἡ δὲ ὧδε.

Velle suum cuique.) Hominum voluntas vna omnium est naturalis, eadémq. vniuersalis: velle esse, & ea omnia optare quæ ad conseruationem sui aliquis iudicat esse necessaria. hæc voluntas omnibus mortalibus est communis: at sunt aliæ voluntates minus latè fusæ, & huic generali subordinatæ, propriæ vnicuique mortalium: nam alius hoc, alius illo modo vitam instituit: & præsidia vitæ varij variè sibi parant. hac sunt quæ γνωμικὰ θελήματα appellarunt: quæ non à natura hominis immediatè, sed à deliberatione & consilio proficiscerentur. Auctor Definitionum quæ Athanasio tribuuntur. ἔστιν ἕτερον θέλημα φυσικὸν, ὅπερ λέγεται κοινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις· τοῦτο δέ ἐστι τὸ φιλόζωον. πάντες γὰρ οἱ ἄνθρωποι φιλοῦσι τὴν ζωὴν καὶ τὸ ὁρᾷν τὸ φῶς. ἰδοὺ καὶ τὸ κοινὸν θέλημα. εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα θελήματα ἐν ἡμῖν, ἅπερ καλοῦνται γνωμικά. ἄλλος μὲν γὰρ ἄνθρωπος θέλει ἰδιάζειν, ἄλλος γεωργεῖν. καὶ ἄλλος μὲν πλέειν, ἄλλος δ' ἀναπαύεσθαι, καὶ ἄλλος ὁδεύειν, ἄλλος γρηγορεῖν, καὶ

ἄλλος ὑπνοῦν, καὶ οἱ λοιποὶ ὁμοίως. de his etiam Gregoras Nicephorus libro nono: ἐφίεται παντὸς δῆλος ἄλλου κατὰ τὴν τοῦ ἐν αὐτῷ κριτικοῦ τῆς ψυχῆς ἕκαστος δύναμιν καθάπερ αἰτίας τινὸς καὶ ῥίζης ὑποκειμένης τῆς ἐκεῖθεν κινουμένης ὁρμῆς καὶ ἀνδρίγως χειραγωγούσης ἐς τὰς προθέσεις τάσδε ἢ τάσδε, ὁποίας πολλὰς γοῦν τε αὕτη καὶ οὐρανὸς ἐκεῖνος προϊόχεται.

nec voto viuitur vno.) Lucilius: *Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.* refertur & hic eiusdem versus apud Nonium: *Summis niti naturæ operibus, at ego contra vt dissimilis siem.* fortean scripserat: *Similis ei esse summis niteris operibus: ac ego contrà, vt dissimilis siem.*

Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper.) duobus versibus eorum vitam describit, quibus finis vltimus sunt diuitiæ. alius, inquit, studio mercaturæ faciendæ ducitur. variis autem modis fit mercatura: heic eorum meminit, qui exportandis indigenis mercibus, & exoticis importandis quæstum faciunt.

sub sole recenti) Alexandriæ: nam etsi scribit Plinius piper in Indos peti solitum, tamen Romani mercatores ex emporio Alexandrino id petebant, & reliqua aromata, ac quæcunque ex oriente in Europam tempestate illa deferebantur. Lege Arriani Periplum Erythræum, de toto illo genere mercium.

& pallentis grana cumini.) Cuminum satiuum Æthiopicum intellige, & Ægyptium: de quibus Dioscorides & Plinius.

pallentis.) Plinius: *Omne cuminum pallorem bi-*

bentibus gignit: ita certè ferunt Portij Latronis clari inter magistros dicendi adsectatores, similitudinem coloris studiis contracti imitatos.

Hic satur irriguo mauult turgescere somno.) hæc voluptuariorum vita & ἡδονικῶν. *satur* ait, quia maximè à cibo somnus solet obrepere: tunc enim calor ad intima confugit, vt cibi coquantur: is calor sursum vapores mittit, & ἀναθυμιάσεις σωματώδεις in cerebrum: quibus primo aggrauatur, deinde obruitur τὸ πρῶτον αἰσθητήριον: ita fit somnus, qui species est ἐπιλήψεως, inquit philosophus. *irriguus somnus* ἐνεργητικῶς: qui irrigat siue humectat. consentiunt in hoc medici omnes & philosophi: poëtæ etiam. Homeruus,

Ενθα μνηστήρεσσιν ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.

Lucretius libro IV.

Nunc quib. ille modis somnus per membra quietem
Irriget.—— Sic Virgilius aliique. translatum est à plantis: quæ irrigatæ crescunt: ita homines somno dediti solent *turgescere* & obesi ac præpingues fieri: saginat enim quies. somnus autem ἀκινησία τις.

Hic campo indulget.) Martio, vbi campestres exercitationes. Horatius, Suetonius libro II. cap. LXXXIII. libro VI. cap. X. alij. *indulgere* propriè est contrarium τοῦ *vrgere*. ea enim origo vocis. *indulgere* pro inurgere dixerunt inserto *d*, vt *indolescere* pro *inolescere*: vnde est indoles: deinde *l* pro *r*, posito. sunt enim in omnibus linguis eæ literæ facilè inuicem permutabiles. *vrgere*, est seueri ἐργοδιώκτου, qui pensum morosè exi-

git. *indulgere* est eius qui de summo iure aliquid remittit, vt ferè parentes liberis. sic dicitur princeps debitorum reliqua indulgere: quorum exigendi ius habuit. dicitur & de aliis, vt ferè Græcorum ἐπιτρέπειν. Glossarum magister exponit δαψιλεύεσθαι: quod est, genio indulgere, aut epulis: non simpliciter indulgere. hinc etiam obtinuit vt dicerent indulgere, pro multum studere alicui rei: vt *indulget campo*, hoc est, multus est in campo, & eo oblectatur. ineptè faciunt qui cum venia indulgentiam confundunt. è contrario enim, vbi est indulgentia, ibi veniæ nullus locus: quippe nullum peccatum eius cui indulgetur.

hunc alea decoquit:) ἐπιτρίβει, rem familiarem illius absumit. Symmachus libro IX. *senectus nihil decoquit firmitatis.* & libro IV. *Flandæ monetæ nequitiam decoquat larga purgatio.* vel, cogit decoquere fidem creditoribus, vnde dicti decoctores. non malè etiam retuleris ad corporis incommoda ex longo otio & cessatione exercitationis. sedentaria enim res est alea. *decoquit* igitur erit τήκει: quomodo capitur in istis antiqui scriptoris, apud Stobæum: σῶμα ἀργίη τήκει, ψυχὴν δ' ἀμελετησίη.

ille in Venerem putret.) corpus continuo Veneris & aliarum voluptatum vsu effœminatum atque exhaustum ait putrere: hoc est, penitus corruptum esse: nam putredo est φθορά. sic Græci σήπεσθαι & τήκειν vsurpant. Menander: ἐσθίοντα καὶ λέγοντα Σήπομαι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς. Vetus auctor apud Stobæum: ὁ Διογένης τοὺς πολλοὺς ἔφασκε ζῶντας

μὲν ἑαυτοὺς σήπειν λουτροῖς τέγγοντας, καὶ φροδισίοις τήκοντας. hic est qui appellatur ὑγρὸς βίος: sicut ὑγροὺς ὀφθαλμοὺς quos Horatius quem in hac voce Persius imitatur, *putres oculos* vertendo dixit.

sed cùm lapidosa chiragra Fregerit articulos.) Quis sit voluptatum fructus ostendit: luere nempe senes eorum pœnas quæ peccauerint iuuenes. obiter autem hæc inseruntur, sed non præter rem: etsi præter institutum sermonem. id enim tantùm instituerat, diuersa hominum studia cõmemorare, ex quorum comparatione cresceret Cornuti laus. verùm facit hoc quoque ad Cortuti laudem, quod recta institutione sua homines liberet à tantis malis, quæ vitam non ex virtute actam comitantur. quare mox iuuenésque senésque hortatur, vt petant à Cornuto *miseris viatica canis*, hoc est, certam rationem ita vitam instituendi, vt senes facti nulla propter prioris vitæ peccata perpetiantur incommoda.

lapidosa chiragra.) melius *cheragra*, ob metrum. lapides qui in articulis concrescunt, Græci vocant & philosophi & medici πώρους. Horum tanta copia in affectis partib. aliquando generatur, vt prodigij similis res sit. Viuebat non procul Vrbe cùm hæc scriberem, vetus quidam arthriticus, è cuius corpore (exibant autem ex omnib. partibus) plus vel exciderat, vel extractum fuerat lapidum, quam quantum ipse penderet.

veteris ramalia fagi.) deest similitudinis particula, vt sæpe. comparat hominem pedibus manibúsque captum morbo articulari, cum arbore

qui præ vetustate omnes rami exaruerint. concinna similitudo: nam homo similis arboris, sed inuersæ, vt docent philosophi: caput radici proportione respondet: τὰ κῶλα, brachia & pedes ramos referunt. sed hæc alibi exactius. habent enim iocundissimam σκωπτὸν.

Tunc crassos transisse dies, lucémque palustrem.) periphrasis continetur hoc versu vitæ per voluptates actæ: quibus qui erant dediti balneorum excaldationibus plurimum vtebantur, & reliquis τρυφηταῖς institutis, quæ corpus fluidũ & languidum reddunt. *crassi dies* & *lux palustris* vmbram denotant balneorum, & similium nequitiæ ac mollitiei sedium. *crassus dies*, tempus in aëre crasso actum: qualis est aër vaporariorum, & omniũ locorum quos sol radiis suis non illustrat. *lux palustris* propriè est impurus ille aër qui in locis paluſtribus videtur. δυσκρισία enim eiusmodi locis proprium à natura malum est. heic verò *lux palustris* opponitur soli puro quo fruũtur qui in illis voluptuosis locis non morantur. Plato in Phædro de Cupidine loquens, ὀφθήσεται δέ τινα μαλθακὸν καὶ οὐ στερεὸν διώκων, οὐδὲ ἐν ἡλίῳ καθαρῷ πεφραμμένον, ἀλλὰ κατὰ συμμιγῆ σκιᾷ. ita passim Græci vitam in vmbra actam mollibus & effœminatis exprobrant. Dio Chrysostomus in LXIX. ἰσκιατραφημένος καὶ ἁπαλὸς, καὶ μάλιστα ἐοικὼς ταῖς γυναιξίν.

Et sibi iam seri vitam ingemuêre relictam.) graui pœnitentia afficiuntur ob vitam anteactam: sed serò. τὸ *seri* nomen pro aduerbio ΕΜΠΟΙΗΤΙΚΟΝ. ὄψιμος

pro ὀψὲ, παπύχιος pro παπυχεί. Non placet scriptura quam inuenimus in septimo Saresberiensis.

Et sibi iam miseri v. —— quomodo etiam vetustissimum Bongarsij exemplar. nempe iam olim sciolus quidam correxerat: cùm esset initio aliter scriptum.

Cultor enim es iuuenum.) γεωργεῖς γὰρ τὰ τῶν νέων ἤθη. ita exponendum docent sequentia.

purgatas inseris aures Fruge Cleanthea.) colis, inquit, iuuenum animos: atque vt peritus colonus primùm à vitiorum sentibus eos purgas: deinde fruge inseris moralis philosophiæ Stoicorum. translatio elegantissima & plurimis scriptoribus, quod & Quintilianus admonet, vsurpata, à cultu agrorum ad cultum animi. M. Tullius, secunda Tusculana simillimè vt Persius: *cultura animi philosophia est: quæ extrahit vitia radicitus & præparat animos ad fatus accipiendos, eáque mandat his, & vt ita dicam, serit, quæ adulta fructus vberrimos ferant.* pro animo *aures* nominat: quia auditu doctrinæ percipiuntur: is enim scientias plurimum confert. sic inferius.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

B. Chrysostomus in loco simili super euangelio Matthæi aures animo tribuit: vbi pluribus eam sententiam persequitur. Totius autem philosophiæ ethicæ fructus in duobus est positus, fuga vitij, amore virtutis, aut potius ex virtute vita: vtriusq. similiter mentionem faciunt Cicero & Persius. Obserua etiam apud vtrumque eandem τάξιν disciplinæ: vt priusquàm virtus tradatur,

vitia eiiciantur. ideò negat Aristoteles eum qui vel ætate vel deprauatione morum esset τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς idoneum esse doctrinæ ethicæ discipulum, sed ματαίως ἀκούσεσθαι καὶ ἀνωφελῶς. Alludit ad hanc docendi viam Iohannes Chrysostomus in quarta ad populum Antiochenum homilia, διαῤῥήξωμεν, inquit, τὰς καρδίας, ἵνα εἴτις πονηρὰ βοτάνη καὶ λογισμὸς δολερός ἐστιν ἐν ἡμῖν πρόῤῥιζον αὐτὸν ἀνασπάσωμεν, καὶ καθαρὰς τοῖς τῆς εὐσεβείας σπέρμασι παράσχωμεν τὰς ἀρούρας. idem ordo in tradendis mysteriis seruabatur: solis enim κεκαθαρμένοις τὰ ὦτα illa pandebant, vt ait Philo, & nos alibi pluribus exposuimus. Ita ergo purgatos animos siue aures *inseris fruge Cleanthea.* variata per hypallagen locutio: non enim arua serimus in fruge, sed frugem in aruis. sic & auribus fruges id est disciplinæ inseruntur, non frugibus aures. sic loquitur Persium palàm imitans, Augustinus in epistola ad Dioscorum; *tot legisti dialogos, tot philosophorum altercationibus cor inseruisti.* ita Græci ἐμφυτεύειν ponunt, pro moribus imbuere, vt apud Plutarchum De amore diuitiarum. quod alibi παραπηγνύειν dixit. vt in libro de educatione puerorum: οἱ νόμιμοι τῶν διδασκάλων ἐπιμελεῖς τὰς ὑποθήκας καὶ παραινέσεις παραπηγνύουσι τοῖς νέοις, ἵν' ὀρθὰ τούτων βλαστάνῃ ἤθη. traductum à surculis qui panguntur & in terram defiguntur. inde scientiæ dicuntur παραπήγματα, quæ constant multis obseruationibus simul congestis & adunatis. neque enim astronomorum tantum sunt parapegmata, vt videntur viri doctissimi existimare: sed & reliquas

scientias ita vocarunt. Sextus Empiricus de grāmatica disputans: οὐκ ἤδεσαν ὅ οἱ θαυμάσιοι, τοῦτον μὲν ὅτι ὁ εὐμαθοῖς ἀξιῶν λέγειν οὐ δώσει αὐτῆς καθολικὸν εἶδ τὸ τοῦ ἐπιτηδεύματος. ibidem: ἀλλ' εἰσί τινες οἱ τοὺς τῆς γεωμέτρου ἀπαντῶντες & λέγοντες, ὅτι ἐκ πλείονων ὅδι τὸ καθολικὸν τοῦ ἐπιτηδεύματος. & sæpius capite eodem. sequente etiam, vbi agit de historia: ὥσπερ εἰ μὴ αὐτὴ ἐξομολογοῦνται ἀμέθοδόν τε εἶδ τοῦ ἐπιτηδεύματος τὴν ἱστορίαν, & ἡμεῖς ἐπελογισάμεθα, μὴ ἄλλως οὐδὲν τεχνικὸν θεώρημα τοὺς τὴν χεῖραν αὐτῆς ἢ σύσασιν τοῦ ἐδιδάξαντας, ἥτιον καὶ κῆ τὸ ἠθικὸν μέρος ἀσύστατον εἶδ τὴν γραμματικήν. *frugē Cleanthem* appellat poëta doctrinam ethicam siue virtutem. Philo Iudæus in allegoriis non frugibus sed areæ in quam fruges congeruntur virtutem assimilat: profectum in virtute, spicis: indolem aruo: vitia tribulis. ipsius verba adscribam: ἀριτὴν τοῦ ἐδιδάξαντα τὴν ἀγάθ. συγκομίσαι γὰρ ὡς ἐν ἁλῷ δεῖ ὁ καρπὸς, οὕτω & ἐν τῇ τοῦ σοφοῦ ψυχῇ τὰ καλὰ ἐπιτηδεύματα τὴν θεωρητικὴν, ἐπὶ μὲν ἑκάστου ἀτελὲς, ἐφιέμενον τοῦ τέλειος· πεδίῳ δὲ τὴν εὐφυΐαν, ὅτι εὐδιδάκτους ἀπεργάζεται. ἕκαστον δὲ τῶν παθῶν τραχύτατα εἴρηκε. sed hoc simile quo humanum ingenium agro comparatur, nemo veterum vberius explicauit quàm doctor ipse doctorum in notissima parabola, & Hippocrates in Lege. *Cleanthem* dixit pro Stoica: quoniam Cleanthes Zenonis fuit discipulus inter τοὺς κορυφαιοτάτους: immò & successor Zenonis.

petite hinc iuuenésque senésque Finem animo certum.) philosophiam de virtute & moribus: cuius princeps quæstio est de stabiliēdo recto fine.

antè dictum satis.

miserísque viatica canis.) præsidia hinc petite aduersus ea mala quibus obnoxia dissolutorum misera senectus, hæc illis prioribus respondent,

Sed cum lapidosa cheragra, &c.

vt ibi monebamus. Est autem vox Aristotelis, vel vt Basilio placet Biantis, Η παιδεία κάλλιστον τῷ γήρᾳ ἐφόδιον: quò videtur & Lucilius eo versu allusisse, *Prospiciendum in senectam nunc in adolescentia est.* alio sensu patres monebat olim Aristippus, pararent liberis eiusmodi viatica, quæ etiam è naufragio vnâ possent enatare: philosophiam significans. lege Laërtium, & Vitruuium in præfatione libri sexti. Menander:

Ο θρὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.

Cras hoc fiet: idem cras fiet.) procrastinatio malum fatale iuuentutis: quæ ne cogitat quidem in iactura temporis quantum damnum fiat. huius erroris sui illam Persius heic admonet. apparet autem ex Epicteti enchiridio, cap. LIX. & Dissert. Arriani lib. IV. cap. XII. itémque Senecæ libris, familiare in ore Stoicorum fuisse præceptum *Parce tempori:* de quo multa præclarè summus ille vir variis locis. Platonicus quoque Nigrinus vt refert Lucianus solitus suis discipulis inculcare, Δεῖν ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὰ καλὰ ὁρμήν. *ad capessendas res honestas nulla procrastinatione esse vtendum.* Hesiodi pulcherrimus est ille versus,

Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄταισι παλαίει.

Hic autem est dialogismus. *Cras hoc fiet*, ait piger adolescens. Ouidius:

Dicimus aßiduè: Cras quoque fiet idem.

Petronius: *quod hodie non est, cras erit.* excipit Persius, *idem cras fiet.* Ouidius:

Qui non est hodie cras minus aptus erit.

caussa est: quia mala illa dispositio quotidianis procrastinationibus alitur: donec tandem mutet in habitum. quod vbi accidit, animus occalluit, ægerriméque medicinam admittit. Epictetus apud Arrianum: ἐκεῖνο προχειρον ἔστω σοι, ὅτι παρὰ τὸ σήμερον ἁμαρτηθὲν, εἰς τἄλλα χεῖρον ἀνάγκη σοι τὰ πράγματα ἔχειν. πρῶτον μὲν τὸ χαλεπώτατον, ἔθος τοῦ μὴ προσέχειν ἐγγίνεται. εἶτα ἔθος τοῦ ἀναβάλλεσθαι τὴν προσοχὴν, αἰεὶ δ' εἰς ἄλλον καὶ ἄλλον χρόνον εἰώθει (scribe, ἀπωθεῖν) ὑπερτιθέμενον τὸ εὐροεῖν, τὸ εὐσημονεῖν. Breuius atque expressius in Enchiridio: παρὰ μίαν ἧτταν καὶ ἔνδοσιν ἢ ἢ, ἀπόλλυται προκοπὴ ἢ σώζεται. ita lego, non vt est editum. sensus est: *Semel victum esse & cessisse aut non, destruit quod perfectum est vel seruat.*

quid? quasi magnum Nempe diem donas.) Vox hæc ignaui. Inter multos ac graues errores qui latè per hominum mentes grassantur, non minimus ille est, cùm sæpe parua ducimus peccata & momenti nullius, quæ vel eo nomine maxima sunt, quia maximam pernitiem secum trahunt. sed erramus ferè in hoc, decepti illo σοφιστικῷ λόγῳ quem ait philosophus, εἰ ἕκαστον μικρὸν καὶ πάντα: quod in plerisque rebus aliter longe euenire, exitu tandem, qui stultorum est magister comperimur. idcirco dicebat pacificus Rex & verè diuinus in Prouerbiorum libro: pigrum hominem dum paululum dormit, paululum dormi-

tat, paululum conserit manus vt dormiat, interea pauperem & rerum omnium fieri egenum. Hunc errorem, sicut heic Persius ostendit, iuuenes errant, cùm admoniti vt vitia corrigant, studiáque virtutis & literarum suscipiant, diem ex die ducunt. nam quia dies vnus vitæ vel modicæ pars multesima est: ideò iacturam vnius diei pro nihilo pendunt. idem error etiam alia vitia in nobis fouet, dum singula peccata nostra contemnimus, vt rem paruam, nec curamus emendare, & dicimus Οὐδὲν πρὸς τοῦτο. *quid tum postea?* quæ vox iuuentuti familiaris, quàm sit pernitiosa velim discant ex Iohanne Chrysostomo, homilia XII. in eam ad Rom. Παρακαλῶ, inquit, τοίνυν ἀρχὴν φυλαττώμεθα, καὶ τὰ μικρὰ φύγωμεν κακά. τὰ γὰρ μεγάλα ἔπεσε πύργων πίπτειν. ὁ γὰρ καθ' ἕκαστον ἁμάρτημα μαθὼν λέγει ΟΥΔΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ, καὶ μικρὸν παίσας ἀπόλλει. τοῦτο γοῦν τοῖνυν κακίαν εἰσήγαγε· τοῦτο τὰς θύρας ἀνέῳξε τῷ λησταῖ· τοῦτο τῆς πόλεως τὸ τεῖχος κατέβαλε, τὸ καθ' ἕκαστον λέγειν ΟΥΔΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ. οὕτω δὲ ὅτι τοῦτο ἔβλαψε μάλιστα ἄρρητον ποσημανῶν, ὅταν τὰ μικρὰ καταφρονῶμεν. idem præceptum apud eundem facundissimum doctorem & alibi reperitur. vt in VIII. super priore ad Corinthios. & in Matthæum sermone L. vbi de iis loquens qui elegantioris formæ calceis delectabantur: τὸ παίζειν, inquit, ἄτοπον τοῦτο κακῶν τοῦτο, τὸ καὶ μικρὰ ταῦτα δοκεῖν εἶναι τὰ ἁμαρτήματα καὶ ὀλίγα τοῦτο ἀμελεῖσθαι. sermone verò in eundem Euangelistam LXXXVII. diuinitus planè idem argumentum tractatur. pauca subiiciam ex interpretatione elegantissima A-

niani interpretis vetustissimi: *Mirabile quiddam,* ait, *atque inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua & vilia: illa enim vt auersemur ipsa peccati natura efficit: hæc autem, hac ipsa re quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere: vnde cito ex paruis maxima fiunt negligentia nostra.* Gregorius Nazianzenus, exponens locum ex Euangelio Matthæi. capite XIX. τὸ κατὰ μέρος ὑφελκόμενον καὶ κλεπτόμενον, ἀνεπαίσθητον μὲν τὴν πρὸς τὸ παρὸν ἔχει βλάβην, εἰς τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς κακίας ἀπαντᾷ. Quamobrem Plutarchus inter alias certi profectus in studio virtutis notas, hanc ponit meritissimè: si quis voces illas repudiauerit, *Quid tum posteà?* & *Nunc quidem ita: alias verò melius*: sed singulas actiones suas diligenter attendat: & sua omnia delicta quantumuis minuta iniquo animo ferat, sibíque succenseat. sed adscribam ipsa magni illius scriptoris verba: ἐν τοῖς πρὸς ἀρετὴν πράγμασιν ὁ μὴ πολλὰ συγχωρῶν τῷ, ΤΙ ΓΑΡ ΤΟ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ; ΚΑΙ ΝΥΝ ΜΕΝ ΟΥΤΩΣ, ΑΥΘΙΣ ΔΕ ΒΕΛΤΙΟΝ; ἀλλὰ προσέχων ἑκάστῳ, κἂν εἰς τὸ μικρότατον ἡ κακία ποτὲ τῶν ἁμαρτημάτων ἐνδῦσα συγγνώμην πορίζηται, δυσαναχετῶν καὶ δυσκολαίνων, δῆλός ἐστιν ἤδη τι καθαρὸν κτώμενος ἑαυτῷ καὶ οὐδ' ὁπωσοῦν ἀξιῶν ῥυπαίνεσθαι. Poteramus similia his ex Seneca, Dione Chrysostomo & aliis sapientibus afferre quàm plurima: sed malumus petat ex ipsis auctoribus iuuentus studiosa.

Sed cũ lux altera venit, Iã cras hesternũ consumsimus.)

Πάθος

Πάθος adiicit lectio quam inuenimus apud vnum Seruium in v. Æneidem:

Iam cras hesternum heu consumsimus --

his & sequentibus verbis castigat Persius errorem illius ignaui qui diei vnius iacturam faciebat non nauci. Atqui, ait noster, cras istud quod petis tibi donari, totius vitæ pernitiem trahit. nullus enim finis: atque vt hodie dicis, cras faciam: ita sequenti die, cras faciam, dices, & item tertia, ac deinceps per omne tuum æuum. hæc sententia Persij. eadem olim Epicuri mens cùm præclarè diceret: ὁ πάντων βίος μέλλησμῷ παραπόλλυται. & scriptor Satirici, *quod hodie non est, cras non erit: sic vita truditur.* Seneca De breuitate vitæ: *Maximum viuendi impedimentum est, expectatio quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernū: quod in manu fortunæ positum est disponis: quod in tua dimittis.*

ecce aliud cras Egerit hos annos.) Pulcherrimè Iohannes Chrysostomus in XIX. ad populum Antiochenum CRASTINA DIES, inquit, FINEM NVLLVM HABET. Μή μοι λέγε ὅτι κατὰ μικρὸν, μηδὲ εἰς τὴν αὔριον ἀναβάλλου. ἡ γὰρ αὔριον οὐδέ ποτε λαμβάνει τέλος. pulcherrimum est prouerbium, quod in eam rem vsurpant Iudæorum magistri: dicunt enim de eo qui dicere amat, Cras faciā: כל הדוחק השעה שעה דוחקתו, hoc est qui protrudit horam hora protrudit eum. *egerere* heic est de totius vitæ summa paulatim absumere: vt qui condita in penu per partes promunt.

& semper paulum erit vltra.) paullatim sem-

per erit tibi ætas grandior,& propius ad metam accedes.

Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno Vert.) Ostendit procrastinatores istos qui persuadent sibi se aliquando virtuti operam daturos, interea tamen dilatione in diem crastinum semper vtuntur, nunquam ad illum diem esse peruēturos in quem suas spes ipsimet reiiciunt: ostendit autem allato simili, quod relinquit lectori aptandum ei de quo agitur. Sensus hic est: quemadmodum cùm currit quatuor rotarum currus, posteriores rotæ etsi minimo interuallo seiunctæ à prioribus, nunquam tamen illas consequuntur: sic tu ὦ ἀμβολιεργὲ, qui studia tua in crastinum semper differs diem, illum qui te studiis admouebit, assequeris nunquam diem, licet illi semper proximus. Hæc Persius: atque omnino ita est: procrastinatores, finem desidiæ suæ semper facturi sunt iamiam, nec faciunt vnquam. De rotis idem ferè Symphosius in Ænigmatis,

Quattuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, cùm sit labor omnibus vnus,
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Nam quamuis prope te.) In hoc simili desidiosus procrastinator, diem agens hodiernum, respondet posteriori rotæ: dies crastinus rotæ priori: temoni vni, tenor totius vitæ.

Vertentem sese frustra sectabere canthum.) priorem rotam nunquā attinges. *canthus* σπανεκδοχικῶς pro rota. ea voce ante Persium vsus nemo. ideò

notatus hic locus antiquis criticis. Quintilianus lib. 1. *Barbarismum pluribus modis accipimus: vnum gente: quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat. vt ferrum quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus: quanquam eo tanquam recepto vtitur Persius.* Non agnoscit Quintilianus pro Græca hanc vocem: neque nos sanè apud vllum è veteribus Græcis id verbi meminimus legere. etsi grammatici Græci vtuntur, sed tanquam petito è vulgi sermone: Auctor Etymologici magni: Κάνθωτρα, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων σιδήρεοι κύκλοι, οἱ διὰ τῶν χηλῶν κυλιόμενοι. τὰ κύκλῳ τοῦ τροχοῦ σιδήρεα. τὰ ἐπάνω τοῦ τροχοῦ σιδήρεα ἢ χάλκεα, ἃ καὶ φοὶ καλοῦσιν. eadem verba legas apud Suidam, Eustathium, & alios grammaticos. est tamen pura puta vox veteris Græciæ κανθός, ὁ καὶ τὸ ὀφθαλμοῦ, aiunt idem grammatici, οἱονεὶ κανθός τις ὤν, ὁ καὶ τὸ κυκλοτερὲς σωμάτιον. oculi angulos medici vocant κανθοὺς, *canthos*: sed orbem totum ea voce designari placet nonnullis. Hesychius, κανθὸς ὁ τοῦ ὀφθαλμοῦ κύκλος. ergo etiam cùm ferrum illud significatur, quo rotæ curuatura præmunitur ad compagem totam constringēdam, vox Græca erit: nam & ille canthus orbis quidam est siue circulus. Hieronymus libro tertio in Ezechielem, *circulos rotarum canthos ferreos appellauit, quibus lignorum rotunditas artatur & stringitur.* in textu prophetæ est אופנים quæ vox Hebræis totam rotam designat. alibi vetus interpres pro חשק κάνθωτρα, posuit *canthus*. Martialis canthum assimilat puerili trocho, quem constat

 ~~Mm ij~~

habuisse instar rotæ, illo versu:

Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Diomedes libro III. *rotæ satis latus ac breuiatus canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur.* videtur diuersa paululum notione hanc vocem vsurpare, ac scriptores superiores. canthis vtebantur etiam in illis vehiculis siue plostris, quorum rotæ pro radiis tympana habebant. Probus in illud Virgilij,

Tardáque Eleusinæ matris volutia plaustra:

imperiti, inquit, *ea plostra uocant: sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi, & iuncta cantho ferreo.* Meminit canthi etiã B. Augustinus in lib. De vera religione: eiusdem verba sunt in libro De principiis dialecticæ: *via dicitur à flexu, quia flexum velut incuruum vietum veteres dixerunt: vnde vietos quod cantho ambiantur rotarum ligna vocant.* legendum est, *vnde vitos.* nam Latini canthos etiam vitos dixerunt: quæ vox apud Marium Victorinum extat & alios. Glossæ: κανθὸς τροχοῦ, *vrus.* scribe cum magno Scaligero, *vitus.* à via, vitus vt ostendit Augustinus: qui tamen inter vitum & canthum discrimen facit. Isidorus verò quamlibet facetus est, qui *centum* vocem deriuat à cantho, siue canto. nam vtroque modo scriptum inuenias.

Libertate opus est.) Heic iam incipit Stoici paradoxi tractatio. éstque aditus adhanc disputationem satis præceps & abruptus. Possumus tamen hanc partem cum superiore connectere isto modo: cùm hortaretur Persius iuuenes ad

ſtudia philoſophiæ, lentos & procraſtinatores expertus, ante omnia vitium illud tollere conatur admonitionibúſque ſuis efficere, vt ſublata omni mora, accingere ſeſe tam honeſto incepto vellent. Eſt verò illa optima morbos curandi ratio, cùm cauſſæ ipſæ morbi adimuntur: quod noſter hic facit. Quænam igitur cauſſa huius ceſſationis? quod aſſueti otio, & luxuriæ, vt vitæ genus mutarent, & deliciis bona fide renuntiarent, impetrare à ſe non poterant. Quamobrem peropportunè Perſius ex ſuperiore ſermone in hunc delabitur: quo adoleſcentes minimè malos viam docet qua facilè & tutò peruenìri eò poſſit quò volebat illos ducere, neque ipſi nolebant duci. Ea via eſt: vt vindicent ſeſe prius in libertatem, & miſeram vitiorum ſeruitutem, quæ cauſſa erat harum morarum, ſtatim abrumpant. Hæc eſt illa purgatio quam ſuperius inuebat neceſſariam, prius quàm fruge Cleanthea iuuenum aures inſererentur: eámque optimam eſſe docendi rationem ibi notabamus. Iam ergo habemus nexum huius diſputationis, & illum quidem meo iudicio aptiſſimum. Porrò Stoïcum paradoxum quo de heic agitur, ea elegantia, ea arte explicatur à poëta: vt pronuntiare non verear, neque Horatij ſermonem, (πολλοῦ γε δεῖ) ſed nec Ciceronis diatribam eiuſdem argumenti comparari cum diſſertatione hac Perſij vllo modo poſſe: neque illius è tot veteribus qui eundem locum in ſuis ſcriptis attigerũt, quicquam extare quod mereatur cum iſta

parte huius satiræ componi, nedum anteponi. Paradoxum hoc est: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος· οἱ δὲ φαῦλοι δοῦλοι. Solum sapientem esse liberum: malos stultos. ita concipitur apud Laërtium: paullò aliter apud alios, ἢ ὅτι πᾶς ἄφρων δοῦλος. nam *insipiens* minus est quàm *malus*. alibi sic, πᾶσι δὲ μωροὶ δοῦλοι. *omnes stulti serui*. ex illo altero Stoico paradoxo: quo præter vnum sapientem cæteros omnes stultos atq. insanos pronuntiabãt, eandé ob caussam priùs membrum etiã sic extulerunt: ὅτι πᾶς ὁ ἀστεῖος ἐλεύθερος, vt apud Philonem. pro σοφὸς dixit ἀστεῖος: quoniam qui sapiens non est, ne cõmodus quidem est, aut mediocriter bonus, sed malus. nemo enim sapiens est ex parte, aut malus, vt Stoicorum fuit sententia. Duæ sunt huius enuntiati partes: prior de libertate sapientis; posterior de seruitute insipientis. vtramque ordine quo heic ponuntur seperatim tractat Persius. Principio thesim ponit, & instituto suo accommodat: LIBERTATE OPVS ESSE. ac quoniam homonymia latet in voce libertas, quæ libertas illa sit quam dicat necessariam ad vitam bene instituendam, accuratè ostendit: errorem vulgi confutans, qui aliam libertatem nisi ciuilem & corpoream non agnoscebat. probat firmis rationibus, non hanc sed animi libertatem esse, quæ hoc nomine sit verè digna: tum autem vnde & quibus rationibus hæc sit parabilis, & quis demum censendus sit illam verè consecutus, luculentè demonstrat. ita pars prior absoluitur. posteà subiicitur altera, quæ ab illo versu,

Liber ego: vnde datum hoc sumis tot subdite rebus? initium habet. heic quæ & quam dura vitiorum seruitus sit, vbertim docetur. Profert exempla pigrorum, auarorum, luxuriosorum, ambitiosorum, ac postremò superstitiosorum: omnes isti quàm difficilibus seruiant dominis, & quidem pluribus simul, aperit noster hic doctor, atque id tanta ἐνάργεια & euidentia, vt non tam dicere videatur quàm ostendere. Ita Persius distinctè partem vtramque paradoxi istius tractauit: non mixtim & confusè, quod Cicero fecit & omnes alij quorum scripta habemus hodie. vnum excipio Philonem Iudæum: qui duobus libris separatim hoc scitum Stoicæ scholæ explicauerat: sed ordine diuerso. nam prior eius liber de seruitute fuit malorum: posterior de libertate sapientis. qui solus ad nos peruenit: cùm prior ille, quod sciam, non extet. Porro non primi Stoici cùm de virtute ac vitio disputarent, libertatis & seruitutis voces à corporibus ad animos transtulerunt. ipsa enim rerum natura & prioribus Zenonè idem genus dicendi suggessit: & post Zenonem etiam aliis qui de Stoicis nihil cogitabant. Crates Thebanus Zenonis præceptor, de iis qui secundum virtutem viuunt:

Ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι
Ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶσι.

ex hortis Gargettij doctoris vox illa profertur à Seneca: *philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas*. iam verò in Noui fœderis libris

quàm sint crebræ huiusmodi locutiones nemo ignorat. non igitur primi aut soli Stoici hoc paradoxum protulerunt: sed acceptum ab aliis studiosius confirmarunt.

non hac vt quisque Velinâ Publius emeruit.) non dico libertatem ciuilem, quam vbi aliquis natus est, de seruo fit libertus. Seneca Naturalium lib. III. de vera libertate. *Hæc res efficit non è iure Quiritium liberum, sed è iure naturæ.* pro liberti nomine, descriptionem illius posuit Persius ab effectis eius libertatis. manumissi in tribum adscribebantur, vt ciues Rom. fierent: hoc eò valebat, vt commoda possent percipere, quæ ciuium Romanorum erant communia. maximum istorum erat frumentatio. ingens enim quot annis frumenti vis publica erogabatur, ad subleuandam pauperum ciuium tenuitatem. Ad huius commodi participationem non temerè & promiscuè omnes soliti admitti; sed illi tantùm qui Curatori annonæ ciues se probassent, & tesseram ab eo accepissent. Iam verba Persij videamus:

Libertate, ait, *opus est: non hac vt quisq. Velinâ*
Publicus emeruit: —— non hac, per quam vt quisque seruus *emeruit*, id est, manumissus fuit, & quasi donatus rude, factúsque ciuis Rom. nomine etiam donatus Romano, puta, Publij: itémque vni tribuum adscriptus, puta Velinæ: —— *scabiosum tesserula fax*
Posidet. —— id est, accipiendi à Curatore annonæ tesseram ius habet & publica annona viscendi. Deest relatiuum *quæ* ante

illa, *vt quisque V.* nusquam enim in manu exaratis eam voculam inuenimus: quam etiam paucissimæ editiones veteres exhibent. Familiaris est Hebræorum linguæ & omnibus affinibus, prouocabuli illius ellipsis: Græcæ aut Latinæ minus. Virgilius:

Est locus, Italiam Graij cognomine dicunt.

n emeruit, propriè locum habet in militibus aut gladiatoribus. inde *emeriti* qui missionem consecuti sunt è militia aut ex harena. heic de manumissione serui dicitur. epexegesis est in his: *vt quisque meruit, Publius Velinâ.* Liberos & seruos Romæ, non vestis distinguebat, sed appellatio. alia namque horum, alia illorum erant nomina. ideò cum libertate nouum nomen assumebāt. Non semper autem qui manumittebantur ciues fiebant: erat enim imperfecta quædam libertas, vt Latinorum, & quondam etiā dedititiorum: at ciues illi demum erant, qui plena libertate donati, & in aliquam tribum erant relati. ideò Persius ait, *Publius Velinâ.* hac locutione tribum indicabant, vt, *Oppius Veientina, Tomentina Anxius.* sic ferè Athenienses Κρατης τῶν δήμων Θριάσιος. Eadem mens erit & sententia aliquanto planior, si scribas,

—— *non hac, vt quisque Velinam*
Publicus emeruit. ——

pro simplici meruit, nactus est. sed nihil mutandum.

scabiosum far.) gurgulionibus exesum, corruptum. sic malis scabiem tribuit Iuuenalis,

Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma. ——

alij libri, *scabrosum*, sicut apud Columellam & Palladium de plantis & satis *scabrum* & *retorridum* sæpè vsurpantur. Statius, *non asperum far.* in primo Fastorum,

—— *seges scabræ rubiginis expers.*

tesserula possidet.) tesseram vel à Curatore annonæ accipiebant: vel emebant ab aliis qui indidem habuerant. Sæpè autem heri suis liberis hoc ius emebant, vel emendum legabant, vt apparet ex libris Iuris ciuilis Ro.

Heu steriles veri, quibus vna Quiritem Vertigo facit.) *Quiritem* pro liberum posuit. neque enim eos reprehendit qui manumissos pro ciuibus & iure Quiritium liberis haberent: sed qui pro liberis ἁπλῶς, id est ea libertate quæ propriè mereatur id nomen. Libertas duplex est, animi & corporis: sed quantò animus præstantior corpore: tantùm præstat eius libertas libertate corporis. verùm vsus loquendi is est, vt ἐλευθερίαν aut libertatem cùm dicimus, ad corpus referamus: de hoc enim cura omnis & ferè sermo. ergo etiã bona ἁπλῶς appellauimus τὰ σωματικά. pari, quod & Cicero ait, errore: quem heic iure satiricus exagitat: eos qui sic loquantur, sic sentiant, *steriles veri* appellans: id est à vero ac recto alienissimos. inter alios manumissionum ritus, fuit, quæ heic *vertigo* dicitur, Græcis περιδίνησις & περιστροφή: cùm manumittendus dextra prehensus, à domino in orbem rotabatur. inde *circumagi* pro libe-

rari. Seneca epistola VIII. *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. non differtur in diem qui se illi subiecit & tradidit. statim circumagitur. hoc enim ipsum philosophiæ seruire libertas est.* Præclarè Chrysostomus sermone de Iosepho: ὃν ὁ ἴδιος τρόπος οὐκ ἠλευθεροῖ, τοῦτον μυρίοι χρόται καὶ μήλεινα, καὶ γράμματα ἐλευθερῶσαι οὐ δύνανται.

hic Dama est, non treßis agaso.) quàm absurdè faciant qui libertate corporis veram libertatem parari putant, breui hypotyposi ob oculos ponit. viden' tu, ait, hunc seruulum Damam? hic nunc quidem non est vllius æris homo: primum agaso, id est, inter seruos abiectissimæ conditionis: nam etsi rectè Iuris auctoribus dicantur serui vnius omnes conditionis: erant tamen inter ipsos aliis alij lautiores, vt ait Cicero. neque eodem loco habebantur atriensis aut dispensator cum mulione aut agasone. hic igitur agaso est *treßis*, id est, τριωβόλου vix ἄξιος: deinde *vappa* & *lippus* hoc est morib. corruptissimus, & quem nulla commendet virtus: etiam,

—— *in tenui farragine mendax.*

dolorum plenus, quos exercet in rebus minutis: quia nonnisi minuta eius fidei creduntur. hic tamen Dama vbi semel manu fuerit missus, repente pro libero se iactabit impotentissimè, & liber ab omnibus credetur. Dama serui nomen. contractum ex Δημήτριος Δημᾶς, Dama, vt à Μηνόδωρος Μῆνας, Mena: à Θεόδωρος Θευδᾶς, Theuda. *agaso* Græcum est, ἄγω, ἀγάζω, ἀγάζων. Latini *minare* dicunt, vt Festus, Iuris auctores, & Apuleius.

qui asinos minat, *asinarius*. vt qui equos, equarius, qui & equiso. *treßis* membranæ nostræ, non *trißis* vt illæ quibus olim Iosephus Scaliger est vsus.

in tenui farragine mendax.) in administratione peculij, vel si quid aliud eius fidei committitur. videtur alludere ad cibaria & diarij rationem. propriè farrago est non hominum sed quadrupedum pabulum, è genere tritici, vt in leguminibus vitia. in Glossis exponitur γράστις. sanè γράστις, siue vt alij scribebant κράστις non solùm gramen significat, verùm alia quoque pabula iumentorum, maximè farraginem, quæ inter species tritici numeratur. Græca vox Syriaca est putissima גרס siue גרש contundere גרש triticum contusum. χίδρα Græcis vt dicebamus, ad XIV. Athenæi. inde γράστις etsi paullum diuersa notione. inde etiam est γέρας, prorsus ratione eadem ac τέμενος fit à τέμνειν. sed hæc alibi, si Deus volet, accuratè.

Verterit hunc dominus.) hunc ipsum Damam si liberum esse iusserit dominus, & de more circumegerit. *Vertere* pro manumittere acrimoniæ Stoicæ verbum. Epictetus apud Arrianum libri II. initio. ὅταν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησε; ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ.

momento turbinis exit Marcus Dama.) pars membranarum *momento temporis* haut dubiè ex glossemate. de re subita Græci παροιμιακῶς dicunt τρυπάνου περιστροφή. non dissimile apud Augustinum,

in verticem libertatis exilire. inter nomina seruilia quædam erant à quib. non abhorrebant liberi: alia quæ in hominem liberum non caderent. Dama iste seruus etiam liber factus nomen seruat: sic Mena ille Pompeij libertus de quo Horatius & Dio. honestissima enim illa nomina, vt antè ostendimus. Erat autem, quod sciunt omnes magna in nominibus ambitio: & vt poëta ait, *gaudebant prænomine molles auriculæ:* quam vanitatem irridet heic satiricus frequenti illa prænominis *Marcus* repetitione. Mirè autem exprimit mores eorum qui post longam seruitutem, libertatem & diuitias tandem simul nacti erant. semper enim isti iactatores, vani, & ob vitium illud otiosi, quod è re Latini insolentiam dixerunt. apud Aristotelem obseruabamus vocem νεόπλουτος pro insolente, quia vt verè ait Seneca, *nihil est insolentius nouitio diuite.* pulchrè libertinorũ mores istos expressit Plautus Persa, scena *Qui sunt qui erunt.* sic ὀψίπλουτον eundem vocarunt, eandem ob caussam, vt ostensum est ad Theophrastum. Basilius ὀψίπλουτον & ἀπειρόκαλον prudenter iunxit. Apud Græcos quoq. seruile nomen manumissi mutabant, vel certè syllabis augebant. vt Stephanus ille qui Philostephanus appellari voluit, in quem est epigramma non inficetum, lib. II. Græcorum epigr.

papæ! Marco spond.) sunt verba recens manumissi: vel potius vilis parasiti qui illorum vni turpiter adulabatur. hoc melius.

Marco sub iudice p.) ὑπὸ δικαστοῦ Μάρκου. id est,

δικάζοντος. Ouidius:

Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.

Sic alibi idem:

Sæpe ego correxi sub te censore libellos.

Obiter verò Persius indignationē suam prodit, quod pareret illa ætate iudicum ordo etiam libertis, soleréntque ex iis in iudices legi.

Marcus dixit, ita est.) insignis adulatio cuius similia exempla legere est apud Theophrastum, cap. περὶ κολακείας.

Hæc mera libertas.) conclusio præcedentium: qua colligit iste ex effectis quæ commemorauit, veram esse libertatem quam manumissi consequantur, & quam pilea donent: quod fuisse insigne manumissionis notum est.

hoc nobis pilea donant.) ita omnes scripti non *hanc.*

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam Cui licet vt voluit?) Pergit iste id quod diximus probare: duplex probandi via, à posteriore, vel à priore. hæc vt certior & demonstrationi veræ aptior, ita obscurior & operosior. illa planior, sed minus efficax. est autem præceptum rhetorum, validiora argumenta infirmioribus subiicere. omnia hæc mirificè seruata heic. præcessit probatio ab effectis: nam seruus legitimam personam non habuit sistendi iudicio: qui sponsores, testes, iudices etiam sunt, profectò illi sunt liberi. sequitur probatio à priori, sanè Achillea: est enim à definitione libertatis. hanc definit, *libertas est facultas viuendi vt velis.* ita Stoici, ἐξουσία

ἐλευθερία ἐξουσία αὐτοπραγίας, vt apud Laërtium. propius ad verba istius accedit Epictetus apud Arrianum: Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται. Paullò aliter Dio Chrysostomus in XIV. Obseruabunt heic tirones syllogismum cum omnib. suis partibus, & quidem ex arte positis: quod vel apud Aristotelem aut Senecam ipsum aut alios philosophos veteres non sæpe occurrit. res enim est putidissimæ ostentationis, & prorsus nugatoria, si careat modo.

Mendosè colligis.) παραλογίζῃ. ὁ σὸς συλλογισμὸς ἀσυλλόγιστός ἐστι. vel vt Stoici potius loquuntur, ὁ λόγος σοῦ ἐστιν ἀσυλλόγιστος. paralogismum statim aperiet.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.) Stoicus hic, ὁ δεῖνα. vel, ego Stoicus, vt αὐτὴρ ὅδε, & *hic* pro ego apud dramaticos sæpe. etiam de Cornuto ad quem scribit potest accipi. *Acetum* pro acrimonia iudicij apud Horatium. Ausonius,

Scillite decies si cor purgeris aceto.

ait, *aurem lotus*, vt suprà, *purgatas aures*. simul ad fabulam puto alludi, & veterum opinionem: eum cui draco aurem lambissет, adeò subtilem aurium sensum habiturum, vt etiam consilia deorum sit intellecturus, & voces auium percepturus. Logicæ peritiam commendat: de qua multum se Stoici iactabãt. ego pueros puto fuisse, præ diuino Aristotele: & eorum in hoc genere scripta ὕβλον ἢ φλωάφον, præ Aristotelis Organo: quo opere omnia mortalium ingenia (diuina aut de rebus diuinis semper excipio:) longe superauit.

Hoc, reliquum accipio, licet illud & vt volo, tolle.) Respondet superiori syllogismo: & assumtionem illius se non admittere ait: minor propositio erat: *licet vt volo viuere.* hoc, inquit Persius falsum est: idémque mox demonstrabit, non posse eum qui non viuit ex virtute, viuere vt velit. cùm dicit, *hoc reliquum accipio,* significat se maiorem propositionem admittere. de illa enim sola loquitur, non etiam de cõclusione. Dio Chrysostomus in XIV. dissertationum suarum contra similem huic syllogismum disputans, maiorem propositionem oppugnat: probátque non eam esse libertatem viuere vt velis: sed viuere vt iubeat ratio recta. Est autem error in hac argumentatione, quem vocat philosophus περὶ τὸ ὁμώνυμον: qui paralogismi refelluntur negata consequentia. Dicendum enim est, inquit Aristoteles, ὅτι ἔστι μὲν ὡς οὐ, ἔστι δὲ ὡς ναί. In scholis dici solet, inesse quatuor terminos: rectè: nam vox ambigua instar habet duorum terminorum. Vera igitur solutio superioris paralogismi pendet à distinctione libertatis. Libertas enim, vt antè diximus, alia est animi, alia corporis, illa naturalis dicitur philosophis, Ciceroni, Senecæ, Philoni, aliis: cùm naturæ conuenienter viuimus, animóque sumus composito οἰκείως τῇ φύσει. hanc nulla περίστασις, casus nullus potest adimere: atque hæc vera libertas, quam qui habent liberi semper sunt. libertas corporis multiplex est: quemadmodum multæ sunt eius seruitutes quæ ἐξουσίαν αὐτοκρατορίας illi adimunt: vt morbi

morbi, carcer, dominus. libertates ab istis vocat Philo ἐλευθερίας προφασιστικὰς, quasi per occasionem natas: verùm has Stoici negant esse tanti, vt earum sit habenda ratio in æstimanda vera libertate aut felicitate. Sed cùm inter species libertatis corporeæ ponant etiam Stoici libertatem ex iure Quiritium: fatendum illis erit, notione ista valere superiorem syllogismum: rectè igitur illud Aristotelis vsurpaueris: ἔστι μὲν οὖν οὗτος ὁ ὡς παῖς.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi, Cur mihi n.) Libertus hic negatam sibi assumtionem probat argumentatione, cuius propositio maior est: Quisquis à prætore manumissus est, ille habet libertatem faciendi quod vult. Sed & superiorem syllogismum corrigit idem. Posuerat, Liber est cui licet vt vult ducere vitam: nunc ita emendat propositionem illam: Liber est cui licet viuere vt vult, nisi quid leges impediant. Iustinianus Imperator: *Libertas ex qua etiam liberi vocantur, est naturalis facultas, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur.*

Vindicta.) Græci Iurisconsulti, Βινδίκτα, ἡ ῥάβδος μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ στρατηγὸς τῶν ἐλευθερουμένων κεφαλὰς ἔπαιον φάσκοντες. ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ.

meus à prætore recessi.) *meus*, id est liber. Priscianus trib. quatuórve locis ex Euripide affert, ἐγὼ δ' ἐμὸς εἰμι: sed videtur de alio genere libertatis intelligendũ. ita autẽ Plautus in Menæchmis,

Id si adtulerit, dicam vt à me abeat liber quo volet:
Ne tum quando suus factus sit, à me argentum petat.
ita legimus locum illum, cum Iosepho Scaligero: non vt editum est, *sanus factus sit.*

Masuri rubrica.) non legum tantùm principia & titulos rubrica notabant: sed omnium quæ scribebant ἐς κάλλος: Sidonius ad Ferreolum de suis epistolis: *iure vobis in hoc opere primæ titulorum rubricæ, prima sermonum officia dedicarentur.* Glossarum magister *rubricam* exponit διὰ μίλτου ἐπιγραφήν: sed non purum minium, opinor, adhibebant: verùm ceram miniatam, quæ Ciceroni *miniatula*, Vitruuio *cera ex milto.* in notarij βιβλιογράφου supellectile erat cera alba & cera miniata: vtriusque meminit Achilles Statius in Aratum, & κηρὸν μεμιλτωμένον vocat. hac cera vtebantur critici cùm libros recensebant. & notas sibi familiares illis appingerent, quas παραπλάσματα dixerunt. Hesychius παραπλάσματα τὰ κηρία τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς ζητήμασιν ἐν τοῖς βιβλίοις. & παραπλάσσειν librum ita recensere, quod vsitatius στίζειν dicebant. Hesychius: παρερρυπωμένα βιβλία, οἷς κηροὺς προπλάσσομεν, πρὸς τὸ ζητῆσαί τινα. fortasse scripserat, παραπλάσσομεν: sed & alterum feram lubens.

Disce: sed ira cadat naso rugosáque sanna.) Responsurus ad superiorem argumentationem vtitur προθεραπείᾳ, & libertatem responsionis deprecatur.

ira cadat naso.) quia, vt ait Theocritus, βαρεῖα χολὴ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Lucilius:

--Calpurni sæuam legem Pisoni' reprendi,
Eduxíque animam in primoribus naribus.

Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.) *veteres auias* possumus simpliciter accipere, falsas opiniones, quas à maioribus accepisti, nutriculis putà & aliis aniculis. Plato in Theæteto, μὴ ἀγρίαινε ἐπειδὰν τινα λῆρόν σου ἀφαιρῶμαι. sed quia ait,

—— de pulmone reuello,

malim intelligere per *veteres auias* opinionem nobilitatis, & arrogantiam ventosam, cuius sedes in pulmone. hac petitione opus habet sequens disputatio, qua probabitur seruos esse omnes præter sapientem. nam huiusmodi sermones durissimè accipiebant Romani iuuenes, qui Codro nobiliores sibi videbantur, quod maiorum suorum imaginibus atria domorum suarum viderent completa. quare Epictetus apud Arrianum initio IV. scribit, hoc Stoicum paradoxum plagis solitum à proceribus Ro. excipi. Obstat huic interpretationi, quod is qui heic loquitur, libertus & ipse fuit:

Vindicta postquam meus à prætore recessi.

sed hoc nihil est: neque enim in eiusmodi fictis personis rigidè seruant auctores τὸν χαρακτῆρα quem semel illi imposuerunt.

Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum Officia.) Refellit superiorem argumentationem. Sensus autem est. Quod confugis ad auctoritatem Prætoris, erras. Prætor quod suum erat, fecit: nexu illo iuris ciuilis te liberauit, quo in seruitute corporis tenebaris. Illud nego potuisse

Prætorem: efficere vt tu qui sapiens non es sed stultus, veram sapientiam consequereris. ea namque animi libertas est: quam sola philosophia potest conferre: hæc quippe est quæ virtutis atque omnium officiorum rationem docet: & vt omnia verbo complectamur, hæc est vitæ ars & magistra: hanc qui non tenet, liber nunquam erit. Potest hic locus etiam aliter exponi hoc modo. Cùm dixisset aduersarius ex manumissione libertatem sibi partam fuisse faciendi quicquid vellet, exceptis iis quæ contra leges essent. illi respondens Persius ait: eum qui verè liber sit futurus nõ ab illis solùm abstinere, quæ leges vetent: sed omnino ab omnibus iis quæ rectæ rationi repugnant: quamuis de illis nihil editum sit à Prætore. Simillimè Dio Chrysostomus in XIV. disputat: non statim liberum esse dicendum eum, qui faciat quod vult, excepto si quid leges vetent: nam præter legibus vetita, multa esse alia quæ non putabit sibi licere verè liber: vt leno esse, aut vectigaliorum exactor, & similia his turpia ἢ ἄπρακτα iudicio omnium hominum. hoc est quod ait Seneca in II. De ira, *angusta innocentia est, ad legem bonum esse.* M. Tullius Officiorum lib. III. *Aliter leges aliter philosophi tollunt astutias: leges quatenus tenere manu res possunt: philosophi quatenus ratione & intelligentia.* Scelera & grauiora peccata leges vindicant: parua quæ appellatione morum Latini scriptores sæpe intelligunt, censores notant, philosophi carpunt, hi verò etiam minutissima obiurgant,

nec ferunt: vtique Stoici: quorum dogma est, peccata omnia esse æqualia, & sibi inuicem cohærentia. Cùm igitur ab omni peccato abstinere debeat is, qui verè futurus est liber, iure Persius normam iusti aut iniusti, honesti aut inhonesti negat à prætore petendam: cuius est munus, leges exercere, mores corrigere.

Non Prætoris erat. —— supple, sed philosophi.

stultis.) iis quos manumittit: vel quibus leges ponit. vox Stoica: nam in hac secta stulti omnes præter sapientem: nec solùm μωροὶ, sed etiam μαιόμβροι.

tenuia rerum Officia.) Scelera & maiora flagitia vetant leges: *officia rerum*, id est, seruanda in rebus agendis, non docent leges nisi παχυμερῶς, & διχαιοδῶς. philosophi verò accuratè explicant quæ boni viri sint officia, in omni re etiam minima: puta, victu, vestitu, incessu, aliisque etiam minutioribus. nulla enim est pars philosophiæ quæ latius pateat, aut λεπτολογίαν maiorem admittat, quàm locus de officiis. de his Seneca epistola XCIV. *Tenues differentias habent*, præcepta moralia, *quas exigunt tempora, loca, personæ.*

atque vsum rapidæ permittere vitæ.) Non erat prætoris liberum te pronuntiare, & tibi permittere facere quæ velles. hoc enim tam insigne beneficium, non prætoris vindicta confert: sed institutio recta apud philosophum. Ille postquã affectibus te liberauit, eúmque effecerit, qui nihil velis, nihil optes, nihil metuas, nisi quod ra-

tio suaserit: ille, inquam meritò liberum te pronuntiabit, & vitæ tuæ arbitrium tibi permittet.

Sambucam citius caloni aptaueris alto) Non posse fieri, vt Prætor artem vitæ tradat, & veram libertate quenquam donet, multis exemplis docet, probátque: quorum hoc primum est: Sicut stultum fuerit à calone siue cacula militis alicuius, homine omnium rerum rudi atque imperito velle exigere, vt instrumenta musica scienter tractet, tanquam aliquis citharœdus vel aulœdus: sic ineptum est à Prætore artem vitæ aut veram libertatem expectare. quam nos harpam quasi ἅρπλω, propter aliquam veteris formæ similitudinem dicimus, Græci & Latini sambucam, voce Syriaca. est & genus machinæ poliorceticæ: nec malè de ea acceperis: nam illa machina maioris erat ponderis, quam vt eam homo vnus quantumuis validus posset baiulare, sed malo priorem interpretationem. *calonem* dixerunt militis famulum Græca voce: quia κάλα id est ligna hero procurabat & cætera necessaria. *alto*, id est stulto, vt ille παίσχρος ἐκκαιδεκάπηχυς apud Theocritum. pro sambuca etiam ζαμβύκην dixerunt: & ita apud Hesychium & B. Chrysostomum.

Stat contra ratio.) Contra rationem est, vt medicus fabrilia tractet, aut faber τὰ ἰατρικά. idem in omnibus artibus: stultum est exigere à quoquam id quod non didicerit, non profiteatur. cur igitur speres rationem vitæ beatè degendæ à Prætore te accepturum?

& secretam garrit in aurem.) Pars librorum *gannit*: plerique *garrit*: cur autem secretam? quia hæc Stoica dogmata non solùm ingrata vulgò, sed etiam periculosa apud proceres, vt modò ex Arriano ostendebamus. sic in VI.

——*paullum à turba seductior audi.*

Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.) ne liceat illi arti te immiscere quã nescias. Alludit ad prouerbium, Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Publica lex hominum naturáque continet hoc fas.) sancitum & receptum est & naturæ lege & omnium gentium, vt ne ea quisquam aggrediatur quæ nescit. hoc & sequenti versu paullò aliter repetit quod duobus præcedentibus dixerat.

Vt teneat vetitos inscitia debilis actus.) ita σύνταττε. & naturæ gentium iure constitutum est, vt *debilis inscitia* cuiuscunque artis imperitus, & propterea impotens ad illam exercendam: nam imperitia ἀδυναμία quædam est: *teneat vetitos*, id est habeat pro vetitis ac sibi interdictis: *actus* nempe quos nescit: quod supplendum ex vi vocis *inscitia*. intelligit ignoratæ scientiæ τὴν πρᾶξιν.

Diluis helleborum c.) redit ad exempla. nemo ferat quæ sunt medici agere eum qui non sit medicus.

certo puncto.) pro genere veratri quo vtaris, pro genere morbi, pro anni tempore, pro viribus denique ægroti.

vetat hoc natura medendi.) Naturam dixit pro

arte. quia naturã ars imitatur, & adiuuat, neq. facit quicquã nisi quod ipsa si posset faceret. alioquin, non medendi natura, sed ipsa vniuersi natura & ratio vetat εὐταξίας fines migrare. ilicet enim perturbata omnia, si mederi morbis aggrediatur arator, aut arare medicus.

~~Nauem~~ *si poscat s.*) Dio Chrysostomus in x. ὃς ἂν ἐπιχειρῇ πηδαλίῳ χρῆσθαι, οὐκ ἐπιστάμενος κυβερνᾶν, ἐστὶν ὅπως οὐκ ἂν τάχιστα ἀνατρέψας τὴν ναῦν αὐτόν τε ἀπολέσειε καὶ τοὺς ἐμπλέοντας;

Luciferi rudis.) totius cœlestium θεωρίας imperitus: quæ ex aliqua parte nauis gubernatori est necessaria. ne aratorem quidem penitus Luciferi rudem esse oportet, vt docent Hesiodus, Virgilius & alij rei rusticæ scriptores.

exclamet Melicerta.) ὁ τυχών, quiuis. sed ideò Melicertam posuit, qui vnus est è diis marinis: quia nauigantib. non occurrunt alij ferè quàm dij maris aut Tritones.

periisse frontem de rebus.) impudentissimè totam rerum naturam esse peruersam. *frons* ἡ αἰδώς. Theognis:

Αἰδὼς μὲν γὰρ ὄλωλεν, ἀναιδείη δὲ καὶ ὕβρις
Νικήσασα δίκην γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει.

de rebus valet heic ex hominum societate & cõmerciis. Synesius, οἴχεται τὸ δίκαιον ἐξ ἀνθρώπων.

tibi recto viuere talo Ars dedit.) More suo Persius, postquam docuit, vnde libertas vera non deberet neque expectari neq. peti, subiicit eius parandæ veram rationem: ea autem non est alia, nisi philosophia, quam vocat artem κατ' ἐξοχήν.

ea enim est illa ars supra omnes artes quæ doceat vitam rectè beatéque degere. quare passim Ciceroni, Senecæ, aliis *ars vitæ* dicitur, & *lex vitæ*. vnum apponam Senecæ locum: *Philosophia nihil aliud est, quàm recta viuendi ratio, vel honestè viuendi scientia, vel ars rectè vitæ agendæ. Non errabimus si dixerimus, philosophiam esse legem bene honestéque viuendi. & qui dixit illam regulam vitæ suum nomen illi reddidit.* Epicteto ὄφελημα τοῦ βίου: vt in his è libro III. quæ operæ sit apponere. faciunt enim apprimè ad disputationem Persij. ἡ ὅτι τὸ ποιοῦν ἀκώλυτον τὸν ἄνθρωπον καὶ αὐτεξούσιον; πλοῦτος γὰρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ ὑπατεία, οὐδὲ ἡγεμονία, οὐδὲ βασιλεία· ἀλλὰ δεῖ τι ἄλλο διαπεπλάσθαι· ἡ οὖν ὅτι τὸ ἐν τῇ γεωμετρίᾳ ἀκώλυτον ποιοῦν καὶ ἀναποδόδοτον; ἢ ὄφελημα τοῦ γεωμέτρου. ἡ οὐκ ἐν τῇ κιθαρίζειν; ἢ ὄφελημα τοῦ κιθαρίζειν. οὐκοῦν δὲ ἐν τῇ βιοῦν, ἢ ὄφελημα τοῦ βιοῦν. Summa est: Liberum esse illum, qui dicat, faciat quicquid libuerit sine vllo impedimento. hanc facultatem non opibus, non dignitate aut potentia parari posse, nisi sola arte vitæ. quemadmodũ facultas scribẽdi quicquid libuerit, non paratur aliter quàm si artem scribendi addiscas: facultas lyram pulsandi, non aliter quàm si citharisticam artem discas. Ab eadem mente est illud M. Tullij in II. Tusculanarum: *philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artémque vitæ professus, delinquit in vita.* hinc etiam ἄπειροι τοῦ ζῆν τὸν βίον αὐτῶν Plutarcho dicuntur in libello de tranquillitate animi, qui rationes bene viuendi ignorant. Cæte-

rùm totus hic locus vsque ad illa verba,

Hæc mea sunt teneo, —— vel ἐρωτηματικῶς legendus, vt nihil affirmet: vel accipiendum ἐξ ὑποθέσεως, vt sub conditione affirmet. Continent autem hi nouem versus boni viri & sapientis χαρακτηρισμόν. *recto viuere talo*, Græcis ὀρθοποδεῖν ἐν τῷ βίῳ. Callimachus idem prouerbiũ aliter vsurpat, hymno in Dianam: τῶν δ' οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη, communem omnium perniciem denotans.

& veri speciem dignoscere calles.) rem quæ similitudinem veri habeat non sit vera. Et Bongarsij & Puteani vetera exemplaria omnia *specimen*, non *speciem*. vtrumque feras: sed melius *speciem*, Iohannes Saresberiensis libro VII. *Deus species discernit à rebus*:

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro:

vnde & hypocrisis nomen accepit: videtur legisse in suis libris:

—— *à vero speciem dignoscere calles.*

& *verum* interpretatur res: *speciem*, falsam imaginem, qua videntur res esse quæ non sunt.

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro.) Apud Priscianum variis locis ita semper distincte: non vt in aliis libris, *subærato*. quod Græcorum est ὑπόχαλκον, sæpe apud Plutarchum. Themistius Euphrades oratione prima: εἴ τις χρυσίον ὑπόχαλκον, ἢ πορφύραν ἐψευσμένην τὸ αὔθος, ἢ λίθον ἐπιβουλεύσας (scribe, κιβδηλεύσας) εἰς τὴν ἀγορὰν ὑμῖν εἰσαγάγη ὀργιεῖσθέ τε καὶ οὐκ ἀνέξεσθε. in libris Iuris Græcorum, adulterinæ pecuniæ genera adnotabamus, τὰ

χρυσοειδῆ, τὰ ἀργυροειδῆ, τὰ ὑπόχαλκα, τὰ καττιτήρινα. in *tinniat* est κυριολογία : in metallis enim propriè locum habet id verbi : etsi etiam de aliis dicitur.

Es modicus voti.) seruas illud sophi, Μηδὲν ἄγαν. *modicus voti*, vt apud Tacitum, *modicus originis*, *modicus pecuniæ*.

pressus Lare.) viuis frugaliter, & in omnibus vitæ partibus ἀσκεῖς σωφροσύνην. vel refer ad modicas & angustas ædes. Sallustius : *illos binas aut amplius domos continuare : nobis larem familiarem nusquam vllum esse.*

dulcis amicis.) intelligit eam virtutem quam philosophus in medio collocat ἀνθαδείας & ἀρεσκείας, & vocat φιλίαν.

Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes.) Inceptum eorum demiror, qui lectionem hanc sollicitant tanta confidentia : quos refellunt omnes membranæ. iam diximus characterem sapientis heic proponi à Persio. supplendum igitur sic, is es tu qui iam nunc adstringas. &c. ita semper in pulcherrimo Theophrasti libello similis argumenti, τοιοῦτός ἐστιν οἷος. legitimus opum vsus est in λήψει καὶ δόσει vtrumque tangit noster philosophus.

Inq; luto fixum poscis transcendere nummum.) & is es tu qui possis contemnere lucrum turpe & quod lutulet, vt ille ait. hinc *luteum lucrum* apud Augustinum in v. Confessionum. Græci quæ summo contemtu digna esse volunt ostendere, comparant τοῖς ἐν τέλμασι : vt alicubi Iulianus.

αἰσχροκέρδειαν sic eleganter Horatius expressit. Lucilius paullò aliter: *Mordicus petere aurum è flamma expediat, è cœno cibum.*

Nec glutto sorbere saliuam Mercurialem.) non solùm αἰσχροκερδὴς non es: sed ne φιλοκερδὴς quidem: hæc diuersa sunt: sed quæ se mutuò ferè consequantur. nam qui lucrum amant, non multùm soliciti sunt. vnde illud adueniat, modò veniat. *glutto sorbere*, qui auidè gluttit. gluttus, est pars colli qua cibi transmittuntur. ficta vox per onomatopœiam: nam *glut* est imitatio soni, quem edit liquor per angustum tramitem means. vetus poëta de rustico ebrio:

Percutit & frangit vas: vinum defluit: ansa
Stricta fuit: glut glut murmurat vnda sonans.

Glossæ, *Gluttus*, βρόιχος. Theocrito βρόχθος. ὡς μὴ δὴ τοι τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο. inde *gluttire*, quod de saliua solet dici. Augustinus De ciuitate Dei lib. VII. *propter solas saliuas colatur Ianus deus, quibus partim glutiendis, partim expuendis sub cœlo palati vtraque panditur ianua.* Glossæ, *Gluttit* ἐγκάπτει. *glutto* ὁ λίμβος. *saliua Mercurialis*, cupiditas deuorandi lucri. vide ad VI.

Hæc mea sunt teneo c.) Concludit eum demum esse liberum cui superior sapientis descriptio conueniat. concludit autem sub conditione, cuius vtramque partem tractat.

prætoribus ac Ioue dextro.) non solùm volente prætore: cui tuam libertatem paullò antè acceptam ferebas: sed ipso etiam Ioue, qui veræ libertatis est auctor certissimus: ideò Græcis

Ελευθέριος, Latinis Liberator dictus.

cùm fueris nostræ paullò antè farinæ.) cùm esses paullò antè vitiosissimus. respicit illa,

—— *Dama hic non tressis agaso,*

& quæ sequuntur. Prouerbium Latinum ad notandam similitudinem, *est eiusdem farinæ*, propriè locum habet in panibus. *nostræ* dixit, modestiæ caussa.

pelliculam veterem retines.) Membranæ, *retinens.* leuiter mutauit Græcum prouerbium, τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα φυλάττει: quo vsus Plato simillimè vt heic Persius, in Alcibiade priore. οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττειν ἐπιχειροῦσιν, ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη, φαῖεν ἂν αἱ γυναῖκες, τρίχα ἔχοντες ἐπὶ τῇ ψυχῇ, ὑπὸ ἀμουσίας, καὶ οὔπω ἀποβεβληκότες. Olympiodorus in commentariis sic notat: παροιμία ἐστὶ γυναικῶν ἐπὶ τῶν ἐλευθερουμένων δούλων καὶ ἐπιμενόντων ἐν τῇ δουλείᾳ, Ὅτι ἔχεις τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα ἐν τῇ κεφαλῇ. τουτέστιν ἔτι τὴν δουλικὴν τρίχα ἔχεις. πάλαι γὰρ καὶ τοῖς ὀνόμασι διεκέκριντο οἱ ἐλεύθεροι τῶν δούλων καὶ ταῖς θριξί. Γέται γὰρ καὶ Δάοι καὶ φρύγες ὠνομάζοντο. νῦν δὲ καὶ ταῦτα συνεχύθησαν. allusit Gregorius Naz. in Apologia: πρὶν ἀποθέσθαι σχεδὸν τὴν πρότην τρίχα. Sed Persius fortasse ad vernationem anguium respexit qui vere nouo (interdum & autumno teste philosopho) ponunt veterem pellem: quæ Græcis λεβηρὶς ac σύφαρ.

fronte politus.) minus rectè quidam veterum, *polita.* in III.

—— *nequicquam pelle decorus.*

Astutam vapido seruas sub pectore vulpem.) dolosus es ac fraudulentus. *sub pectore* omnes vett.

non *in pectore*. paullò pòst,

—— *calido sub pectore bilis*

Intumuit. —— apud Saresberiensem legitur,

—— *astutam gerit sub pectore vulpem*.

sed est μνημονικὸν ἁμάρτημα in verbo, aut ἑκούσιον ἀντάλλαγμα. Pro *vapido* alij libri *vafro*. verùm amat Persius vocem *vapidus*, quam ἁπλῶς vsurpat pro malo. propriè de vino dicitur.

Quæ dederam suprà repeto.) dederat illud, *esto libérque ac sapiens*. hoc nunc repetit: asserit istum neque liberum esse, neque sapientem. ergo seruus & stultus: quod ex vi argumentationis reliquit colligendum. *repeto* omnia exemplaria non *relego*. quod minus conuenit huic loco. Plautus diceret, —— *infecta dona facio*: vt in Mostellaria.

funémque reduco.) puerilis apud Græcos lusionis genus per attractionem funiculorum, & intentionem. Aristoteles vocat ἀνάτασιν σπαρτίων. proprio nomine ἡκιστίνδα apud Pollucem. eò alludit Persius: & non semel in alia sententia Tertullianus: apud quem *contentionis funem ducere*, & *contentioso fune deducere* sæpius legas. Apud M. Tullium in Hortensio, *calculum reducere* ab alio genere lusus, idem prorsus significat. *Itaque tibi concedo*, ait, *quod in duodecim scriptis solemus, vt calculum reducas, si te alicuius dati pœnitet*.

Nil tibi conceßit ratio: digitum exere: peccas.) Prolepsis est: poterat iste dicere: non sum perfectè sapiens: sapiens tamen. opponit decretum

Stoicæ ſcholæ: quæ pronuntiat, omnes qui non ſunt ſapientes eſſe ſtultos, nihil eſſe medium: peccata enim non diſtingui, ſed eſſe æqualia. horum probationem apud Stoicos Senecam & Epictetum legere eſt, & apud M. Tullium ac Stobæum. *digitum exerere*, in exemplum ponitur minimæ actionis, & in quam non videatur boni aut mali ratio cadere. cadit tamen ex doctrina Stoicorum. Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. II. cap. X. οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε καλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωικοί. ex Chryſippo aut alio quodã Stoico deſcribit Clemens. indidem & Perſius: qui non ſolùm doctrinam Stoicorum, ſed & verba ipſa illius ſcholæ ſæpiſſimè expreſſit. Epictetus Enchiridio, ἡ φιλοσοφία φησίν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῇ προσήκει. apud Arrianum lib. II. cap. XI. διὰ τί οὐ ζητοῦμεν τὸν κανόνα καὶ ἀνευρίσκομεν καὶ ἀνευρόντες λοιπὸν ἀπαραβάτως χρώμεθα, δίχα αὐτοῦ μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες; Zeno quidem apud Laërtium, & Stoicus item alius apud Stobæum in Phyſicis excerptis, ponit inter indifferentia, τὸ ἐκτεῖναι τὸν δάκτυλον ἢ συστεῖλαι. & Chryſippus locutione prouerbiali de re nihili ſolitus dicere, οὐδὲ τὸν δάκτυλον καθήκει προτεῖναι χάριν τούτου, vt non ſemel legimus apud Plutarchum: Cicero vertit III. De finibus, *Chryſippus ne digitum quidem eius cauſſa porrigendum dicebat.* ſed tamen in hoc, in re inquam adeò parua ſapientiæ ſuæ ſpecimen editurum ſapientem affirmabant: quod ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι dicebat Chryſippus, vt ex Plutarcho cognoſcimus

De contrarietatibus Stoicorum. Eadem sententia est illius effati Stoici, ὁ μωρὸς οὐδὲ φακτῶ κακῶς ἕψει.

Nil tibi conceßit ratio:) Sic omnes membranæ: non *Ni tibi conceßit r.* —— quod ex verbis Clementis modò allatis reponebat Iustus Lipsius, meo iudicio, appositissimè: etsi vulgata ferri potest.

sed nullo thure litabis.) nulla argumentorum ratione obtinebis, οὐκ ἐκνικήσεις. translatum à rebus sacris: nam qui accipiunt vt sonant verba, falluntur.

Hæreat in stultis breuis vt semuncia veri.) vt sapiens vlla ex parte sit, qui non totus sapit. Ratio Stoicorum: quia virtutes se mutuò consequantur: vt qui vnam habeat omnes habere sit necesse. & contrà: qui vna careat, omnibus nudatum esse necessariò. Laërtius: τὰς ἀρετὰς λέγουσιν ἀντικολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. quæ verba habet Laërtius à Chrysippo, cuius locum plenius refert Plutarchus De contrar. St. & passim qui de ea philosophia scripserunt. hinc sequitur, nihil medium esse inter virtutem & vitium. Diogenes: ἀρέσκει αὐτοῖς μηδὲν μεταξὺ εἶναι ἀρετῆς τε κακίας. atque hæc sententia Stoicorum etiã Peripat. nonnullis placuit: non omnibus: vide Alexandri Aphrodisei Quæstiones lib. IV. quæst. III. & IX. ac XXII. Gregorius Nazianzenus in laudatione Basilij: ἄλλοι, inquit, ἄλλο τι κατορθοῦσιν. οἱ δὲ τινὰ τῶν τῆς ἀρετῆς εἰδῶν, ὄντων πλειόνων, ἅπαντα δὲ οὐδεὶς ἐπῆλθε πρὸς τὸ ἀκρότατον. quod Stoicæ doctrinæ con-

contrarium est, sed nimis verum: *breuis semuncia*, curta & cui aliquid deest.

Hæc miscere nefas.) quia sapiens quicquid facit, ex omni virtute id facit: sic vt vna quidem præcellat in singulis actionibus, sed accedant velut succenturiatæ & reliquæ omnes. Plutarchus De fortuna Alexandri, libro 1. Στωϊκός ἐστι λόγος· ὅτι πᾶν ὃ ἂν δρᾷ ὁ σοφὸς κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ· καὶ μία μὲν ὡς ἔοικεν, ἡ ἀρετὴ προταγωνιστεῖ πράξεως ἑκάστης, παρακαλεῖ δὲ καὶ τὰς ἄλλας, καὶ συντείνει πρὸς τὸ τέλος malim π. δὲ καὶ τὰς ἄλλας οἱ συντείνειν π. τ. τ. eadem ex Chrysippo fusius, in Contrar. Stoic. ergo etiam omnia vitia ad singula eorum facta concurrunt, qui sapiẽtes non sunt. quomodo igitur hæc misceantur?

nec cùm sis cætera fossor, Tres tantùm ad numeros satyri moueare Bathylli.) neque obtinebis vt qui reliqua tota vita pro insipiente ac stulto te geras: in quibusdam tamen actionibus sapiens dicaris: *fossor*, imperitus, idiota. apud Strabonem lib. II. & alibi σκαπανέως καὶ θεριστοῦ δίκην. Nicephorus Gregoras, lib. III. de homine imperitissimo: καὶ αὐτῶν, ὡς εἰπεῖν, τῶν ἀπὸ σκαπάνης ἐψὲ τῆς ὥρας ἀπαλλαττόντων ἀπολειπόμενος. sanè venustè. sic in septima historia, ὅσοι ἀγροῦ καὶ δικέλλης ἀπόζουσι. id est fossores & imperiti. heic *fossor*, dicitur is qui non est sapiens. *moueri ad numeros Bathylli*, Italicam saltationem saltare æquè bene ac Bathyllus: qui cum Pylade primus Romam intulit gesticulationem pantomimorum: qui Græcis scriptoribus dicuntur νομίμως ἐρχεῖσθαι, vt in I. Athenæi. *Satyrus*

Bathyllus, non qui ſaltat Satyrum, vt cùm dicimus ſaltare Medeam, aut Canacen: quod Græcus epigrammatum poëta dixit καθ' ἱστορίαν ὀρχεῖσθαι Μηδειαν ἢ Κανάκην. ſed qui non minus bene quàm ſatyrus aliquis ſaltat. nam ὀρχεῖσθαι proprium Satyrorum. *ſatyri* igitur, valet σατυρικοῦ, ἤγουν ὀρχηστικοῦ. ita exponebamus hunc locum prius quàm veniſſet in mentem, quod veriſſimum eſſe non dubitamus, pro *ſatyri* ſcribendum eſſe *ſatyrum*: de qua emendatione vide in imitatione Horatiana. Obſeruemus verò locutionem, *ſaltare ad tres numeros Bathylli*, pro δὶς ἢ τρὶς καλῶς ὀρχήσασθαι κατὰ Βάθυλλον: duos aut tres ſtaticulos ex arte facere, & perfectè. Latini ſolent pro ὀρχεῖσθαι dicere *ad numerum moueri*. Idem ſimile apud Ciceronem, tertio paradoxo: *hiſtrio ſi paullò ſe mouit extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba vna breuior, aut longior, exſibilatur, & explodi-tur: in vita quæ omni geſtu moderatior, (vel modulatior) omni verſu aptior eſſe debet, vt in ſyllaba te peccare dices?* inde orta illa locutio quæ numeros virtuti attribuit: vt apud Marcum Antoninum initio libri III. τοῖς τοῦ καθήκοντος ἀριθμοῖς ἀκριβοῦν. Stobæus in Phyſicis excerptis: κατόρθωμα δὲ εἶναι λέγουσι καθῆκον πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμοὺς, ἢ τέλειον καθῆκον. Cic. vertit in III. De officiis: *Illud autem officium quod rectum iidem appellant, perfectum atque abſolutum eſt, & vt iidem dicunt, omnes numeros habet.* ait diſertè Tullius ita loqui ſolitos eſſe Stoicos: vt Perſium eò reſpexiſſe vero ſit ſimillimum. Seneca epiſtola LXXI. *Idem eſſe dicebat*

Socrates veritatem & virtutem: quomodo illa non crescit, sic nec virtus quidem. habet numeros suos, plena est. idem epistola XCV. *non potest quisquam nisi ab initio formatus, & tota ratione compositus omnes exequi numeros, vt sciat quando oporteat, & in quantum, & cum quo, & quemadmodum.*

Liber ego. vnde datum hoc sumis, tot subdite rebus.) transit ad alteram paradoxi partem: & omnes stultos probat esse seruos: *sumis* verbum philosophicum. λαμβάνειν οὐκ εὐκαθάρτα λήμματα eos dicebant Stoici qui propositionibus vt concessis vtebantur, quas non probassent: quod Aristoteles λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ, id est, τὸ ζητούμενον.

An dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?) an distinctionem hanc ignoras? Seruitus alia est corporis, alia animi. corporis domini sunt homines: animi vitium & affectus: illam soluit manumissio ritè peracta: hanc sola philosophia siue virtus. Philo: δουλεία ἡ μὲν ψυχῆς, ἡ δὲ σώματος λέγεται. δεσπόται δὲ τῶν μὲν σωμάτων ἄνθρωποι, ψυχῶν δὲ κακία καὶ πάθη. quare apud theologos opus seruile est peccatum. Persius rem eandem aliter dicit. quam nos corporis seruitutem diximus, ille appellat exteriorem:

——*necquicquam extrinsecus intrat*
Quod neruos agitet.—— quam nos animi seruitutem, ille interiorem.

--*sed si intus & in iecore ægro*
Nascuntur domini.——

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.) vtriusque seruitutis exempla proponit: & prius

quidem corporis.

Si increpuit, Cessas nugator.) vt apud Iuuenalem:

Vox domini sonat instantis virgámque tenentis
Ergo miser trepidas.——

seruitium acre.) fateris te esse seruum, & quidem δουλείαν δουλεύειν πάνυ ἰσχυρὰν, vt ille apud Dioné Chrysostomum. hoc verò id ipsum est, quod Epictetus apud Arrianum ait libro III. capite XXV. multa facere qui seruiunt cupiditatibus, quæ si faceret seruus iussu domini, de dura seruitute sua multum quiritaret. ἐξελήλυθεν ait, νυκτός· ὅτε ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν, ἀλλ' εἰ προσηναγκάζετο ὑπ' αὐτοῦ πολλ' ἂν ἐπικραυγάσας, τὸ τὴν πικρὰν δουλείαν ἀπολοφυράμενος, ἐξῆλθεν.

Te nihil impellit: necquicquam extrinsecus intrat
Quod neruos agitet.) iam de seruitute altera loquitur: cuius exemplũ non aliunde petit quàm ab illo ipso qui cum disputabat. εἰρωνικῶς hæc dicuntur, sine interrogatione omnino legenda. Dices tu, illum cui herus imperat esse seruum: neque habere ἐξουσίαν αὐτοπραγίας: quia aliena voluntate & iussis impellatur ad ea facienda, quæ facit: te facere quæ velis ipse. Eleganter seruum comparat cum sigillaribus siue neurospastis, quæ per se ἀκίνητα, verticillis quibusdam ac neruis mouentur. imitatur verò Horatium, aut vterque potius Platonem primo legum, cuius verba: τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐοῦσαι σπῶσί τε ἡμᾶς, καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν, ἐναντίαι οὖσαι, ἐπ' ἐναντίας πράξεις. sed Persius potuit aliunde sumsisse hoc simile: nam Stoici plurimùm illo vte-

bantur. Leges apud Marcum Antoninum in VII. σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα. Latini simpliciter modò *sigillaria*, modò *neurospasta* nominant. vnde verbum νευροσπαστεῖν: vt in XII. eiusdem, τὰ νευροσπαστούμενά σε πάθη. quo verbo totam Platonis sententiam expressit. νευροσπαστεῖας enim est in diuersa moueri alieno motu: vt in fine primi idem Marcus, μηκέτι τὸ ἡγεμονικὸν ἑαυτῆς δουλεύσῃ. μηκέτι καθ' ὁρμὴν ἀκοινώνητον νευροσπαστηθήσῃ. vbi appellat *vim non communem*, vim quæ vt heic ait Persius intrat extrinsecus, & neruos agitat. sic in fine III. ait ferarum & vitiosissimorum hominum esse proprium τὸ νευροσπαστεῖσθαι ὁρμητικῶς: hoc est, *neuropastorũ more impelli ad res agendas*: quasi dicat, non motu proprio sed alieno: dominorũ nempe animi, crudelissimorũ, cupiditatis, libidinis, metus. obseruent tirones hypallagen venustã in ea locutione: nam potius videtur fuisse dicendum, ὁρμᾶν, νευροσπαστικῶς, vel certè νευροσπαστεῖας καθ' ὁρμήν, vt loquitur lib. VI. interpres vir profundæ eruditionis, locum illum non intellexit. sic autem dixit Marcus in VI. ὁρμητικὴν νευροσπαστίαν. Θαύματος, ait, αἱ ἀπαυλαι αἰσθητικῶς αἱ πτυπίαι & ὁρμητικῆς νευροσπαστείας & διανοητικῆς διεξόδου. hoc est, *mors quies est pugnantium inter se sensuum, & in contraria agitationis ad res suscipiendas, & discrepantium mentis discursũ*. hoc enim vult sapiens Imperator, non quod dixit interpres. sic in VII. σῆσον τὴν νευροσπαστίαν: *siste agitationem quæ te in varia trahit*. ita etiam Philo, Clemens Alexandrinus aliique scriptores locuti sunt: vt alibi prolixè ostendimus.

sed si intus & in iecore ægro Nascuntur domini.) si exteriorẽ dominum non habes, interiorẽ verò circunfers, non vnum sed plures, qua fronte liberum te dices? hi sunt domini qui nascuntur, & neruos intus agitant. Marcus Antoninus extremo lib. x. Μέμνησο ὅτι τὸ νευροσπαστοῦν ἐστιν ἐκεῖνο, τὸ ἔνδον ἐγκεκρυμμένον· ἐκεῖνο ῥητορεία, ἐκεῖνο ζωὴ, ἐκεῖνο, εἰ δεῖ εἰπεῖν, ἄνθρωπος. ait Marcus sanè quàm ἐμφατικώτατα, illud occultũ quod intus nos mouet, id esse ῥητορείαν, ζωὴν ἄνθρωπον, hoc est, quod faciat nos hoc aut illud studiosè persequi: exempli caussa, eloquentiam: id esse per quod viuimus: quia ita viuimus vt illud est, quod nos impellit. libidinosè si libido vrget: meticulosè, si metus: iracundè, si ira: denique hic velut alius homo quidam est, dominus illius intra quem habitat. hæc mens optimi imperatoris. qui sic alium hominem intra hominem collocat, vt Persius heic ait intus nasci dominos: idem est enim. Sapientes cùm vitia *dominos* vocant, figura illa vtuntur, quam Donatus appellat σωματοποιίαν: quando res inanimis vt animata inducitur. sic in Euãgelio Mammonas, id est, auaritia appellatur dominus: οὐ διὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, vt adnotat Chrysostomus: ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ὑποκλινομένων αὐτῷ ταλαιπωρίαν. & obseruat doctè idem pater alibi, solere Christum ad maiorem euidentiam atq. doctrinæ efficaciam, figura hac vti, quam ψύχωσιν ipse apellat. sic, ἐψύχωσε τὸν καιρὸν, inquit, Matthæi capite vi. sic alia. Hæc cùm verissima sint: subiit sæpe mirari acumen philosophorum, & quidem non plebeio-

rum, ſed qui ſine controuerſia φέροισι τὰ πρωτεῖα: quibus tritas in omnib. linguis locutiones hoc genus κατὰ τὸ ῥητὸν placuit accipere. Pythagoreorum hæc fuit ſententia: naſcenti homini adnaſci aliud animal, quod vocabant modò feram multorum capitum, modò mortalem quandam vitæ ſpeciem: aliquando ἔριν συμφυτὸν, litem homini innatam, alij naturam genitricem, ſiue primam: ſicut ſapientes Hebræorum appellarunt illud ipſum יצר ſiue יצר רע noſtri theologi peccatum originis. Auctor carminis aurei,

Λυγρὴ γὰρ συνοπαδὸς ἔρις βλάπτουσα λήγηθεν
Σύμφυτος. ἣν οὐ δεῖ προσάγειν, εἴκοντα δὲ φεύγειν.

Iamblichus ſic interpretatur: ἐνταῦθα τὸ διπλὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐπέδειξε, τὸ τὸ παραπεφυκὸς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ΑΛΛΟΤΡΙΟΝ ΖΩΟΝ ὅπερ οἱ μὲν πολυκέφαλον θηρίον, οἱ δὲ θνητόν τι ζωῆς εἶδος, ἄλλοι δὲ φύσιν γενεσιουργὸν καλοῦσιν. idem aliquanto pòſt: τὸν ἐν ἡμῖν θεῖον ἄνθρωπον τοῦ πολυκεφάλου θρέμματος ἐγκρατῆ ποιητέον. vbi vides duo intra hominem animantia conſtitui: vnum ferum, de quo iam diximus: alterum mite, quod ipſe appellat diuinum hominem. proculdubio virtutem intelligens. nam vt vitia ita & virtutes animalia eſſe quidam crediderunt. Seneca epiſtola CXIII. *Deſideras tibi ſcribi à me, quid ſentiam de hac quæſtione iactata apud noſtros: An iuſtitia, an fortitudo, prudentia, cæteræque virtutes animalia ſint.* Stobæus in Excerptis phyſicis, de Stoicis loquens: Βούλονται δὲ τὴν ἐν ἡμῖν ψυχὴν ζῶον εἶναι, ζῆν τε γὰρ καὶ αἰσθάνεσθαι· καὶ μάλιστα τὸ ἡγεμονικὸν μέρος αὐτῆς ὃ δὴ καλεῖται διάνοια. διὸ καὶ πᾶσαν ἀρετὴν ζῶον εἶναι,

ἐπειδὴ αὐτὴ διάνοια ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν. Allusit horsum Philo Iudæus in eo libro qui inscribitur, De conuentu ad primas disciplinas. ὁρᾷς ὅτι καὶ ἀπὸ τῆς ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ζώων ἀγόγων, (ταῦτα δ' εἰσὶν αἰσθήσεις) πάλιν ἀπάρχεσθαι διείρηται. & mox: οὐ μόνον ἐπὶ τοῖς ξυλίνοις καὶ γηΐνοις σωματικοῖς, οὐδ' ἐπ' ἀγόγοις ζώοις, ταῖς αἰσθήσεσι, τὸν εὐβρέτην ἐπαινεῖν διδασκόμεθα· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ νῷ ὃς κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι, ἀθάνατος ἐν θνητῷ. Non parum hæc illustrauerint quæ scribit ὁ θειότατος Paulus Apostolus variis locis de interiore atque exteriore homine. At longe alio sensu philosophus dixit in XXVII. sectione Probl. calorem in homine ceu aliud animal esse τὸ θερμὸν ἐν ἡμῖν ὥσπερ ζῶον, quem videntur imitari medici de mulierum matrice idem pronuntiarint: esse illam, vt ait Aretæus, ὁκοῖόν τι ζῶον ἐν ζώῳ, quasi *animal in animali*, vel potius, vt loquitur idē ζωῶδές τι. sed ad Persium redeamus: cuius locum imitatus est Claudianus in IV. Honorij Consulatu, vbi poëta facundissimus multis versibus mentem Persij expressit. Iuuat quædam conferre: Persius ait, *intus nasci dominos*: Claudianus sic:

Si metuis, si parua cupis si duceris ira,
Seruitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges. ——

Boëtius metro II. lib. IV. De consolatione item ex Persio:

Iam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.

Ait Persius, *in iecore ægro*: Claudianus:

At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
In iecur & tractus imos compulsa recessit.
Quæ velut immanes referat dum bellua rictus
Expleri pascique nequit: nunc verbere curas
Torquet auaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet, satiatáque rursus
Exoritur, casáque redit pollentius hydra.

quî tu impunitior exis?) quid causſæ dices esſe, cur tua melior sit conditio, quàm eius qui seruitutem corporalem alij seruit? Egregiè Seneca Naturalium lib. III. *Liber est qui seruitutem effugit sui. Hæc est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, sine interuallo, sine commeatu. Sibi seruire grauissima seruitus est:* Boëtius: *Extrema est seruitus, cum animæ vitiis deditæ, rationis propriæ possessione ceciderint.*

Mane piger stertis:) Deinceps quàm durum sit vitiorum seruitium, cùm plura simul eundem miserè in diuersa trahunt, variis exemplis luculentissimè demonstrat. primum exemplum est illius qui duobus dominis, Pigritiæ & Auaritiæ seruit.

Surge inquit Auaritia.) Salomon Prouerbiorum capite XIII. vt quidem vetus vertit: *vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Pigritiæ proprium est, optare non laborare: ideò Salomon idem capite XXI. *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum: noluerunt enim quicquàm manus eius operari.*

Et quid agam? rogitas? saperdas aduehe Ponto.) rem strue & ea fine nauiga atque mercaturam

exerce: illa munitissima est ad opes via. Seneca epistola CXIX. *Iam ergo paraueram fiscos: circunspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces:* propterea τοὺς ἐμπορικωτάτους esse eosdem πλευστικωτάτους ostendit B. Gregorius Nazianzenus in Apologetico.

lubrica Coa.) vina Græca μαλακὰ simul & μαλακτικὰ vel λεαντικά. sic λεαντικὸν οἶνον leges apud Aristotelem & medicos.

Tolle recens primus piper è sitiente camelo.) Propera Alexandriam vel ad alia orientis emporia, quò piper defertur camelis: nam Romam mari deferebant. Morem tangit mercatorum, qui in eo vel præcipuam lucri quod inhiant spem ponunt: si primi genus aliquod mercis possint importare. Lucilius:

Sicuti cùm ficus primus propola recentes
Attulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

sitiens camelus, non simpliciter πολυδίψιος: sed qui sitim diu tolerat: etiam ad quatriduum.

Verte aliquid,) exprimit satagentiam mercatorum, omnia spe & auiditate lucri molientium. *vertere* vox agriculturæ. terra enim vertitur fodiendo, arando, occando, pastinando, aliis modis. vel dixit *verte* pro auerte, id est decipe, circunscribe. ideò sequitur, *iura*, id est peiera. simplex pro composito, vt apud Ciceronem in Verum, *pecuniæ partem ad se vertere.*

iura.) pro peiera, vt diximus. nam minimo minus interest inter sæpe iurantem & peierantem.

verissimum enim est, quod Philo Iudæus ait, in libro De decem Legis præceptis: φύεται δὲ πολυορκίας ψευδορκία & ἀσέβεια. *qui sæpè iurat, peierat & impius est.*

Sed Iupiter audiet: eheu.) En miseram conditionem hominis quem in diuersa rapiunt pigritia, auaritia, & metus superûm. τὸ *heu* præcedentib. iungi debet non sequentibus.

Varo, regustatum digito terebrare salinum Contentus perages.) Omnia exemplaria simplici *r Varo*: cùm apud M. Tullium & alios hoc nomen scribatur *varro*. Lucilius,

Varronum ac rupicum scarrosa incondita rostra.

Nec pauci libri sunt, vbi scribitur *Baro*, quæ vox Barbara in antiquis legibus Francorum & Alemannorum, marem significat: hodie in Campania & aliis Galliæ locis mulieres suos viros nominant *barones*. sed legant studiosi quæ de his vocibus *varro* & *baro* viri præstantissimi adnotarunt. Sensus est: O stulte si pietatem curas, permanebis adeò pauper, vt bene tecum agi existimaturus sis, si pulmentarij loco salem habeas: qui fuit victus pauperrimorum tantùm eius ætatis: quondam verò plebis Romanæ, vt ex Varrone obseruat Plinius lib. xxxi. cap. vi. & omnis comœdia testis est. Sed mira sententiæ energia, vt vbique apud hunc poëtam, ad paupertatem summam exprimendum. *perages*, Græcum est διάξεις, pro διάξεις τὸν βίον. quandiu viues semper eris pauper. atque adeò spe etiam omni carebis fortunæ paullò saltem lautioris. id enim *conten-*

tus. digito salinum terebrare, est duobus digitis primoribus pauxillum salis delibare, sic vt vestigia impressa pareant digitorum. expressit ad verbum Græcorum prouerbium ἁλίαν τρυπᾶν. Apollonius in epistola ad Euphratem: πάντα φασὶ, δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν· ἐμοὶ δ' εἰη τὴν ἁλίαν τρυπᾶν ἐν θέμιδος οἴκῳ. Plautus dicere solet *delingere salem.*

si viuere cum Ioue tendis.) εἰ ἀρέσκει σοι ὁ κατὰ θεὸν βίος. Plautus Rudente.

Isto tu pauper es, cum ninis sanctè pius.

Iam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas.) Iam tibi auaritia persuasit vt sibi seruires: itaque succinctns ipse, res ad iter necessarias segestri inuolutas, puerorum tuorum humeris imponis, & simul œnophorum manibus illorum aptas, ocyus ad nauem profecturus, vt illam conscendas Orientis emporia petiturus. *pellem* vocat proculdubio segestria, de quibus satis ad Suetonij librum 11. *pueris* autem legimus cum veteribus Bongarsij & nostris: primùm quia nemo se itineri accingere solitus, quamuis tenax & deparcus, quin pueros aut saltem vnum puerum ἀκόλουθον haberet, ad baiulanda στρωματόδεσμα & cætera necessaria. deinde ita est in Horatij versu quem imitatur Persius:

Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur
Te pueri lasanum portantes œnophorúmque.

quare alteram lectionem *Iam puer is*, etsi inuentam nobis in libro Puteani & aliis quibusdam editis non probamus.

quin trabe vasta Aegæum rapias.) rapide seces.

Horatius: —— *vt trabe Cypria*

Myrtoum pauidus nauta secet mare.

sic *campum rapere*, apud Statium. sic Græci suum ἁρπάζειν.

sollers Luxuria.) ingeniosa in corrumpendis hominum mentibus.

quò deinde insane ruis.) Propertius,

Quò ruis imprudens? -- Claudianus,

Quo vesane ruis? —— τὸ *deinde* Græcum est εἶτα φρένας ἠλεὲ σὺ ποῖ ἔρρεις;

calido sub pectore mascula bilis Intumuit.) Bene Luxuria masculum animum criminis loco obiicit militanti in suis castris iuueni: cui potius conueniat molli atque effœminato esse animo. itaque insanire illum pronuntiat, & μελαγχολᾷν: is enim est bilis tumor quem illi obiicit.

quam non extinxerit vrna cicutæ:) bilis atræ feruorem, quo nunc ardet, vix extinxerit cicutæ, quamuis largiter potæ, frigus.

tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro?) túne cùm sis Veneris nepotulus, vt super rudente sedens cœnes in nauium transtris? qui diuitias construere optabant nauigationi operam plurimùm dabant: quod vitæ genus quàm asperum, quàm miserum Luxuria heic ostendit. Antiphanes:

Δύστηνος ὅστις ζῇ θαλάττιον βίον·
Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

Fulcire est ἐρείδειν ἀγκῶνι Græcis scriptoribus, vt in quarto Athenæi. *tibi fulto torta canabe*, vt apud Lucilium *puluino fultus*. Propertius,

Et fulto pluma versicolore caput.

Iuuenalis, *fultúsque toro meliore recumbet.* Toros autem constituebant in transtris. Valerius Flaccus: *Insternunt tabulata toris.* magnæ mollitiei argumẽtum erat cubare in interiore naui, non super transtra & tabulata, aut in stega. vide Regulas Pachomij cap. LXVI. Theophrastus cap. περὶ ἀνεξευθερίας in Characteribus: τὸ τριηραρχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστορέννυσθαι. rectè olim sic emendauimus, cùm scriptum inuenissemus ὑπό. falsò prorsus atque ineptissimè. non enim sub constrato nauis dormiebant, sed super. Auctor Satirici: *Hoc erat, quod placuerat tibi, vt super constratum nauis occuparemus secretissimum locum, ne nos patereris requiescere.* de nauarcho vtique & cæteris quibus nauis cura incumbebat, ridiculum fuerit dubitare. Leo Imperator in Naumachicis: ὁ τοῦ ναυάρχου ἤτοι τοῦ κεντάρχου κράβατος ἐπὶ τῆς πρύμνης ἵδρυται. Plutarchus in Alcibiade inter alia argumenta luxus illius commemorat, quod non more aliorum super nudis tabulatis triremium cubaret, sed iis incisis fascias tenderet in vsum lectorum. cerneres, inquit, ἐκτομὰς καταστρωμ^τ^ῶν ἐν ταῖς τριήρεσιν, ὅπως μαλακώτερον ἐγκαθεύδοι, κειρίαις ἀλλὰ μὴ σανίσι τῶν στρωμ^τ^ῶν ἐπιβαλλομένων. Qui de superiore loco Theophrasti aliter sentiunt, vt nos carpant, ij non sententiam nostram, sed αὐτὴν τὴν ἀγήθειαν reiiciunt. quibus nihil aliud nisi hoc volumus responsum, aut proferant si habent meliora, aut aliorum inuentis sine inuidia fruantur.

Veientanúmque rubellum Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?) poteris ne delicias quibus es innutritus mutare duro illo nautarum victu? *exhalare* heic pro fũdere vel emittere vinum quod exhalat. quid autem exhalet oblique indicat, cùm ait, *vinum vapida læsum pice*. ex quo intelligitur, vinum exhalare tetrum picis odorem. Veientanum Rubellum, & vitis Rubella ex Horatio, Plinio & Martiali sunt nota. *Obba* Nonio poculi genus: ἀκώρως. nam propriè dolium vel vtrem significat vt heic, אוב ἀσκὸς. *sessilis obba*, vas est vinarium ei simile quod vocamus *barril*. sic lactucæ sessiles, brassicæ sessiles, & verrucæ sessilis in XXXVII. Plinij: cui opponit verrucas quæ non extant solùm, sed eminent.

Quid petis? vt nummi quos hic quincunque modesto Nutrieras.) En vt fallit vitium, specie virtutis? Luxuria enim mancipium istud suum à turpi fœnore dehortatur, non secus ac si virtus ipsa loqueretur. quid petis, inquit? vis nempe maiore cum quæstu pecuniam tuam exercere. potes in Vrbe, in otio, quinos pro centenis lucri facere quotannis: non sufficit hoc auaritiæ tuæ: & vndenos nummos pro centenis ad sortem cupis adiicere. *quincunx modestus*, vsura est mediocris quæ etiam iurisconsultis dicitur leuis, vt in leg. *Tutor*. §. 10. Dig. De administratione & periculo tutorum. meminerunt & alibi, vt leg. 17. Dig. De vsuris & fructib. *Nũmos nutrire* vt apud Horatium *nummos pascere*, hoc est augere. Boëtius Consolationis libro II. *Ille nuptiis felix, orbus*

liberis, alieno censum nutrit heredi. sic *nutrire frontis audaciam*, apud Hieronymum, pro augere, ἐπιτείνειν. *alere amnem* pro augere imbres Horatio. est verò imitatio Græcorum, qui τρέφειν pro αὐξάνειν sæpissimè vsurpant. quod verbum de fœneratore paullò aliter posuit Plutarc. in lib. De vitãdo fœnore. Sanè & τόκος est à verbo τίκτειν. cuius dictionis vim pulcherrimè & luculentissimè explicat B. Basilius κατὰ τοκιζόντων.

pergant auidos sudare deunces.) Duplex lectio huius loci in antiquissimis libris:

——*pergant auidos sudore deunces*,

quo modo Puteani codex habet: vel

——*peragant auidos sudare deunces.*

potest ferri vtraque harum lectionum. sed quæ ex vtraque sunt mixtæ, omnes repudiandæ. *pergere sudare*, pro sudare, vt *facere incipere* pro facere, & similia multa. *sudare* autem *deunces* vsuras dixit vt opponeret quincuncib. vsuris quæ nullo labore proueniebant.

nostrum est Quod viuis.) ea demum pars vitæ tuæ quam mihi, id est, voluptatibus impendis, vera vita est. ita Luxuria: cui viuere bibere est, & edere atque ἡδυπαθεῖν. quare eidem verba Seneca etiam tribuit epistola CXXIII. *Vna felicitas est bona vita: facere omnia liberè, frui patrimonio: hoc est viuere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies & irreparabilis vita decurrit.* etiam Plutarchus: apud quem verba eorum qui iuuenes deprauant sunt hæc: Στιγμὴ χρόνου πᾶς ὁ βίος ἐστι. ζῆν τὸ οὐ παραζῆν προσήκει. non dissimilis sententiæ prouerbium illud

illud Græcorum fuit, quod vulgò sua ætate iactari solitum grauissime indignatur Chrysostomus in Matthæum & alibi : δίδου μοι τὴν σημερον, & λάμβανε τὴν αὔριον. *Da mihi hodiernum diem : sume tibi crastinum.* similibus vocibus perstrepit poëtarum natio. His Sirenum venenatis cantib. opponenda sunt decreta sapientum : Aliud esse, viuere, aliud vitæ interesse : viuere, inquiunt, agere est, & ἐνεργεῖν κατ' τὴν οἰκείαν ἀρετὴν : quod firmè demonstratur in Nicomacheis. qui igitur vitam non agunt in actionibus virtutis occupatam: hos Seneca nō viuere ait, sed esse: in lib. De breuitate vitæ. Actu enim non tempore metiri vitam debemus : vt idem scribit epist. xciii. Non igitur viuunt isti, sed sunt : si tamen verè queunt dici esse. nam ne hoc quidē illis concesserint sapientes. Boëtius Consolationis lib. iv. eos qui ex virtute non viuunt ne esse quidem ἁπλῶς graui argumento probat. *Qui mali sunt*, inquit, *eos malos esse non abnuo: sed eosdem esse purè atq. simpliciter nego. Nam vti cadauer hominem mortuū dixeris, simpliciter verè hominē appellare non possis: ita vitiosos malos quidē esse concesserim: sed esse absolutè, nequeam confiteri.* EST *enim quod ordinem retinet seruátq. naturam : quod vero ab hac deficit,* ESSE *etiam, quod in sui natura situm est, derelinquit.* Laudat Porphyrius De abstinentia Damocratis cuiusdam vocem verissimam : homines qui in vitiis consenescant, non diu viuere, sed longo tempore mori: Τὸ κακῶς ζῆν, ait, ἢ μὴ φρονίμως, ἢ ὁσίως Δημοκράτης ἔλεγεν οὐ κακῶς ζῆν ἔφη, ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἀποθνήσκειν.

cinis & manes & fabula fies.) Impia vox Epicureorum & similium, qui post mortem superesse aliquid negabant, de quo sapientes dubitarunt nunquam: Aristoteles verò etiam demonstratione certissima animi immortalitatem in tertio probauit. sumsit ab Horatio, germano Epicureo. nam Persius sub Luxurię persona hæc loquitur. Sane de corpore non malè hæc dici possunt: & ita Chrysostomi verba accipienda scribētis in LXXVII. super Matthæo cùm de mortuo loqueretur: ὑδὲν ὁρῶ πλὴν ὀστέων καὶ σποδὸς καὶ ἀσχήμονος· πάντα ἐκεῖνα γῆ· πάντα ἐκεῖνα μῶθος· πάντα ὄνειρος καὶ σκιὰ, καὶ δίηγημα ψυχρὸν καὶ γελοῖον. Aliquando apud Græcos δρᾶμα γίνεσθαι, id est, fabula fieri, de eo dicitur qui in summam calamitatem inciderit: vt alicubi Gregorius Naz. loquitur.

hoc quod loquor inde est.) hoc ipsum temporis momentum quo hęc tibi dico, pars est decerpta inde, & quæ vbi perierit nunquam sit reditura. Plautus, *— loquens lacerat diem.*

Est verò graue dictum, & nimis verum: quod non vt à Luxuria pronunciatum accipere debemus: sed vt à Persio, hoc est doctissimo philosopho ac sapientissimo. Sic est omnino: per singula momenta vita nobis perit: semperque ex quo viuere cepimus morimur, non repente & ἀθρόως, vt vulgus putat malè sanum. Tangit Persius vno verbo grauem è philosophia locum, quem tractauere multi sapientes. Seneca epist. XXIV. *Memini te illum locum aliquando tractasse, Non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procre-*

dere: *quotidie demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoq. cùm crescimus vita decrescit.* mox, *hunc ipsum quē agimus diem cum morte diuidimus. quemadmodum clepsydram non extremū stillicidiū exhaurit: sed quicquid ante defluxit: sic vltima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. tunc ad illam peruenimus: sed diu venimus.* deinde: *mors non vltima venit: sed quæ rapit vltima mors est.* Idem epistola CXX. *Quotidie propius ab vltimo stamus: & illò vnde nobis cadendum, hora nos omnis impellit.* ibidem. *Erramus qui vltimum timemus diem: cùm tantumdem in mortem singuli conferant. non ille gradus lassitudinem facit, in quo deficimus: sed ille profitetur. Ad mortem dies extremus peruenit, accedit omnis. carpit nos ille non corripit.* Acutè multa in hanc sententiam vir non solùm pietate, sed etiam doctrina suspiciendus Augustinus toto capite x. libri XIII. De ciuitate Dei. pauca adscribam è multis. *Quid aliud diebus, horis, momentisque singulis agitur, donec ea consummata mors quæ agebatur, impleatur: & incipiat iam tempus esse post mortem, quod cùm vita detraheretur, erat in morte?* sed totum caput, quod pulcherrimum est, legant studiosi: ex quo causam intelligent cur quidam olim hominem appellauerint νεκρὸν αἰώνιον, vt refert Eustathius. ideò Manilius initio IV.

Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.

quem versum à Manilio mutuatus fuit quisquis est, qui Camilli Aquileij tumulo hos versus inscripserat:

Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.

Illa eadem vitam quæ inchoat hora rapit.

duplici in diuersum scinderis hamo.) διξίκη. Gregorius Naz. διξίκομαι ὑπὸ πόθου καὶ πνεύματος. Lege Dionem Chrysostomum in IV. De regno: nam hoc argumentum nemo veterum tractauit vberius. quædam etiam in LXV. eiusdem inuenias quæ sunt huius loci.

subeas alternus oportet.) nomen pro aduerbio. ἀμοιβαῖος pro ἀμοιβαίως. sic sæpe Latini poëtæ hoc nomine vtuntur. Seneca epist. XXXVII. *Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectib. & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est.*

Nec tu cùm obstiteris semel, instantíque negaris Parere imperio, Rupi, i.) Solent vitia etiam vitiosissimis interdum displicere: neque quisquam est ita perditus amore voluptatum, quin aliquádo satias eum capiat. sæpéque vel in malis igniculi illi excitantur, quos à natura accepimus ad verum inquirendum, & quod rectum est amandum. ex his nascuntur ὁρμαὶ & impetus quidam ad præclaras actiones: quæ tum demum laudem merentur, quando à certo consilio manant, & decreto in animo fixo sic semper viuendi, neque vnquam exorbitandi. ita ex pluribus actionibus oritur διάθεσις, quam vsu firmatam sequitur ἕξις. habitus autem firma iam res est, & quæ non facilè mutari metuat. dispositio mutabilis est: ac multò magis ille primus impetus, qui etiã in vitiosis ebullit & ad honesta eos impellit.

Hoc ipsum est quod Persius heic docet: vbi prudenter vitiosos admonet, ne si quos fortè ad virtutem impetus sumserint, statim sibi persuadeãt debellatum esse vitium illud, cui prius seruiebant: μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, quod ait philosophus. vide Arrianum, Dissertationum libro secundo, capite XVIII. *instantique negaris*, vt in illo Iuuenalis,

-- vox domini sonat instantis. --

attamen illi Cùm fugit à collo trahitur pars longa catenæ.) expressit prouerbium quod in idiotismo nostro frequens est: solemus enim dicere, Non esse liberatum qui catenam suam trahat. Seneca De vita beata: *Ei qui ad virtutem tendit etiam si multum processit, opus est tamen aliqua fortuna indulgentia, adhuc inter humana luctãti, dum nodum illum exoluit, & omne vinculum mortale. Quid ergo interest? quod alij alligati sunt, alij astricti, alij districti quoque. Hic qui ad superiora progressus est, & se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero.*

Daue, cito, hoc credas iubeo, f.) affert exemplum vitiosi pœnitentis: sed non bona fide: ideò statim relabitur in cœnum. Locum ex Menandro traductum admonet vetus interpres. In Terentij Eunucho quam constat è Menãdro translatam, & personarum nomina sunt mutata, & multa aliter disposita. Chæreastratus Menandri, Terentio Phædria: Dauus, Parmeno. Locus est statim initio.

an siccis dedecus obstem Cognatis?) ἢ πῶς ἐμοῖς ξυγγενέσι

σώφροσιν οὖσιν, ὄνειδος περιάψω; *sicci* Latini temperantes, quorum vita M. Tullio pro Quinto dicitur, *horrida atque arida*. contrarius est qui dicitur ὑγρὸς βίος.

rem patriam frangam.) Lysiteles ille sapiens adolescens in Trinummo Plauti:

—— nam qui ab eo quod amat
Quàm exemplo suauijs sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. ——

dum Chrysidis vdas Ebrius ante fores extincta cum face canto.) dum comessatum veniam ad limen ianuæ Chrysidis, & ibi de dura sorte mea conquerar cùm fuero exclusus. Græci hoc vocant, ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον. Plutarchus Ερωτικῷ: ἔρασται αὐτοῦ νὴ Δία καὶ κάεται· τίς οὖν ὁ κωλύων ἐστὶ κωμάζειν ἐπὶ θύρας; ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον; qui ibant comessatum funalia ac faces gestabant: sed quas extinguebant cùm ad fores erat ventum. passim poëtæ & alij Græci ac Latini scriptores. Exemplum canticorum istiusmodi, quæ ante fores cantabant, habes venustissimum apud Plautũ in Curculione extrema scena, cuius initium

Flos veteris vini. ——

Item apud Horatium in oda x. libri III. Carm. in Persa Plauti *occentare ostium* hoc dicitur. Cur autem Persius *vdas* appellet fores, docent Græci poëtæ ac Latini, qui multiplicem iuuenum insaniam in suffundendis illis modò vino, modò aqua in cardinibus, modò lachrimis passim cõmemorant. nec malè referas ad lenarum anuum

potationes de quibus fusè Plautus ea quam diximus scena.

Euge puer sapias, diis depellentibus agnam, Percute.) Daui sunt verba, Chæreſtratum in hac aduersum voluptatem pugna confirmantis: adhuc enim putat seriò pœnitere illum. itaq. orat eum, vt qui ex ingenti periculo euasisset, agnam diis auerruncis mactaret: vt facit Horatius ex alio genere periculi seruatus. Oda XVII. libri II. malè autem in duas sententias hæc distrahuntur. nam *sapias* vt apud Horatium, pro si sapias. Ouidius,

Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse iubeto.

sed censen' plorabit Daue relicta?) Hæc Chæreſtratus non manens ἐν πίστει, sed priori affectui iterum cõcedens. turpi autem rei honesta causſa prætexitur: quod nolit Chrysidi doloris causſam præbere. in quo falsa quædam species latet humanitatis.

Nugaris:) Nugas agis cùm dicis te velle priores dolores finire. nam ecce ad ingeniũ redis. vel sic: lepidus nugator es, cùm vis videri misericordia duci propter Chrysidis lacrymas, quin tu potius te miserare. ipse enim es qui ab amica vapulabis: tanta mollities animi tui.

Solea puer obiurgabere rubra.) Terentianus Parmeno: ——— *te vltro accusabis, & ei dabis*

Vltro supplitium. ——— Olim verò meretrices solitæ sic abuti stultorum iuuenum patientia, vt propter leues offensas non solùm colaphis eos cæderent & despuerẽt, quod ait Chry-

sostomus LXIV. in Matthæum homilia: sed etiam sandalio illis caput commitigarent, vt ille ait in Terentiana Eunucho. exemplum est ab Omphala: quam aliæ deinde sunt imitatæ, vt ex hoc loco atque aliis scriptoribus paret. vetus epigramma:

Cur tua fœminea cæduntur pectora socco
Infamíque manu barbula vulsa cadit?

id verò quàm graue esset ei qui se liberum & virum meminisset, ostendit historia eius mulieris quam refert Plutarchus Quæstionum Græcarum capite XII. propter similem iniuriam à rege sibi factam, laqueo sibi gulam fregisse. simile apud Latinos, *sculponeis os batuere*, quod malè Fulgentius interpretatur: nam sculponeæ rustici calceamenti genus: sed apud Græcos etiam puerilis castigationis genus fuit aureo sandalio τὸν πυγὸν παίειν, vt scribit Lucianus in Philopseude atque alibi. *solea obiurgare*, vt Suetonius *ferula obiurgare*. Menander vt puto βλαυτᾶν. Hesychius, βλαυτῶν ὑποδέειν, ἢ πλήσσειν σανδαλίῳ· οἱ δὲ ὑποδήματα. Calceabantur delicatulæ modò aureis, siue χρυσοπάσοις calceamentis, modò rubris ac purpureis, modò κεντητοῖς, id est compunctis, modò etiam incisis, aut etiam gemmaris socculis: de quibus alibi: neque enim heic locus.

Ne trepidare velis.) Familiare Horatio & Persio versum, varia notione. heic verò pro ζυγομαχεῖν accipitur & ὑποδυσπετεῖν. insultat enim Chærestrato Dauus, quasi dicat: stulte, tu liberum te

putas? atqui seruus ac miser es, & futurus etiam es posthac semper, sine spe libertatis. quare assuesce iugo maturè, & ad omnem patientiam te para. Propertius libro II.

Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Mox venit assueto mollis ad arua iugo:
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces
Dehinc domiti posthæc æqua & iniqua ferunt.

plane eadem notione Propertius ac Persius id verbum posuerunt, vt sequentia euincunt. sic Seneca lib. III. De ira: *sic laqueos fera dum iactat astringit: sic aues dum viscũ trepidãtes excutiunt, plumis omnibus illinunt.*

atq. artos rodere casses.) παροιμιῶδες à feris intra retia captis. Affine est apud Græcos τὸν χαλινὸν ἐνδακεῖν, & Latinos *frenum mordere*, quod ductum ab equis refractariis & nondum iugo assuetis. Æschylus:

-- δακὼν δ' στόμιον ὡς νεοζυγὴς
Πῶλος, βιάζῃ καὶ πρὸς ἡμίας μάχῃ.

Quidnam igitur faciam? ne nunc cùm accersat & vltro Supplicet, accedam?) Ad verbum ex Menandro. Terentius:

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem,
Cùm accersor vltro? ——

Si totus & integer illinc Exieras, nec nunc.) Sunt Daui verba consilium dantis Chærestrato, vt in proposito animũ obduret. *totus & integer*, & corpore & animo: nã solemus dicere, animũ nostrũ ibi esse, vbi id est quod amamus. vel non fracto animo ex amoris affectu, sed ὑγιὴς ac verè integer.

Hippocrates in non dissimili sententia in extremo epistolæ ad Dionysium, φρονιμώτερον ἐν παντὶ τὸ ἀπαθέστερον, ἅτε μὴ ἐπικλώμενον ὑπ' εὐνοίης. *nec nunc*, ibis videlicet. sed Puteani liber aliíque *nunc nunc*, vt in tertia: nunc nunc liber sis necne palàm facturus es. altera lectio melior.

hic hic quem quærimus, hic est.) supple qui totus & integer exierit. hic igitur est ille liber quem quærimus. ita cõcluditur digressiuncula de Chærestrato.

festuca.) vindicta prætoris, κάρφος. vnde *exfestucare* in legibus Alemannorum & Saxonum, & historiis eorum temporum: vt in epistola Henrici III. ad regem Celtarum, & in erudita eius vita.

Ius habet ille sui palpo quem ducit hiantem Cretata ambitio?) Iam transit ad aliud exemplum, hominis qui ambitioni seruit: cuius pulchram periphrasim posuit pro nudo nomine. Plato eos qui ad rempublicam accedebant (hi sunt Græcorum demagogi) appellat κόλακας τοῦ δήμου. idem. & Persius qui palponem vocat, id est, adulatorẽ, hominem ambitiosum: non vt cæcorum ducem: quod ineptissimum est: sed vt vulgò omnibus assentantem, vt solebant candidati prensantes: Iohannes Saresberiensis libro III. ex hoc loco. *Palpo qui adsentatoris vel adulatoris censetur nomine, quoniam eadem res multis notatur indiciis: hominum mentes explorat, prætentat voluntatem, vt cui rei volueris sensus accommodet, vt gratiam illius cum quo agitur, fraudulenter surripiat.* Pro *ducit* in edi-

tione Pithœana est *tollit*: quod nimis placeat: nã proprium ambitioni ἐπαίρειν, & tumore inflare. Seneca Hercule furente:

Illum populi fauor attonitum,
Fluctúque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani.

sed aliter omnes libri quos vidimus. nec malè *ducere* eum dicitur ambitio, qui eius causſa facit omnia. ac fortaſſe ad concurſationes prenſantium candidatorum reſpexit hac voce: vel ad amicos deductores candidatorum: qua de re lege libellum Quinti Ciceronis.

Vigila.) maximè propter officia ſalutationum, quas ante diluculum inchoabant. ideò placebat. *euigila*: ſed nihil muto. de labore & vigiliis candidatorum multa Cicero variis locis, & plura Quintus eius frater in lib. ei rei dicato. Marcus verò ad Atticum *militiã vrbanã* propterea vocat vitam candidatorum.

cicer inſere largè.) miſſilia intelligit, inter quæ & cicer frictum erat: de quo pridem Ioſephus Scaliger ad Feſtum ſuum. Horatiana eſt imitatio.

Rixanti populo.) ita ſolitum fieri in collectione miſſilium: quod Suetonius variis locis & ſcriptores teſtantur. poteſt referri & ad factiones & coitiones veterum candidatorum.

noſtra vt floralia poſſint Aprici meminiſſe ſenes.) Floralia edebant ædiles: de impudicitia illorum ludorum & origine, Ouidius in Maio, & Lactãtius. ſed heic intelliguntur omnes ludorum ſpe-

cies quos edebant magistratus popularem gratiam captantes. Apricatio senili ætati conuenientissima & gratissima, vt tangit Cicero De senectute. Ausonius Mosella:

Tempus erit cum me studiis ignobilis otij
Mulcentem curas, senique aprica fouentem,
Materiæ commendet honos. ——

Solent senes in sole hiberno apricantes ἡ εἰλικρινῶς circa meridiem calidiore, de nugis hoc genus garrire. vnde Græcorum prouerbium μεσημβρινὸς λῆρος, apud Nicephorum Gregoram. liquet ex eo cur dixerit *aprici senes.*

at cùm Herodis venêre dies.) Teterrimum in extremo seruitutis genus tangit sub domina potentissima Superstitione: quàm misera, quàm dura horum ea seruitus sit, supra omnes alias seruitutes, docet Plutarchus, in libro quem de eo argumento scripsit: οἱ δοῦλοι, inquit, τῶν δεσποτῶν κολαζόντων καὶ ζημιούντων. & post pauca: τῶν οὐ δίδωσιν εἰπεῖν ὁ δεισιδαίμων. μόνη γὰρ οὐ κατέδεται τοὺς ὕπνους, οὐδὲ τὴν ψυχήν, τότε γοῦν, δίδωσιν αἰσθάνεσθαι καὶ ἀναπνεῦσαι. Si rei veritatem spectamus, quæcunque humanis ingeniis antiquorum gentilium ad numinis cultum excogitata sunt, superstitionis nomine censeri debent. Vnus enim DEVS OPT. MAX. vna religio quæ sacris voluminibus continetur. sed ignari veteres huius veritatis, aliter distinxerunt inter religionem & superstitionem. illam putarunt esse deorum patriorum more patrio cultum: hanc peregrinorum deorum, vel etiam suorum cultum, peregrinis nec consuetis riti-

bus: Quare inter præcepta veterum quibus de religione aliquid sanciebatur, primùm semper illud erat, Θεοὺς πατρίους καὶ νομιζομένους σέβου καὶ πάτρια. propterea Persius de superstitione heic agens, exempla ponit eorum hominum, qui Iudaicis aut Asiaticis, & Ægyptiacis ritibus Romæ vterentur. Iudaïca religio Romæ peregrina censebatur, solis Iudæis vrbem incolentibus permissa: Asiaticus Bellonæ, & Ægyptiacus Isidis atque Osiridis cultus, decreto quidem senatus in vrbem admissi pridem fuerant: sed nondum tamen viris grauibus ea sacra probabantur. Hinc igitur superstitionum exempla petit Persius, non ex religionis antiquitus Romæ receptæ ritibus: qui tamen vanitate, stultitia & τῷ γελοίῳ, ne Ægyptiacis quidem concedebant, *Herodis dies*, sunt dies quos colit populus qui Herodi paret, siue paruit: Iudæi nempe. ita possumus generaliter accipere: Sed præstat angustius interpretari, de propria Iudæorum secta illorum qui ab Herode Magno, pridem vita defuncto, Herodiani sunt dicti. E variis Iudaïcis sectis vna fuit istorum, vt scimus ex Euangeliis, Epiphanio, Tertulliano, Hieronymo. Hi nihil admodum differebant à Iudæis, maximè quidem à Pharisæis, quib. semper coniunguntur in sacra Euangelistarũ historia: nisi quod Herodem pro Christo colebant: decepti interpretatione praua prophetiæ Iacobi Geneseos capite XLIX. tmemate decimo. isti ergo & Hierosolymis, & alibi Herodis festum magna solemnitate colebant.

Dies Herodis appellat natalem diem Herodis, non quidem veræ γενέσεως, sed susceptι regni apud Iudæos: nam & illi dies vocabantur natales, vt dicebamus ad Spartianum. pleraque item alia festa sic nominabant: vt γενέσια σεισμοῦ, Natalem terræ motus Alexandrini: de quo vide Sozomenum libri vi. caput secundum. Si quis malit ad Herodem Agrippam qui viuēte Persio regnum in Iudæa obtinebat, hæc referre, & de natali illius accipere, non de primi Herodis, haut valde contendam. puto tamen rationem falsam esse quæ viros eruditissimos ita coëgit sentire: quasi iam tum Herodianorum secta defecisset ac nomen: quod mihi non videtur: neque Epiphanium cùm legas, ita opinor, sentias. adde quod, vt ita esset, accuratiorem eius rei cognitionem Persium non habuisse, nihil mirum. quare ab antiqui scholiastæ interpretatione non discedimus.

vnctáque feneſtra Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ.) Modum ostendit quo dies Herodis ab Herodianis colebatur: festorum enim dierum, alij hilaritate atque epulis transiguntur: alij planctu, ieiuniis & varia imitatione tristitiæ. Vtriusq. generis exemplum heic ponitur è Iudaïcis ritibus. Herodiani igitur diebus Herodis omnia lætitiæ signa edebant, vt fieri solebat in solennitatibus ad testimonium hilaritatis institutis. eò pertinent lucernæ accensæ, & epulæ lautæ quarum Persius heic meminit. Omnium pene gentium communis fuit ritus ad gaudij si-

gnificationem ignem accendere. neque occurrit quicquam frequentius apud veteres auctores, quam λυχνοκαίας & accensarum facum mentio ob res siue publicè siue priuatim lætas. Lactantius libro VI. capite secundo: *Mactant opimas & pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti.* & plura toto illo capite. nec solùm in templis lumina accendebant, sed etiam domi quisq. suæ, eáque ianuis & fenestris appendebant. Iuuenalis in XII. apparatum diei festi describens, non quidem ex Iudaïca disciplina, sed ex ritu Romano.

Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

plura de hoc ritu viri docti pridem obseruarunt: quæ petant ab illis tirones. Meminit & Tertullianus libro De idololatria: vbi Christianos reprehendit, qui ritum gentilem in ecclesiam Dei inueherent. *At nunc*, ait, *lucent tabernæ & ianuæ nostræ. Plures iam ethnicorum siue lucernis & laureis quàm Christianorum.* non prætermisit hunc ritum Gregorius Naz. quo loco omnes pene mores recenset, quibus diem lætum celebrabant veteres pagani. adscribam eius verba, quia insignis est locus. sic ille in altera contra Iulianum. Ἀδελφοὶ, ait, πανηγυρίσωμεν, μὴ φαιδρότητι σώματος, μηδὲ ἐσθῆτος ἐξαλλαγαῖς, καὶ ποικιλίαις, μηδὲ κώμοις καὶ μέθαις, μηδὲ ἄνθεσι στέψωμεν ἀγυιὰς, μηδὲ μύρων αἰσχύναις τραπέζας, μηδὲ πρόθυρα καλλωπίσωμεν, μὴ τῷ αἰσθητῷ φωτὶ καταλαμπέσθωσαν αἱ οἰκείαι, μηδὲ συναυλίαις καὶ κρότοις πρίη-

χείσθωσαν· οὗτος γὰρ ἑλληνικῆς ἱερομηνίας ὁ νόμος. totum diei festi apparatum heic habes: corporis lauacra & vnctiones, vestis cultum, comessationem atque ebrietatem, flores ad coronamenta compitorum, vnguenta ad mensas, ianuarum ornamenta, lucernas domi accensas, postremò tripudia, & βαλλισμοὺς siue balationes vt B. Augustini vocem vsurpem. fuliginem è lucernis appellat *nebulam*. Statius quarto Syluarum

Pande fores superûm, vittatáque templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Portantes violas.) Græci scriptores celebrationem diei festi duabus vocibus designare solent, φωσὶ, καὶ στεφανώμασι, luminibus & coronamentis. ita sæpe apud Dionem & alios historicos. στεφανώματα innuit Persius his verbis. coronabant autem & aras & simulachra deorum, & fores templorum, & ianuas domorum suas: quæ ideò Tertulliano dicuntur *laureatæ ac lucernatæ*. libro altero ad vxorem capite VI. sed præter laurum, flores etiam alios adhibebant, ac præcipuè violas. Iuuenalis:

——— Laribûsque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.

rubrúmque amplexa catinum Cauda natat thynni.) Iam dicit de conuiuiis quæ die Herodis Herodiani exercebant. *cauda thynni* est οὐραῖον, quod nomen & genus salsamenti ex Athenæo & Plinio & aliis auctorib. satis notum. cùm ait *natat*, ostẽdit ex iure solitum comedi. quod etiam catinum innuit. nam in catino pultem aut iurulenti ali-

aliquid Romani ponebant: Siculi assa, vt scribit Varro. amplitudo appositi thunni declaratur cum emphasi, verbo *amplexa*: hoc est ab vtraque parte catini prominens multum. *rubrum catinum* vt apud poëtas similia vasa passim, quia fictilia miniabantur: præsertim quæ mensis inferebantur.

tumet alba fidelia vino.) hæc pars altera τῆς εὐφρασίας, vinum: impropriè de fidelia, *tumet* pro γέμει plena est. nam & inania tument fictilia, & è stamno œnophori, ac similia vasa. vtribus proprium, vt tunc solùm cùm pleni sunt tumeant.

Labra moues tacitus, recutitáque sabbata palles.) Hæc separanda à prioribus: nam de aliis ritibus agit Iudaïcæ superstitionis, vt Romani loquebantur, qui non solis Herodianis, sed omnibus Iudæis erant communes. *Labra mouere*, eorum est qui murmure & humili susurro vota concipiebant, de quibus satira 11. Horat. de eo qui Lauernæ preces faciebat:

Labra moues cupiens audiri:

ita possumus accipere, vt sit sensus: frequentas Iudæorum proseuchas & vnâ cum ipsis murmure vota tua ibi concipis. Plutarchus scribit solitos homines superstitiosos, εὔχεσθαι φωνῇ παλλομένῃ, ἐκ χερσὶν ἐπιθυμιᾶν τρεμούσαις. quod adprimè huc facit. Sed fortasse respicit aliò: nam Iudæi religiosiores qui erant σύνοι & tristi vultu procedebant in publicum cum suis fimbriis & phylacteriis, rerum diuinarum aliquid semper meditantes. Aptissimè etiam retuleris ad confessio-

nem peccatorum: nam superstitiosis tribuit Plutarchus, τὸ ἐξαγορεύειν τινὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ πλημμελείας. *pallere sabbata*, est σαββατισμοὺς ἀσκεῖν vt apud Plutarchum. qui scribit Iudæos sabbatis solutos ἐν ἀγνάμπτοις καθέζεσθαι: hoc est inbalnitie & neglectu cultus atque operis cessatione diei tristitiam insignire: quare etiam ieiunia sabbatis exercebant, vt Augustus apud Suetonium, & alij multi veterum testantur. quod non ita intelligendum, quasi omnia sabbata Iudæorum essent tristia: id enim falsissimum esse clarum ex literis sacris: & quædam sabbata hilariter transigi solita, docent Senecæ verba epistola x c v. *Accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus: quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* nam λυχνοκαΐα symbolum est læti diei. sed sabbatismi superstitiosorum longè diuersi: quare Plutarchus ponit inter exempla cruciatuum quos à se ipsis soliti homines superstitiosi exigere: vt cum luto se illinebant, cum proni humi procumbebant, cum simulacro dei alicuius tempore immenso assidebant, & similia his faciebant. Verba Plutarchi:

Ω βάρβαρ' ἐξευρόντες Ελλήνες κακὰ

(ita legendum: versus est Euripidis) πηλώσεις καταβορβορώσεις, σαββατισμοὺς, ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον αἰσχρὰς, προσκαθίσεις, ἀλλοκότοις προσκυνήσεις. quod ait de luto tangit etiam inferius, aítque sæpè superstitiosos ἐν πηλῷ γυμνοὺς κεχυνδεῖσθαι, in luto nudos volutari. Propter tales sabbatismos ait Persius superstitiosos *sabbata pallere*, & Iuuenalis metuentem

sabbatà patrem. Qui huc proferunt ex Luciano illa verba, πρὸς ὠχροὺς & λεπτοὺς ἑβδομαίους τεταγμένους quibus argumentorum machinis tironibus Græcarum literarũ persuadebant ἑβδομαῖος idem esse ac sabbatarius? Sed nos eruditissimo viro & Græcæ linguæ peritissimo à quo acceperunt, facilè ignoscimus. ipsi hanc viri docti ἀπροσεξίαν si animaduertissent, quomodo illi insultassent? nunc quo iudicio alienis scriptis vtãtur pro suis palàm fecerunt.

Tunc nigri Lemures.) Alia commemorat deliræ superstitionis exempla. *Tunc*, id est, postquam peruasit & occupauit anile hoc vitium. *nigri lemures*, supple timentur. nec Plutarchus hunc omisit superstitiosorum hominum metum. Ait miseros illos neque interdiu neque noctu quiete frui: per noctem enim offerre se illis horrendas & portentuosas imagines per quas quiescere illis non magis liceat, quàm si inter infelices ἐν ἀστέων χώρῳ versãrentur. εἴδωλα illa φελκώδη περάτια Plutarchi, sunt Persij *nigri lemures*. Platonicis σκιώδη φαντάσματα ita vocabant defunctorum vmbras, quas viuentibus apparere & molestas esse credebant. differentiam inter Manes, Lemures, Larem & Laruã, habes apud Apul. De deo Socratis. Platonici multa de his lemuribus philosophati sunt: docentes animas quasdã esse ita corporum amantes, & originis suæ primæ oblitas, vt ne tum quidem cum morte seiunctæ essent à corpore, separari tamen ab illo possint.

hæc esse illa phasmata & monstra quæ in sepulchretis parerent, & alibi etiam. Olympiodorus in Phædonem Platonis: ἐπὶ τῶν φιλοσωμάτων ψυχῶν χωρίζεται μὲν τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, οὐ μὴν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἀλλὰ σχετικῶς ἔτι συνήπται αὐτῷ κατὰ τὴν ἡμίσχετον σχέσιν. ἐξ ὧν καὶ τὰ σκιώδη φαντάσματα περὶ τοὺς τάφους ἐνελεῖται. ὡς καὶ ὁ ποιητὴς λέγει περὶ τῆς Πατρόκλου ψυχῆς. Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδρότητα καὶ ἥβην. Apuleius in Apologia: *At tibi duat Deus iste semper obuias species mortuorum, quicquid vmbrarum est vsquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Laruarum oculis tuis oggerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Lege Plinium epistola XXVII. libri VII. Falsa autem esse ista Platonicorum τερετίσματα, ecclesiæ patres nos docent. multa in hanc rem disputat Chrysostomus, vt alios taceam, sermone XXIX. in Matthæum: vbi affirmat sæpius verbis disertis aniles esse fabulas, & puerorum terriculamenta, quæ de istis lemuribus vulgò iactantur. cùm animæ à corpore semel separatæ certis contineantur locis, vnde exeundi facultatem non habeant.

ouóque pericula rupto.) Superstitiosi homines solebant de futuro solliciti astrologos de circo consulere, vates, sacerdotes & quotquot erant qui diuinationem futurorum pollicerentur. Inter alias species stultæ μαντικῆς erat illa quam heic tangit quæ ad ignem admoto ouo fiebat, de qua legendus vetus interpres. Sed nos putamus etiã

de alio genere religionis posse hæc accipi: nam cùm constet superstitiosos pro tristi augurio habuisse, si quid de mensa cecidisset, aut si euersum esset salinum: videtur similis religio fuisse ab iisdem posita etiam in ouis quæ comedebant, si casu aliquo irrumperentur, aut pertunderentur.

Hinc grandes galli,) *Hinc*, vt modò *Tunc*, posteaquam animus superstitione deprauatus est. tunc igitur adeuntur Matris Deûm sacerdotes, & Isiaci. vtrumq. genus hominum propter maleficas superstitiones & obscœnitatem impurissimam apud bonos malè audiebat, vt videre est passim apud veteres. nec rarò obseruesistos iungi, vt heic, & apud Senecam De beata vita cap. XXVII. *cùm sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cùm aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat. grandes galli,* ob stultitiam & insulsos mores: vt statim:

——*Pulsenius ingens.*

& suprà,

——*caloni aptaueris alto.*

& similia multa.

& cum sistro lusca sacerdos.) Vt cymbalum insigne erat sacerdotum matris Deûm: sic Isiacorum sistrum. *lusca* accipio vt quod præcedit *grandes*, & refero ad mores, vt non semel lippus in superioribus. Iuuenalis:

Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

vetus interpres ad corporis vitium retulit. ne id quidem malè. Iuuenalis de sacerdote Cybeles,

--crine senex phanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum.——

Incussêre deos inflantes corpora.) *incutere* propriè ἐνσείειν, quatere arma ad terrorem. ita isti terrore suorum deorum infirmos animos implebant. Syri homines atque Ægyptij obnoxij erant vlceribus tetris, quæ vocata sunt Ægyptiaca ac Syriaca, inquit Aretæus libro De acutis morbis capite IX. vbi multa de illis, & de caussis cur illæ potissimum gentes eo genere morbi laborarent. sed homines superstitiosi, naturalibus caussis neglectis ab ira deæ Syriæ Syri, Isidis Ægyptij sibi illa vlcera venisse persuadebant. eorum verò fatuitati egregiè illudebant vtriusque deæ sacerdotes, qui negligentibus sui imperij deas suas incutiebant. Plutarchus: τὴν Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν ἂν μαινίδα τὶς ἢ ἀφύας φάγῃ τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἥκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ. plura de his viri eruditi ante nos obseruarunt, quæ ne actum agamus, missa facimus.

si non Prædictum ter mane caput gustaueris alli.) Apud Plutarchum incutitur dea Syria iis qui vetitum aliquid comederint, vt mænides aut apuas, aut quemuis piscem: nam Syri piscib. abstinebant. heic, si iussum allium non edissent. vnde constat, eos qui peccata sua fassi erant, vt antè dicebamus, pro expiatione illorum in dies certos aut abstentos aliquo genere ciborum: aut iussos certo dierum numero mane aliquid esita-

re, puta caput allij. Nos alibi de allio nihil legere meminimus, quod heic faciat. Cæpas verò Isiacis fuisse exosas, & iis abstinuisse auctor Plutarchus, De Iside atque Osiride: cui accedit Origenes contra Celsum.

Dixeris hæc inter varicosos centuriones.) Epilogus partis illius satiræ huius, qua Stoicorum paradoxum tractatum est. ostendit Persius non nescire se quæ disputauit de seruitute vitiorum, & libertate vnius sapientis, parum imperito vulgo probari: sed iudicium illorum qui hæc non probarent, quanti faciat, aut iuuentus facere debeat, eo significat, quod ab omni eruditionis cultu sint alienissimi. vt hoc tantùm indicasse, qui & quales sint huius sententiæ auctores, hoc verò satis refellisse sit. *centuriones* vocat homines agrestes, & totius virtutis atque honestatis imperitos: cuiusmodi sunt militares vt plurimum, de quibus specie prouerbij dicere solent Græci στρατιωτικὴ ἐστιν ἀλογία, *rationem non intelligit vt miles.* ita igitur accipe τὸ *varicosos*, vt in III.

Heic aliquis de gente hircosa centurionum.

quæ epitheta ad animum à corpore sunt translata, & de turpitudine vitiorum exponi debent.

Continuò crassùm ridet Pulfennius ingens.) Variant scripti, *Pulfennius* & *Vulpennius.* heic nomen est θετικόν: sed ita videtur fuisse appellatus aliquis miles astutus & κερδαλέοφων. *crassùm ridet,* πλατὺν γέλωτα καταχέει τῶν τὰ τοιαῦτα φλοσοφούντων: aut vt ipse diceret ληρούντων. sic etiam dixerunt

πλατὺν λῆρον ποιεῖν τί, de re quam contemnebant. vt apud Gregorium Naz. in Apologetico.

Et centum Græcos curto centusse licetur.) & ridens simul pronuntiat, se philosophum quem disserentem audierit, non assis facere vnius, ne curti quidem. Sed contemtum auget cùm ait centum philosophos totidem assib. non emturum. nam quæ paullò sunt maioris pretij, singula emimus: quæ viliora aceruatim, vt pecudum pelles, & olerum fasciculos. *centusse curto*, vt apud Græcos de summa vilitate, οὐκ ἂν πριαίμην· τοῦτο τετρημένου χαλκοῦ. Plutarchus aduersus Colotem in sententia non adeò dissimili. τούτων οὐδὲν ἀπολείποισιν οἱ περὶ Γαστέρα τ' ἀγαθὸν εἶναι βοῶντες, οὐκ ἂν δὲ τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας τετρημένου χαλκοῦ πριάμενοι.

AD SATIRAM SEXTAM.

INSIGNEM ex philosophia locum hæc Persij satira cõplectitur: de legitimo diuitiarum vsu. Magnum instrumentum vitæ bene ac commodè agendæ OPT. MAX. DEVS dedit hominibus, opes. Est enim proculdubio verissima philosophi sententia, qui pronuntiare non est veritus, ad numeros omnes virtutis explendos, non rarò etiam illarum requiri præsidium. Nimis morosi fuerunt illi sophi, qui nullum penitus ad agendam ex virtute vitam momentum in diuitiis esse censuerunt. Sed vt istorum præcisus rigor, à recta ratione paullulum deerrebat: sic illorum insana prorsus sententia est, qui diuitias non tanquam vtiles ad virtutis actiones, sed tanquam rerum expetendarum extremum stupent. Nunquam hic adeò pestilens, adeóque δαιμόνιος error hominũ mentes inuasisset, si Stoicorũ præcepto esset obtemperatum: & semper

mortales de recte constituendo fine ac scopo vltimo suarum actionum fuissent quantum par erat, solliciti. Nunc quotus quisque est, qui de fine cuius gratia in hanc lucem sit editus, cogitet? qui discrimen teneat illius veri boni per se expetendi, & rerum earum quæ in tantum vtiles & optabiles sunt, in quantum extremo fini seruiunt? Hunc tantum errorem necessariò comitatur aliud æquè pernitiosum malum, ignoratio illius virtutis, quam vocat Atistoteles τὴν περὶ τὰ χρήματα ἀρετήν: quam B. Chrysostomus in Matthæum pronuntiat τέχνην εἶναι πασῶν τῶν τεχνῶν ἀνωτέραν, artem artium. Sapientissimè veteres Græci, ea quæ vulgò bona dicuntur, χρήματα nuncuparunt: ὁ γὰρ πλοῦτος τῶν χρησίμων, inquit philosophus: id est, vt modò dicebamus, instrumentum vitæ huius sunt diuitiæ. Quamobrem vt hoc instrumento vtatur aliquis rectè, ne sit imparatus oportet ab ea virtute, quæ illius vsum docet. præclarè hoc philosophus, vt omnia: ἑκάστῳ ἄριστα χρῆται, ὁ ἔχων τὴν περὶ ἕκαστον ἀρετήν. τὸ πλούτῳ δὴ χρήσεται ἄριστα ὁ ἔχων τὴν περὶ αὐτὸν ἀρετήν. Porrò diuitiarum vsus est, vt idem ait, δόσις καὶ λῆψις, rectè dare, rectè acccipere: quam virtutem Græci εὐεθεριότητα dixerunt, & εὐεθέριον qui illa esset præditus: Latini hos secuti *liberalitatem* virtutem, & liberalem nominarunt, cui ea inesset. De hac virtute scripta est Persio satira hæc vltima. qua quidem poëta philosophus & legitimum diuitiarum vsum ostendit: & in illos satirica libertate inuehitur, qui præclara hac vir-

tute destituti, vitiis contrariis seruirent. Cùm autem vni huic virtuti multa diuersa vitia opponantur, quæ ipsam in medio positam vtrinque cingunt: Persius de eo potissimum loquitur in hoc carmine, quod in dandi expendendive defectu est positum, & ἀνελευθερία Græcis, Latinis illiberalitas dicitur. Est autem hæc satira earum vna, quas poëta ad amicos viros graues ac doctos instar epistolarum misit. itaque totum eius principium familiarium literarum argumento constat. Scribit ad Cæsium Bassum poëtam lyricum sibi amicum: rogat an in Sabinos suos adhuc secesserit, quid rerum agat, & quo genere scribendi se exerceat. deinde ipse vicissim, vbi sit, quid agat vt fieri solet in epistolis ad familiares exponit: in ora Ligustica esse, & in virtutis studio quotidie proficientem, vitia paullatim exuere. duo nominatim vitia tanguntur: ambitio & cupiditas diuitiarum. sed prius quidem verbo solùm perstringitur: ab altero quam sit alienus, & quam virtutis eius sit amicus de qua superius dictum est, multis versibus ostendit. Quoniam autem ex omnibus hominibus pauciss-imi sunt, vt verissimè ait poëta, ita morati: ideo reliqua satira, quæ maxima illius pars est, in redarguenda eorum stultitia versatur, qui vel vsum opum rectum ignorarent, vel parandarum certum modum. Hoc argumentum est & οἰκονομία hæc totius satiræ huius.

ADMOVIT *iam bruma foco te Basse Sabino.*) Romani viri docti qui tempora sua inter negotia & studia diuidebant, à Vulcanalibus cùm iam incipiunt noctes fieri productiores, circa Augusti finem lucubrare incipiebant, vt disertè scribit Plinius Secundus, epistola v. libri III. Iidem multum secessu vtebantur, non animi & valetudinis tantùm causa, per æstatem: sed etiam quouis tempore ad lucubrandum: poëtæ præsertim, & alij scriptores, qui memorabile aliquid vellent pangere: quod de se M. Tullius in epistolis ad Atticum & alibi sæpe testatur. Hac fine videntur soliti Roma exire Persius, & Cæsius Bassus & in agros secedere: quos habuerunt, hic quidem in Sabinis: Persius verò in ora Hetruriæ, agro Lunensi.

Iámne lyra, & tetrico viuunt tibi pectine chordæ?) Hæc vetus lectio, non *Tetrico*. quæ tamen eodem redit. nam Tetricus mons Sabinorum. cuius gentis mores seueriores etiam tum fuerunt, quando reliquæ Italiæ solutior iam disciplina. ideò *rigidos Sabinos* poëtæ vocant, & de illorum virtute etiam Strabo loquitur. inde à Tetrico monte Sabinorũ tetricos dicimus homines tristes & σκυθρωπούς, inquit Seruius. *pecten* igitur *Tetricus* siue *tetricus*, non sectam Stoicam, vt facetè quidam hariolantur, sed poëmatum Bassi τὸ σεμνὸν, & seueritatem notat. vt mox, *pollice honesto*. videtur enim deorum laudes & hymnos eo genere versuum composuisse, vt iam dicemus. *viuunt* pro in opere occupantur: quia viuere est agere, atq.

ἐνεργῶν, vt ad quintam dicebamus. sic apud Aristophanē ζῆν, & in veteri Græcorum prouerbio ζῆν χύτρα, ζῆν φιλία.

Mire opifex numeris veterum primordia rerum.) Non extat, opinor, memoria, Cæsium Bassum in alio scribendi genere versatum esse quàm in lyrico: itaque potest hic versus cum sequente continuari, vt idem opus intelligatur: quo deorum laudes seuero potius carmine quàm dulci canens, simul veterum rerum primordia pandebat. neque aliter poterat in eo argumento versari, quin totius mythici temporis historiam persequeretur: adeò res erant affines θεογονία, & κοσμογονία. At Bassus ille cuius libros De origine vocabulorum laudat sæpius A. Gellius, quid ad nostrum hunc poëtam? cui nomen fuit Cæsio: non Gabio aut Gauio, vt illum alterum constanter vocant libri Gelliani.

Atque marē strepitum fidis intendisse Latinæ.) Bifariam hæc possunt accipi: nam si iungas cum superiore versu, referendum ad genus poëseos seueræ potius quàm mollis, vt modò dicebamus, quo vsus hic Bassus. sed etiam separatim possumus accipere, vt ad aliud argumentum Basso tractatum referamus: heroum nempe & virorum fortium facta præclara. Lyricæ poëseos consuetæ hypotheses sunt, deorum laudes, heroum, & hieronicarum ac cæterorum virorum fortium encomia. item iuuenum lasciuia, id est, ἐρωτικὰ, & conuiuantium honesti ioci. Horatius:

Musa dacet fidibus diuos puerósque deorum

Et pugilem victorem, & equum certamine primũ,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Cæsius Bassus, vt ex Persio cognoscimus de his omnibus aliquid scripserat. de laudatione deorum iam diximus: heic verò tanguntur illius odæ in laudes virorum fortium. Ἐρωτικὰ attingit Persius, cùm ait,

Mox iuuenes agitare iocos. ——

at quæ vocantur Horatio *libera vina*, hoc est συμποτικὰ ἀστείσματα, & laudes vitæ senilis otio & quieti redditæ pulcherrimè exprimit illis verbis:

—— *& pollice honesto*
Egregios lusisse senes. ——

Non multò aliter, si bene memini, Hadrianus Turnebus in suis Aduersariis alicubi hæc interpretatur.

mihi nunc Ligus ora Intepet.) ἐπιθάλπει. ego nunc fruor tepore maris Ligustici commoti vehemẽtius, vt per hiemem solet. erat autem apud matrem Fuluiam Sisenniam: quæ Liguri cuidam aut Lunensi nupserat. Lunæ portus non erat in Liguria ex descriptione Italiæ quam sequuntur Strabo, Plinius & geographi alij: sed quia id primum Etruriæ oppidum, Persius illud finibus Liguriæ nunc ascribit. *Ligus ora* pro Ligustica, vt mox *iuuenes iocos*, id est iuueniles. de quo superius.

hibernátque meum mare.) mare Ligusticum, in cuius ora nunc sum agitatur, vt solet fieri tempestate hiberna. tractum hoc à ratione physica. nam tepor maris quo se dicebat frui superiore

versu, tunc præcipuus cùm maria agitantur. Cicero De natura deorum libro II. *Maria agitata ventis ita tepescunt vt intelligi facilè possit in tantis illis humoris inclusum esse calorem: nec enim ille externus & aduentitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu atque agitatione calescunt.* huius θάλπος, sic enim teporem illum vocant Græci, sæpe philosophus meminit in Naturalibus. quod autem hieme sit mare calidius, apud eundem & philosophos alios sæpe est legere. *hibernat mare* vt Græci χειμάζεται ἡ θάλασσα. Horatius:

——— *atrum*
Defendens pisces hiemat mare.

Ausonius:

Insanum quamuis hiemet mare.

paullò aliter apud Plinium, libro XVIII. *continui dies hiemant.* & apud Sallustium, *aquis hiemantibus* de quo multa Seneca epistola CXIV. sic *vernare* dicuntur quæ instar veris renident.

Dant scopuli.) Lunæ promontorium de quo Ptolemæus.

& multa littus se valle receptat.) Videtur *vallem* appellare curuaturam lunati littoris, quod maria perrumpunt.

Lunai portum est operæ est cognoscere ciues.) quasi dicat, si cupis amplius cognoscere situm horum locorum, memineris Ennianæ descriptionis in Annalibus, quæ ita incipit. Mendosissimæ sunt illæ editiones, vbi scriptum,

Lunai pretium est operæ cognoscere ciues.

quam scripturam excogitarunt imperiti, qui ignorabant vsitatissimam etiam Liuio locutionem, *est operæ* pro eo quod vulgò dici solet, est operæ pretium: & fortasse veniebat illis in mentem gemini versus apud Iuuenalem,

Est operæ pretium penitus cognoscere toto
Quid faciant agiténtque die. ——

postquam destertuit esse Mæonides.) Hellenismus, pro destertuit se esse Mæoniden. vt apud poëtam. *sensit delapsus*, & similia passim. *destertuit*, pro stertere siue somniare desiit. Ennij somniũ iam omnibus notum, ex iis quæ Hadrianus Turnebus & Iosephus Scaliger obseruarunt: qui etiam huic loco facem claram primi alluxerunt. ad eos studiosi adeant.

Quintus Pauone ex Pythagoreo.) postquam è pauone Pythagoreo factus esset Q. Ennius. Aniles Pythagoræ nugæ: quas tamen Iulianus credidit qui se nominarat Alexandrum, si fides Sozomeno.

Hîc ego securus vulgi.) Iam quibus studiis in hoc secessu incumbat ostendit. ita enim verba eius accipienda. Heic inquit, agimus nos, securi vulgi, id est, parum solliciti quid de nobis vulgus iudicet. neque enim è iudicio vulgi pendemus, quod proprium est ambitiosi & gloriæ cupidi, vt dicebamus initio primæ. Securitas hæc de qua Persius sentit, illa est quam conciliat sui studiosis sola virtus: cuius ista est laus propria, quod animos omni perturbatione affectuum liberatos in securo tranquillitatis partu ἀκυμαίντῳ collocat.

locat. multa Seneca & alij philosophi: sed appositissimè ad hunc locũ Chrysostomus in Matthæum homilia xxv. τίς ὅδιν, ait, ἡ ἰσχὺς τῆς ἀρετῆς; τὸ μὴ ἀσφαλείας ζῆν· τὸ μηδενὶ τῶν δεινῶν εὐχείρωτον εἶναι. & plura in hanc sententiam.

& quid præparet Auster Infelix pecori.) narrat tantùm se in studio virtutis profeciſſe, vt paratus sit ad congrediendum cum fortuna: ad opes quidem quod attinet. Atque ita ostendit quàm sit alienus à diuitiarum cupiditate, & auaritia. Auster pecori infelix dicitur, quia propter æstus grauissimè solent laborare pecudes: vnde morbi sæpe & pernities magnæ & gregum & armentorum.

securus & angulus ille Vicini nostro quia pinguior.) Iam aliud vitium à se amolitur, inuidiam: quæ ferè comes solet esse auaritiæ & πλεονεξίας. Lucilius: *Nulli me inuidere, neque strabonem fieri sæpius deliciis me istorum.*

etsi adeò omnes Diteſcant orti peioribus.) non inuidia solùm caremus, inquit: sed ne iustæ quidem indignationis ac νεμεσήτως sensum habemus: etsi videmus mandari honores & donari altas opes ignobilibus atque indignis. Menander homini κακοήθει contrariam sententiam adtribuerat:

Ὅτου ἡμέδαν κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
Ὁρᾶν ἑαυτῶν ζῶντας ὑπερφυέστερον.

ysque recuſem.) nunquam tamen adducar, vt dolorem ex ea re vllum capiam.

minui ſenio.) Hesiodus:

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Plautus,

Præ mœrore adeò miser æque ægritudine
Consenui. —— hinc est quod *senium* Latini poëtæ ponunt ἀντὶ κακότητος ἢ κακουχίας, sine squallore & illuuie. Plautus:

Hæ res mihi diuidiæ & senio sunt.

Manilius:

Aeternísque senes curis. —— Ait *minui* quia homines seniò incuruati, minores parent: vel pro macrum fieri: nam Horatius pro valde mœsto dixit macrum: pro gaudente opimum.

—— *si me*
Palma negata macrum, donata reduxit opimum.

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.) non propterea minus liberaliter vtar opibus meis: neque mutatis moribus fiam auarus & μικρολόγος. duplex nota minutissimarum sordium est, quam heic recenset: prior, obsignare lagenas in quibus non vinum sit, sed vappa: id enim est *vapida lagena.* deinde, cùm resignandæ sunt, tanto studio obseruare an salua & integra sint signa, vt naso contingat lagenas. Adiicienda hæc notis Theophrasteis, quo loco, μικρολόγων mores describuntur. simile illud ibi: τὰ ἡμίσεα τῶν ῥαφανίδων ἀπογράφεσθαι: & apud M. Tullium, de matre: *lagenas etiam inanes obsignare.*

Discrepet his alius.) in v.

Mille hominum species. ——

& est transitus commodissimus ad reprehensionem aliorum.

geminos horoscope varo Producis genio.) adeò verum est, non omnibus probari vitæ genus quod ipsi sequimur: vt ne geminis quidem fratribus quorum idem horoscopus eadem constitutio cœli ac siderum, quando concepti siue nati sunt, inter se conueniat in ratione vitæ ac morum. Fusè de hac quæstione B. Augustinus in v. De ciuitate Dei. illustre exemplum in Commodo & Antonino geminis fratribus Marci imperatoris filiis, in quorum vita nihil quicquam simile: etsi pares fore ex astrorum cursu promittebant mathematici, vt scribit Lampridius. Caussam verò huius discrepantiæ fato adscribunt iidem mathematici: de cuius vi & necessitate vberrimè disputat Manilius initio quarti. *horoscopus* Dioni Cassio, τὸ μόριον τὸ τῆς ὥρας ὑποσκοπῶν ὅπῃ πως εἰς φῶς ἔχοι. *varo genio*, diuersa indole atque ingenio. quia ingenij dator & fictor, ac formator morum censebatur Genius, quem nascēdo quisque esset consecutus. ideò Horatius,

Scit genius, natale comes qui temperat astrum.

Solis natalibus.) proponit exemplum præparci, à quo vitio dicebat modò se alienum. Ait autem, *solis natalibus*, vt ex eo coniiciatur de sordibus vitæ quotidianæ. Similis δείνωσις sub fine huius satiræ, —— *mihi festa luce coquatur*

Vrtica. —— & in IV.

Qui quandoque iugum. ——

Tingat olus siccum muria vafer.) Signatum verbum *tingat*. sic sæpè *tingere in aceto lactucam*, vel oleas apud Catonem, Celsum, alios. & Græci

χρωματίζειν ὄξει & χρωννύειν vt apud Athenæum, & Theophrastum περὶ μικρολογίας. *Muria* duo significat: aquam salsam in qua aliquid fuit maceratum aut seruatum, vt *muria cappari* apud Cornelium Celsum libro IV. capite VIII. interdum est genus liquaminis quod ex thunnorum sanie conficiebant, vt garum scombrorum, halec è vitio gari & quasi fæce. olera autem edebant pauperes è muria: quod & interdum medici præcipiebant: vt apud Celsum libro IV. capite XV. imperatur portulaca ex dura muria & quàm asperrima. & sæpè apud alios. & de huiusmodi muria prædura & aspera loquitur Persius, quod declarauit voce *siccum*. nam quæ tali muria tinguntur, pene sicca remanent. Alioquin siccus cibus opponitur vncto: vnde xerophagiæ sunt appellatæ. inde prouerbialis locutio orta κατὰ ξηροῦ accipere aliquod dictum: id est durè, & sine commodæ interpretationis, vt sic dicam, condimento. ita loquitur B. Athanasius: ἐὰν κατὰ ξηροῦ τὰς λέξεις ἐκλάβωμεν εἰς ἀθεμίτους ἐννοίας περιπεσούμεθα. *vafer*, heic pro valde perito talium sordium: amat Persius eam vocem.

muria in calice empta.) etiam hoc proprium tenacis, & sordidi: vt apud M. Tullium, *vinum emere de cupa*. de quo ad librum V. Suetonij. muria autem & similia in calice emere moris fuit, vt cognoscimus ex Plinio. sic apud Varronem, *mulsi calycem emere*, in satira quadam.

Ipse sacrum irrorans patinæ piper.) omnia emphatica: *ipse irrorat*, non coquus, non aliquis

ſeruus mediaſtinus, aut proma conda, vel alia quæuis diobolaris ancilla: & *irrorat*, infundit parcè & guttatim: vnde & *guttus* eſt appellatus. ſic Græci ἠρέμα ἐπιψεκάζειν. *ſacrum* autem piper, cui parcitur vt rei ſacræ. vide in imitatione Horatiana.

hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer.) Exemplum prodigi: quod contrarium eſt vitium ſuperioris. *magnanimus puer*, id eſt qui magnificentiam putat eſſe veram magnanimitatem. alibi obſeruabamus ſolitas haſce voces confundi, μεγαλόψυχος & μεγαλοπρεπὴς, & contra μικρόψυχος & μικροπρεπής. idem fuit apud Latinos. *puer* heic pro ſtulto non ætate ſed moribus: quia vt ait philoſophus, διαφέρει οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεάρος. *peragit*, abſumit. Horatius *ſtringit*.

Præclaram ingrata ſtringit malus ingluuie rem. alibi *oblimat*.

Rem patris oblimat. —— alluſit Perſius ad appellationẽ prodigi. Apud Plinium non ſemel obſeruabamus *conficere cibum & peragere*, non ſimpliciter pro edere, abſumere: ſed pro penitus coquere vt libro IX. cap. LX. de ſtella maris piſce: *omnem cibum ſtatim peragit*. quod Ariſtoteles ὅ, τι ἂν λάβῃ πεπεγχῆμα ἐξαιρούμενον διεφθόν ἐστι.

vtar ego vtar.) quaſi dicat: atqui ſapientis eſt, vti opibus non abuti, quod prodigi faciunt.

Nec rhombos ideò libertis ponere lautus.) vtendum, inquam, opibus, non abutendum: ſicuti faciunt nepotes & ſtulti, qui dum lauti volunt haberi

etiam libertis suis rhombos apponunt. per *rhombos* intellige exquisitiores epulas. Horatius,

——*fastidis omnia præter*
Pauonem & rhombos.—— per *libertos* homines humiles & tenuis conditionis. Romanorum multi libertos suos honore mensæ non dignabantur: aut certè diuersa omnia illis apponebant: de quo extat elegans epistola Plinij Secundi libro primo. Qui vocem *lautus* sollicitabant, oro te quid cogitabant? *ponere lautus* & *sollers nosse*, ἑλληνισμὸς Persio familiarissimus.

Nec tamen sollers turdorum nosse saliuam.) nec ideò ita cupediarius ero, vt turdos assiduè esitem. quanti turdos altiles & cellarios facerent Romani, docet vox Pompei ad Lucullum, quam refert Plutarchus. propterea Persius liguritorem & λίχνον ita describit: qui probè norit quo sapore sint turdi: id est, qui illis sæpè vescatur & omnes saporum differẽtias, si quæ obseruari solitæ in turdis, eruditè calleat. Auctor est Aristophanes in Nebulis, olim Athenis cùm disciplina erat astrictior, nefas fuisse iunioribus ὀψοφαγεῖν οὐδὲ κιχλίζειν: vbi piscium & turdorum appellatione omnis delicatior victus intelligitur. *turdarum* omnes membranæ & vetus interpres, non *turdorum*, vt præcipit sanctio Varronis, in VIII. de lingua Latina. *saliua* pro gustu & sapore frequens Latinis ex ratione physica: nam quando anima mouetur appetitu aliquid edendi, propter partium sympathiam statim saliua in ore nascitur: tanquam supplente pro sua virili natu-

ra defectum rei optatæ: quod etiam in aliis affectibus simili ratione potest obseruari.

Messe tenus propria viue.) Esto liberalis κατὰ τὴν οὐσίαν, id est, pro modo tuarum opum. Est enim ἡδυλόγιστος inquit philosophus, ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν δαπανῶν, & εἰς ἃ δεῖ. *messis* est ἄφενος, siue annuus reditus. *viuere messe tenus*, nihil quicquam de reditu reliquum facere: id enim est *tenus*. totum enim semper includit illud de quo dicitur. ita autem exponendum esse, sequētia verba clamant: vult enim totum penitus consumi prouentum annuum: quod tamen œconomiæ rectæ præceptis repugnat: & illi Pauli Iurisconsulti: *Omnis pecunia siue peculio fragilis est.* Sed Persius abducere homines vult ab ea diffidentia, quæ illos impellit parere diuitias potius quàm partis vti.

Et granaria fas est, Emole,) quid cogitas, inquit, ô stulte, dum assiduè bona congeris in horrea & granaria? quin potius promis quæ seruas condita, & amicis pauperibus illa elargiris? δεινωσις poëtica: *emole granaria*, pro exhauri molendo ac quotidie liberaliter insumendo.

Quid metuas? occa: & seges altera in herba est.) Quæ est, ait, hæc diffidentia? quis metus egestatis? vin' tu ponere stultum hunc metum, & hoc solùm curare, vt ociosus ne viuas: sed labores, & Spartam ornes quam es nactus: atque interea certa fruaris spe non defore laboranti quod futurum sit satis? O præceptum diuinum! quid enim potuit conuenientius mandatis DOMINI IESV? *occa* heic non secundum nominis pro-

prietatem accipiendum: sed ἁπλῶς pro labora. herba est quam Cicero herbescẽtem viriditatem ait emergere de semine occato. melius autem Persius *seges in herba est*, quàm *messis in herba est*, vt apud Virgilium.

Ast vocat officium.) Virtus χρηστότης in duobus posita est: vt opibus nostris & fruamur ipsi & aliis largiamur. ad prius membrum pertinet quod præcedit,

Messe tenus propria viue. ——

nam *viuere* accipiendum pro liberalius (sed intra honestatis fines) genio indulgere. eum vsum opum definiebat Persius κατὰ τὸν ἑαυτοῦ. quemadmodum & Iuuenalis:

Noscenda est mensura sui, spectandáque rebus
In summis minimísque: etiam cùm piscis emetur:
Ne multum cupias, cùm sit tibi gobio tantum
In loculis. — hæc Iuuenalis castigans gulæ vitium: cum contra Persius increpet sordidam parcimoniam. sed vtriq. huic generi hominum opus isto præcepto. Nunc verò Persius de altero opum vsu loquitur: quem non definit prouentu annuo, vt priorem: sed necessitate amici egentis; cuius gratia etiam prædia vult vendi, & rem partam imminui. *officium* τὸ καθῆκον: heic pro occasione oblata bene faciendi ἡ τοῦ εὐεργετεῖν.

trabe rupta.) naufragum describit in freto Siculo iactatum, & qui ad Scyllam tandem fuerit eiectus, in exemplum egeni, cui necessariò dare aliquid liberalis homo debeat. & hoc quoque

præceptum, quàm diuinum, quàm religioni nostræ consentaneum?

Brutia saxa Prendit amicus inops.) Videtur allusum ad Vlyssem Homericum: sed Persius tanquam factum ponit, quod vix posse fieri, & ratio probat, & exemplum Vlyssis apud Homerum: nam ille saxa prendere cupiens malè multatur, Τοῦ γὰρ πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν

Ῥινοὶ ἀπεδρυφθέν· τὸν δὲ μέγα κῦμα κάλυψεν.

& Virgilius Palinurum periisse canit;

Prensantem vncis manibus capita aspera montis.

Ingentes de puppe dei.) Notissimus mos iam omnibus: nam cui eruditorum non dictus hic Hylas ab annis aliquot? meminit etiam Hippocrates, in epistola ad Damagetum. alludit & Gregorius Nazianzenus:

Νῆα δὲ ποντοπόρειαν ἐπήνεσα, οὐ θρασήμοις

Κάλλεσιν, οὐ πρύμνης ἄνθεσι λαμπομένην.

nunc & de cespite viuo Frange aliquid.) *viuum cespitem* opponit messi, id est, annuo prouentui, vt diximus.

Sed cœnam funeris hæres Negliget iratus.) Tangit quorundam auarorum dementiam, qui, vt ille ait apud Senecam, hæredi suo procurant & sibi negant omnia. Est sanè insitus bonis omnibus amor suæ posteritatis: sed plerique hominum hæredibus suis opes congerunt, non ipsorum amore: verùm quia aggesta copia bonorum gaudent. quidam etiam ob eam caussam quæ heic notatur: quod ambitionem suam vltra mortem extendant. multi enim qui sordidè vixerant ef-

ferri ſplendidè cupiebant. Ita notat Iuuenalis multos fuiſſe in oppidis Italiæ, qui viui togam nunquam induerent: in funere demum ea ornarentur. Eiuſmodi eſt ambitio cuius heic Perſius meminit: eorum qui verebantur ne parum magnificum ſibi funus duceretur. nominatim verò cœnæ funeris mentionem facit: quia potiſſimũ in circumpotationibus feralibus & epulis nouendialibus laudes defuncti recitari erat moris: quod Græcorum prouerbium teſtatur, de eo qui ſit prorſus illaudabilis: Nihil ineſſe illi quo laudari queat, ne in cœna quidem funeris. Græci dicunt οὐκ ἂν ἐπαινεθείης, οὐδ' ἐν περιδείπνοις. quod interpretantur veteres ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων. εἰώθασι γὰρ ἐν περιδείπνοις τὸν τελευτήσαντα ἐπαινεῖν, εἰ δὲ φαυλὸς ἦν. Porrò cœnæ funebres erant variæ, vt iam & pueris notiſſimum eſt: neque vetat quicquam generaliter de omnibus accipere hunc locum. præcipuè tamen interpreter de cœna nouendiali: licet eam Marcus Tullius epulas dignitatis non funeris munus, vult dici. Locum vide in ea contra Vatinium.

vrnæ Oſſa inodora dabit.) Omnes veteres *inodora.* ſed nec altera lectio improba quam vetus interpres agnoſcit *inhonora.* & argutantur ſine ratione qui illam refelli aiunt à ſequentib. nam ad honorem defuncti pertinebat quòd aromata & odores in vrnam cum reliquiis coniiciebantur. Herodianus de mortuo Seuero, τὴν κόνιν σὺν ἀρώμασιν εἰς κάλπην διαβάστρου ἐνέβαλον.

ſeu ſpirent cinnama ſurdum.) ſic Græci κωφὸν po-

nunt pro ἀδηνὲς, & βεβλαμμένον.

seu ceraso peccent casiæ.) adulteratæ fuerint gummi è ceraso.

Túne bona incolumis minuas?) Verba futuri hæredis, sumptus reprehendentis non penitus necessarios: vt qui si eius arbitrij res sit, nullas alias impensas probaturus sit, nisi vbi de incolumitate illius agatur, cui sit successurus. Aut ita cape: non debes nunc viuus bona impẽdere, sed ea seruare in apparatum funeris tui.

& Bestius vrget Doctores Graios.) Ita vetustissimæ membranæ magno consensu. aliæ minus antiquæ *sed Bestius*: haut dubiè alterutrum scripsit Persius: sed non sine caussa Turnebo placita coniunctiua potius: apage quorundam emendationem: qui sua omnia pro oraculis Delphicis stupenda quadam confidentia iactitant. Proposuit Persius modò verba cuiusdam heredipetæ, ægrè ferentis hereditatem imminui, quam pridem totam spe deuorauerat. nuncalterius similiter designati heredis querelam profert: quasi diceret poëta, sunt etiam qui eo nomine cum philosophia expostulent: quod qui illius præceptis sunt imbuti, liberalius vitã instituant, quàm vt heredes multum iuuent. *Bestius* cognomen Romanum apud Horatium & alios: heic nomen σκῶπτον turpilucrĩpidi hominis, hereditati alienæ inhiantis.

Ita fit postquam sapere vrbi. Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers F.) ait Bestius: posteaquam vnâ cum cæteris mercibus trans-

marinis, Græcorum philosophia quæ nunc vulgo probatur, *maris expers*, id est, mollis & effeminata, venit admissaque est in vrbem, ciues Romani qui antea erant agrestes, & omnium deliciarum rudes, pulte mera victitantes, illi verò ceperunt more Græcorum viuere & pultes suas vnctis cibis mutare. Sic hunc locum exponimus, variè iactatum ab interpretibus: qui omnes præter vnicum Turnebum, nihil dignum attulerint cur eorum ratio haberetur: adeo absurda & sæpe ridicula in hæc verba scripserunt. Turnebi vero interpretatio etsi acuta, ingeniosa & tanto viro digna: quia tamen palàm coacta est: viderit æquus lector nostram an illius potius sit probaturus. omnis difficultas in illis verbis, *nostrum hoc maris expers*: quæ Turnebus separat a præcedentibus exponitque: nostra disciplina cepit contemni vt cismarina, non vt Græcorum transmarina: non malo quidem, sed coacto, vt diximus sensu: adde quod sequens versus difficilem habebit cum istis cohæsionem. Nostra interpretatio satirico est conuenientissima. quis verò neget elegantissime dictum à Persio *sapere maris expers* pro ἄῤῥενος οὐδὲν ἔχουσα, & effeminata sapientia, ac parum mascula? talem volebant Romani videri disciplinam Græcorum. vmbratilem inquam, & viris Romanis parum dignam, atque adeo ijs potius conueniens, in quibus eius partis per quã mares sumus nihil viueret, vt satira prima loquebatur. ideo Persius & satira III. & quinta osores Græcarum literarum vocabat

centuriones hircosos & varicosos: quia isti solos se viros, solos mares putabant: deditos philosophiæ Græculos & ne viros quidem dictitabant. Si cui minus placeat hæc interpretatio, nihil vetat quominus *sapere nostrum maris expers* exponamus, sapientia quam vulgo docemur, transmarina, id est Græca. atque hæc simplicissima interpretatio est. ac mirari soleo neque huius expositionis neque superioris cuiquam è tot interpretibus in mentem quod sciam venisse. Vocabulum *expers* de numero illorum est, quæ contrarias significationes admittunt. quare vt apud Horatium *maris expers*, non male interpretes accipiunt pro ὁ πεθαλασσωμένον: sic hoc loco exponi potest θαλάττης πεπειρασμένον. probat hoc vetus Glossarum auctor, qui vtramq; notionem agnoscit, sic enim ille. *Expers* ἄπειρος καὶ ἔμπειρος. & fortasse non aliter Persius Horatij locum interpretabatur, vt alio loco diximus. sic multa composita varie acceperunt, vt obseruabamus ad librum secundum Suetonij. Ouidij notus versus apud Senecam: *Egelidum boream, egelidumque notũ*: quo lusit poëta familiari sibi lasciuia ingenij in ancipiti notione eiusdem vocis, sic *enode* dicimus & quod nodosum, & quod nodis careat. *edurum* valde durum & contra. *exarmare* tam pro arma adimere, quàm pro panoplia instruere historici ac poëtæ vsurpant. *exossare* quod Plauto est ossa adimere paullo post notione contraria vsurpat noster, vt mox dicemus. *insertum* & τὸ ἄσαρκον & τὸ κατακεκαρμένον. *infractum*, alias quod comminutum

est denotat, alias quod integrum. *impotens* dicitur & qui multum & qui nihil potest, vt & Seruius obseruat. omitto huius generis alia quamplurima.

Fœniseca crasso vitiarunt vnguine pultes.) Opicos qui literas nesciunt Græci solent appellare θεριστὰς, aut σκαπανέας, vt in quinta Persij *fossor* accipitur. ita etiam heic *fœniseca* veteres Romani dicuntur, tanquam ἀγροῖκοί τινες, & omnis eruditionis expertes. Fuisse veteres Romanos pultiphagos non minus quàm Pænos, nemo est quin sciat. crassum vnguen pro exquisitis delicijs, vt supra *crassa amoma*, id est, eximia. aliter autem locus hic accipiendus, quàm vt verba sonant: nam Romani cum luxuriæ assueuerunt, non vnxere impensius pultes suas: verùm ijs neglectis lautiores cibos expetiuerunt.

Hæc cinere vlterior metuas?) Has tu minas tui heredis metues cum eris mortuus? aut nunc viuus metuas, quod tibi defuncto minatur? Sed magis probem legi hæc sine interrogatione: vt concessio sit ironica ad irridendam eorum fatuitatem, qui viuunt miserè, suum assidue genium defraudantes, eo impulsi metu, ne cœnam funeris iratus heres negligat. hoc sane, ait Persius, iure metuas: sed tunc cum eris cinere vlterior: nunc vitali aura fruens, quid metuas? Notandum verò loquendi genus, *cinere vlterior*, pro cum fueris fato functus. sic περαιτέρω κόνεως *vltra cineres* Græci pro à morte. Theophylactus epistola vltima: Εἰ λύπης ἐθέλεις κρατεῖν περιπόλει τοὺς

τάφους. καὶ τοῦ πάθους ἕξεις τὸ φάρμακον. καὶ τὰς μεγίστας τῶν ἀνθρώπων εὐδαιμονίας ἐπόψει περαιτέρω κόνεως νεκτημένας τὸ φύσημα. vbi deest negatio: quod sensus arguit manifestissime: nam & si verum est, quod ait alicubi B. Chrysostomus, vltra mortem produci ambitionem hominum: tamen non est ille sensus Theophylacti, qui dubio procul scripserat, οὐ νεκτημένας. sic apud Minutium Felicem *post cinerem & fauillas*. & in declamatione quadam vetere, *trans hominem pœnam exigere*. simile apud Florum libro secundo, *vulnera vltra mortem patebant*. quod Græci dicerent venustè, αἱ τῶν ξιφῶν καταφοραὶ ἐκ πολλῆς περιουσίας ἔκτεινον. siue ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος τοὺς βεβλημένους ἀνηροῦντο. nihil enim mutandum apud Florum, secus quam viris doctis sit visum.

at tu meus heres) vbi alios reprehendit, quid ipse sentiat ostendit: quasi dicat: Alius hoc timeat: ego nullus timeo: atque adeo, vt tu, heres mi, scias vacuum me ab hoc metu, narro tibi si nescis, me editionem muneris in animo habere, ob lætum è Germania nuntium. scis quanti sumtus rem moliar: sed me nihil deterret impẽsæ magnitudo. quid tu igitur ad hæc?

Quisquis eris.) rectè. nam suos heredes non habebat Persius.

paullum a turba seductior audi.) hoc ideo, quia vulgo philosophia laborabat inuidia atque odio. Sic in v. --*secretam garrit in aurem.*

O bone num ignoras.) ὦ τὰν οἶσθ' ὅ σοι λέξω; mire poëta delectatur morata huiusmodi oratione.

missa est à Cæsare laurus.) Liberalem hominem

eum demum esse ait philosophus, qui paratus sit hilari animo sumptus facere, tam magnis quam paruis in rebus. ὁ ἐλευθέριος, inquit, ᾗ δώσει ἃ δαπανήσει εἰς ἃ δεῖ, ᾗ ὅσα δεῖ ὁμοίως ἐν μικροῖς τε μεγάλοις. ᾗ ταῦτα ἡδέως. Quare Persius ad vtrumque liberalitatis genus lectorem suum pulcherrima hac diatriba instituit. de impensis minoribus hactenus egit: nunc de liberalitate illa subijcit, quæ *magnificentia* propriè dicitur, quòd circa magna versatur. Romanos proceres ab hac virtute non esse imparatos, quo tempore hæc scribebat Persius, eo magis necessarium erat, quod sæpè ad maximas impensas inuiti adigebantur ab illis tyrannis quorum erant in potestate. vt fuerit illis vel eam solam ob caussam vtilissimũ, præceptis instrui quæ animum aduersus tales casus firmarent. nam aliter affici eiusmodi iactura opum suarum oportet, illum qui diuitiarum vsum probe teneat, neq. ipsas pluris faciat quàm par sit: aliter eum qui de hac virtute nihil vnquam cogitauerit, nihil didicerit: & qui

——— *nulla exempla beati*
Pauperis esse putat. ———

Eò pertinet, quod tot interpretib. non fuit animaduersum, disputatio hæc Persij. nam agens de munificentia, exemplum eiusmodi de industria profert, ex quo colligi poterat, hanc virtutem Romanis admodum vtilem futuram: vt si quid fortè simile imperaretur, præparatum animum aduersus huius generis casus haberent. Exemplum est hoc. Caius Caligula cùm triumphare cupe-

cuperet, de simulato hoste falsam, sed quam pro vera voluit haberi, victoriam reportauit. Igitur quasi Germanos longè latéque vicisset, laureatas literas Romã ad senatum misit. vt sibi triumphus decerneretur. simul autem procuratoribus suis in hanc sententiam scripsit auctore Suetonio: Triumphum apparārent, quàm minima summa: sed quantus alius nunquam fuisset: quando in omnium hominum bona ius haberent. etsi non addit Suetonius quomodo Caij procuratores data sibi licentia sint vsi: non tamen dubitandum, impune eos in quorumcunq. vellent fortunas eo prætextu impetum fecisse. Enimuerò quod tacuerunt & Suetonius & Dio præclarè heic expressum est à Persio. nam illæ impensæ quarum heic mentionem fecit, exempla sunt sumptuũ qui fuere imperati occasione illa, ad cohonestandum Caligulæ triumphum.

missa est à Cæsare laurus.) Suetonius laureatarum Caij literarum meminit capite XLIV. sed non illæ sunt literæ de quibus heic Persius: verùm aliæ posteà missæ.

& aris frigidus excutitur cinis.) & cùm annuntiata erat victoria, & cùm ducebatur triumphus publicè priuatímque tota vrbe sacra fiebant: vt passim apud Dionem, Herodianum, aliósque historicos.

ac iam postibus arma.) locat Cæsonia: id est procuratores, vt modò vidimus. arma autem locabantur & spolia omne genus postibus affigenda, vt ne quid deesset ad fidem mimo qui agebatur

conciliandam.

iam lutea gausapa captis Essedáque.) Et gausapa teste Varrone vestes Gallorum, & esseda eorundem erant vehicula: apta igitur erant ornandis iis qui falsò crederentur Germani captiui: nam & illi ipsi ex Gallia erãt coëmti, vt ait Suetonius, non veri Germani: adeò illis temporibus similes erant Galli & Germani, & specie corporis, & cultu: quod hæc historia euincit, præter tot alia veterum testimonia.

ingentésque locat Cæsonia Rhenos.) Cæsonia vxor Caij locabat, nimirum per procuratores. *Rhenos* pro Rhenanis hominibus vt suprà *Ligur* pro Ligusticus: Πέρσης στρατὸς, & similia: vbi pro deriuatiuo positum est primitiuum. Rhenanos autem vocat, quos Suetonius Gallos fuisse ait: *Conuersus ad curam triumphi, præter captiuos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quenque & vt ipse dicebat ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam.*

Diis igitur, genióque ducis, centum paria, ob res Egregie gestas induco.) Rectè doctissimus Turnebus, *centum paria* de paribus gladiatorum est interpretatus. quam eius sententiam eruditi viri postea iure firmarũt. sed quorsum priuatus centum paria hæc gladiatorum? In honorem principis victoris decerni solitæ primùm supplicationes, deinde triumphus, & ludi victoriæ: atq. hæ omnia publicè de fisco principis, aut populi ærario. priuatos in eam rem vllum ἔρανον solitos conferre non legimus: nisi quod faciebãt & ipsi

rem diuinam & pro sua quisque copia conuiuabantur ac genium suum placabant. Quamobrem hæc largitio quæ heic memoratur, non erat collatio quædam vsitata: sed per vim ac metum expressa à procuratoribus Caij: qui id egerant iussu illius, vt quàm minima impensa quàm magnificentissimè triumphum ipsius celebrandum curarent. Igitur sicut ædiles & alij magistratus cùm ludos edebant, amicorum persæpe opibus subleuabantur, aut ipsius principis, vt non rarò legimus in historia Augusta: ita Caius necessaria ad sui triumphi apparatum, à priuatis extorsit. *induco* libri omnes non *indico*: verba sunt arenæ ac muneris *induco*, ac *produco* quod est vsitatius.

Væ nisi conuiues:) nam quo magis vetare conatus fueris, eo maioribus sumtibus hereditatem cui inhias exhauriam. sic paullò pòst,

——— *nunc nunc impensius vnge:*

qui locus hunc explicat.

oleum artroceásque popello Largior.) Ne hæc quidem priuati hominis impensa est, eo quidem titulo quo heic proponitur: nimirum ob victoriam imperatoris: nam eruditorum sententiæ non accedo, qui referunt ad diuisiones & epulas quæ testamento relinqui solitæ interdum. nos putamus cum præcedentibus esse ista coniungenda, & esse aliud exemplum collationum quæ ciuibus fuerunt imperatæ à procuratoribus Caij ad celebrationem victoriæ illius. Cùm igitur moris esset, vt epulum ac vis-

geratio daretur populo à triumphantibus, frumentum etiam viritim diuideretur, cum oleo interdum ac nummis: vt de Iulio Cæsare scribit Suetonius libro primo, capite xxxviii. alij item de aliis. videntur Caij procuratores ditioribus imperasse, vt suis tribulib. ista largirentur. Glossæ Stephanicæ: *Viscératio ἀρπάκτειας.*

Non adeo, inquis.) Quàm vetustæ sint mendæ auctorum, & scriptis libris quàm non sit temerè credendum, hic locus arguit, vt alij sexcenti, quos apud diuersos scriptores ante multa secula corruptos obseruauimus. Heic igitur omnia exemplaria quæ aut vidimus, aut de quibus aliquid comperimus scribunt, *non audeo, inquit.* quæ inepta, & modis omnibus absurda scriptura ex eo orta est, quia præcedit. *quis vetat? aude.* Legendum autem esse *non adeo inquis.* rectè iam olim monuit Turnebus.

Exossatus ager iuxta est.) Persij verba, quib. probat non esse cuiquã verendũ, ne sine herede moriatur: quod apud Romanos infamiæ genus esse censebatur. Atqui, ait Persius, si suspicatus fuero repudiaturos hereditatem meam heredes ad quos illa iure pertineat, aut quib. vltro eam delaturus fui: habeo alios fortasse agnatos, aut cognatos vel certè affines, qui me quamuis leuiter, aliquo tamen contingant modo. si omnino supereſt nullus, tamen ne sic quidem heres defuturus mihi: nam vt vetus ait prouerbium, *Multi Manij Ariciæ.* ibo igitur Ariciam, & aliquem inde Manium petam, qui meam defuncti heredi-

tatem cernat. Hanc sententiam poëta μιμητικῶς tractat ex hypothesi: quasi dicat: Age, fingamus ex omnibus meis bonis solum superesse prædiũ suburbanum: nam huiusmodi agros etiam qui reliquas fortunas suas coguntur vænum proscribere, solent seruare: & tum diligentius colere, cùm cætera sunt amissa. ideò ait *exossatus ager iuxta est.* id est, cultus probe & purgatus ab lapidibus & saxis: quæ sunt ossa terræ, vt ait Ouidius in 1. Metamorphoseon: & γῆ ὀστώδης apud Menandrum rhetorem, *terra lapidosa.* vel accipe *exossatus* contraria significatione, ad ossa redactus, exhaustus iugi prouentu, sine intermissione ac nouatione. Iuuenalis in octaua, de exhaustis prouinciis,

Ossa vides rerum vacuis exucta medullis.

si igitur eo redactæ sint fortunæ meæ, & meorum sit superstes nemo, quid facto opus? nimirum Ariciam ibo, vbi præsto est Manius.

proneptis Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit.) Variam in membranis distinctionem inuenimus: nam multa vetusta exemplaria sic exhibent: *pr. N. manet, patrui sterilis m. v.* non malè: vt per patrui materteram quàm remotissima cognatio intelligatur.

accedo Bouillas Cliúmque ad Virbi.) *Bouillæ* manuscripti, non *Bobillæ*: quo tamen modo nonnullos scripsisse ex Nonio constat. falluntur qui eam scripturam tuentur quia Græci scribant Βοίλλαι. nam est vt βοῦς, *boues*, οἶς *ouis*, & ita semper. Bouillæ autem & Aricia vicina admodum loca

erant in via Appia. sed aliquanto remotior ab Vrbe Aricia vbi *clivus Virbi*, id est Nemus Aricinum, & Nemorensis Diana. vide Strabonem libro v.

præsto est mihi Manius heres Progenies terræ?) Ita distinguendum. posterius membrum pronuntiatur à legitimo herede, quicum disputat Persius. Ex hoc loco discimus, quomodo accipienda vox Manij in veteri prouerbio, *Multi Manij Aricinæ*: non defuerunt enim ex antiquis criticis qui in contrariam sententiam interpretarentur: nunquam deesse viros fortes ac nobiles Ariciæ. quæ expositio non poterit ei displicere qui meminerit sacerdotium Aricinæ Dianæ sola virtute potuisse parari & conseruari: cùm fas semper esset, si quis virib. confideret occiso illo qui possideret, id sibi vindicare. sed aliter exponendum esse docuit Atteius Capito, vt ait Festus: à quo facit hic locus Persij. itē Iuuenalis versus,

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Quære ex me quis m.) Duo obiici poterant Persio Manij heredem designāti: quod nulla cognatione cum ipso iūgeretur: quod obscurus esset atq. ignobilis. hæc duo ita refellit. docet præter illa cognationis iura quæ vulgus hominum colit: aliam esse cognationem qua vniuersi homines sibi inuicem coniungantur. quippe omne humanum genus ab eadem origine & matre Terra esse ortos. vnde sequitur necessariò, omnes homines, & cognatione inter se iungi, & ex æquo nobiles esse.

quis mihi quartus Sit pater.) quis fuerit abauus mihi.

adde etiam vnum.) quære ex me, quis atauus meus fuerit.

Vnum etiam.) tritauum.

terræ est iam filius.) probat cognatum sibi Manium. Cognati dicuntur qui in vno tertio conueniunt, vt docēt Masuri rubricæ. tritauus Meuus & Mauius in vno conueniunt, Terræ nempe filij ambo: ergo inter se cognati: neque à me alienus est Manius. Terra heic primi parentis loco ponitur: quia vt scribit Seruius in III. Æneidem, quotiescunque deerant parentes redibatur in generalitatem. sic peregrinos quorum ignota origo, dicebant Neptuni filios: ex Thaletis nimirum sententia: qui & homines & omnia alia ex aqua procreata censebat. Sed vulgò receptior illa sentētia, quam & philosophi quidam sunt amplexi vt Empedocles, natos homines primos è Terra: quare hominem ab humo dixerunt veteres Latini, conuenienter Hebræis, penes quos erat veritatis notitia. hinc igitur *Terræ filij* nuncupati, quorum genus ignorabatur. gemina ratione illos qui ex imis sordib. ad summas dignitates fuerant euecti *lumbricos* dictitarunt; quoniam in terra vermes generantur, ideóque ἔντερα γῆς Græcis appellantur. Lege Hieronymum in x. Ecclesiastæ caput.

& mihi ritu Manius hic generis prope maior auunculus exit.) ista ratione Manius mihi cognatus probatur esse: non ille quidem proximus: sed

tamen cognatus. Ita accipiendum heic *maior auunculus*. Festo & Iuris auctoribus est aui aut auiæ auunculus. at Suetonio est matris auunculus, libro II. cap. VII. nam Iulia mater Atiæ, cui filius Octauius, soror Iulij Cæsaris: quem vocat Augusti maiorem auunculum. heic verò ἁπλῶς sicut dixi. *ritu generis*, pro ratione generis, si stemma spectemus. Non memini obseruare alibi similis Latinitatis exemplum.

Qui prior es, cur me indecursu lampada poscas?) à Manio ad legitimum heredem redit, cui afferebat cognatio spem hereditatis Persianæ. Omitto Manium, inquit, sed tu mi heres, quem natura propiorem mihi fecit, quàm sit Manius, & ad quem lege naturali mea hereditas prius peruentura est quàm ad illum, cur de hereditate mea viuentis, adhuc es sollicitus? nam id contra bonos mores esse iurisconsulti pronuntiant. Scimus vulgo aliter accipi illa, *qui prior es*: vt dicatur iste ætate maior eo cuius hereditatem petit. sed nihil præcedit vnde hoc eliciatur: neque semper verum est. Porro in agonibus λαμπαδηδρομίας, cum accensas tedas manibus tenentes currebant, posterior cursor facem poscebat priorem, non contra. quare ineptè exposueris, qui prior es in cursu. Lampadas autem tradebant non currentes, sed decurso spatio: sicut hereditatem non tradit qui viuit, sed qui vixit. à defuncto enim suscipitur: quod μεταλαμπαδεύεσθαι, Græci dicunt eleganter. Clemens Stromate secundo ex Platone: ἐπεσκεύασε τὴν ἀθανασίαν τοῦ γένους

ἡμῶν, καὶ οἱονεὶ δεσμονήν τινα παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένην. sic etiam Philo λαμπαδεύεσθαι pro tradi successiue: vt cum ait elegantissimè de virtute, τὸ τῆς ἀρετῆς φέγγος λαμπαδευόμενον ἐπαλλήλοις διαδοχαῖς ἰσόχρονον γενήσεται κόσμῳ. Pro *in decursu* scriptum erat vna voce, *indecursum* in Puteani exemplari.

Sum tibi Mercurius:) quo animo obueniens hereditas suscipi à sapiente debeat, ostendit: nempe eodem animo, quo lucra insperata: quæ forte in vijs inueniuntur. Sum inquit, *tibi Mercurius*, id est, mea hereditas à te quanta quanta sit, existimari ἑρμαῖον debet.

Vt ille pingitur.) cum marsupio. Suidam lege in Ἑρμῆς. Mercurium varie pinxit antiquitas: sed poëta solum spectauit ad κερδῴου, siue præsidis lucri picturam. Gregorius Nazianzenus in fine prioris in Iulianum: πῶς ὁ Κερδῷος αὐτοῖς σταθήσεται καὶ τὸ σακέλλιον προβληθήσεται; idem in altera: ἂν ἴδω σου τὸν Κερδῷον καὶ τὸν λόγιον καὶ τὸν Εναγώνιον, συγκαλύπτω τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ παρατρέχω σου τὸν θεὸν, αἰδοῖ τοῦ θεάματος. σὺ δέ μοι προσκυνεῖ τὸ σύντονον τοῦ λόγου καὶ τὸ σακέλλιον.

Vin' tu gaudere relictis?) acriter dictum, & apte increpanti: vt sæpe apud Senecam. Sulpitius ad Ciceronem. *Visne tu te Serui cohibere & meminisse te hominem esse natum?*

Deest aliquid summæ.) quam animo conceperam, aut quam ipse acceperas à parentibus. sunt verba heredis auari & μεμψιμοιροῦ. cui similis illa vox apud Theophrastum in charactere hominis ita morati: qui gratulanti sibi quod crumenam

inuenerit, *Ego vero*, ait, *thesaurum nullum vnquam inueni.*

minui mihi, sed tibi totum est Quicquid id est.) Docta & ex iure promta distinctio. Regula iuris est: rem illi perire cuius est, si dolus absit aut lata culpa. bona hereditatis ante mortem defuncti, sunt ipsius. quicquid igitur illo viuo de bonis perit, ipsi perit non futuro heredi. quomodo enim aliquid amittat quisquam, quod non habet? hæc Persij argumentatio: quæ tamen in extraneis heredibus locum habet potius quàm in suis, aut ijs quibus ex fidei commisso debetur hereditas.

vbi sit fuge quærere quod mihi quondam Legarat Tadius.) noli exigere à me rationem bonorum meorum: sicuti solet herus a dispensatore seruo.

neu dicta repone paterna:) Ita melius, quàm *oppone*: etsi non reijcerem si exhiberent veteres. vide in imitatione Horatij. noli, inquit, tantum tibi tribuere, vt pro tua libidine mores meos fingas: sicut parentes faciunt: quorum hæ fere sunt ad filios voces: *Fœnoris* &c. Caue accipias aliter heic *dicta paterna*. neque enim de patre suo loquitur Persius: quod neque debuit, filius memoriæ patris studiosus: neque potuit: qui puer sexennis patrem Flaccum amisit. Eiusmodi autem paterna præcepta sunt quæ commemorat Iuuenalis in XIV. illo loco:

——*iuuenes hortatur vt illam*
Ire viam pergant.—— ibidem etiam

sunt illi versus gemmei quibus prudenter disse-

rit patres qui liberis suis magni census amorem præcipiunt, simul illis ad omne scelus totas effundere habenas.

Fœnoris accedat merces:) Olim cùm relictam à me hereditatem administrabis, rem amplifica: & fœnoribus auge tuam sortem. fœnoris merces, αὐξὴ τῦ fœnus, quod est merces mutuo datæ pecuniæ.

hinc exime sumtus:) *hinc* ex fœnore, non ex sorte. *sumtus* τὰ ὀψωνήσια, καθ' ἡμέραν, etiam apud Plautum: & Græcis ita αἱ δαπάναι pro ἕψαι.

Quid reliquum?) ostendit heic quam sit auiditas pecuniæ vitium δυσαπόκλητον & insanabile. nam tot rationibus nihil mouetur iste auarus.

reliquum?) cum indignatione magna hoc legendum.

nunc nunc.) quando video diuitias meas pluris à te fieri quàm vel amorem meum, vel etiam virtutis.

Vnge puer caudes.) *vngere* heic, Græcorum λιπαίνειν vt ἐλαίῳ λιπαίνειν μάζαν, apud Synesium.

mihi festa luce cognatur Vrt.) egone vt olere duro & salsamentis misere victitem, quo filius tuus partas seruatasque opes sudore meo & κακυχίᾳ abdomini ac veneri seruiens, dilapidet? hoc placet mi heres? *festa luce*, vt supra, *solis natalibus.*

& fissa fumosum sinciput aure.) porcinum videlicet. recte autem *fumosum* scripta lectio. non autem *spumosum*. In Satirico Arbitri: *simul pannum de carnario detulit furca in quo faba erat ad vsum reposita, & sincipitis vetustissima particula mille plagis de-*

lata. mox: *Dum illa carnis etiam paullulum delibat, & coæquale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella.* ex his satis constat, cur *fumosum* sinciput dicatur Persio.

Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis.) filius aut nepos nepotino more viuens. Non sine caussa Romani prodigum & quem Græci asotum vocant, nepotem dixerunt: nam vt docet philosophus in IIII. Nicomacheorum, rarò sunt obnoxij ei vitio qui suo sibi labore opes pararunt. sunt enim experti paupertatis incommoda: & præterea vt scribit idem, natura ita est comparatum, vt opera sua ament omnes artifices, sicut patres liberos videmus ac poëtas carmina sua. Eandem ob caussam sæpe & filij qui prioris paupertatis parentum fuere conscij, & sudoris participes, sunt frugi. at horum nepotes qui neque sudarunt ipsi in quærendis opibus quibus abundant, neque inopiam sunt experti, proni sunt ad luxuriam, & alia asotorum vitia, quæ propterea Romani *nepotatum* nuncuparunt & *nepotes* qui sic viuerent.

Cum morosa vago singultiet ing. vena Patritiæ immeiat v.) vt cum ceperit fastidire plebeiam & vulgiuagam Venerem, pecuniæ vi irrumpat in thalamos nobilium virginum ac matronarum. non dicit hoc Persius ex doctrina Stoicorum, quibus peccata omnia paria: sed ex vulgi opinione quæ latum discrimen inter ista ponebat. B. Chrysostomus homilia in Mathæum LXXVI. ἐπορνεύθη τὶς πλουτοῦσα, ἑτέρα δὲ πενομένη. πάλιν καὶ ἐνταῦ-

τὰ διαφορά. ideo confutat Cicero vt Stoicus in III. paradoxo. *Lapsa est*, ait, *alicuius libido in mulierem ignotam: dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccatum vero nihilominus.* Et multis verfibus Horatius in altera libri primi satira de ea re tractat. idem in VII. secundi.

Te coniux aliena capit, meretricula Dauum.
Peccat vter nostrum cruce dignius?

vena morosa τὸ τῆς ἀνδρὸς μόχλον, muto. *vagum ingenium* τὸ δὲ γυναικὸς & quam vocat Horatius *concessam Venerem* in quarta libri primi Satira. *singultire* heic est fastidire copiam alicuius rei. nam inter cauffas varias singultus est hæc, si imprudens aliquis, aut auidior quam par erat, maiorem buccam deglutierit.

mihi trama figuræ sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter.) egone vt me macerem ac fiam ossa ac pellis. iste nepos ventrem ingluuie promittat? *trama* heic quæ Prudentio *neruorum textura* Contra Manichæos:

——*ossa liquescant*
Mollia, neruorum pereat textura;

Tipula leuius est quod heic quidam disputant, ad picturam hæc esse referenda. illud verò quale sit nolo dicere, quòd carpere malunt quæ ad X. Athenæi de hoc loco scripsimus, quàm intelligere. Negare sustinent vestes habendo κρόκας amittere? quod ibi dicebamus. Sed subleuanda nobis eorum est imperitia qui Græcas literas non didicerunt. Tria ad pannorum textu-

ram desiderantur diuersa: stamen, substamen, (vel vt passim scriptum inuenimus subtemen aut subtegmen,) & trama: sed staminis & tramæ illud commune, quod filo constant magis retorto, ac proinde duriore: subtegmen filo molliore & parum torto. Seneca epistola XC. *Posidonius dum vult describere primum quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutóque ducantur: deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat: quemadmodum subtemen insertum quod duritiam vtrinque comprimentis tramæ remolliat, spata coire cogantur, & iungi, textricum quoque artem à sapientibus dixit inuentam.* En tria illa quæ diximus: en diuersam nendi rationem: propterea apud Platonem artes nendi ponuntur vt heic diuersæ duæ: ἡ στημονοντικὴ & ἡ κροκοντικὴ: illa quæ filum torquet ad firmitatem & duritiem maiorem: hæc quæ laxum filum trahit, & molle. Hieronymus ad Demetriadem: *habeto lanam semper in manibus: vel staminis pollice fila ducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusa vertantur.* legi malim ex Seneca: *vel subtegminis pollice fila ded. vel ad torq. stamina in al.* ideo autem laxo hoc filo opus, vt spina fullonia in tractione villos excitet, quibus panni mollescunt. docet eleganter Plato, cuius verba necessario adscribam. Locus est in Politico: vbi postquam nendi vtramque artem ad vnum genus στρεπτικὸν retulisset, species deinde quas diximus ita explicat. Τοῦ κατάγματος δὴ τὸ μὲν ἀτράκτῳ τε στραφὲν, καὶ στερεὸν νῆμα γενόμενον, στήμονα μὲν φασι τὸ νῆμα· τὴν δὲ ἀπευθύνουσαν αὐτὸ τέχνην, εἶναι στη-

μονικὴν. (lego στημονοντικὴν, vt mox, κροκοντικὴν) ὅσα δὲ γ' ἂν τὴν γνάψεως ὁλκὴν ἐμμέτρως τὴν μαλακότητα ἴσχει, ταῦτα ἄρα κρόκην μὲν τὰ νηθέντα, τὴν δὲ ἐπιτεταγμένην αὐτοῖς εἶναι τέχνην κροκοντικήν. multa alibi ad lucem loci huius Platonis & aliorum ſcriptorum accuratè diſputantur à nobis: nunc id ſolum volumus κρόκην eſſe, quod Senecæ *ſubtemen* & villos pannorum è ſubtemine excitari fullonis opera. Quare in Euripidis verſu, Τρίβωνες ἐκβαλόντες οἴχονται κρόκας, non aliud eſt κρόκας ἐκβαλεῖν, quàm ſubteminis villos vſu, & vt M. Tullius loquitur, habendo amiſiſſe. quod & locus Eupolidis ſignificat, quem ibi attulimus. Latini vetuſti defloccatas veſtes eiuſmodi *decotes* dicebant. villis porrò & ſubtemine abſumto ſtamen reſtat & trama. quare Perſius hoc loco etſi diuerſo locutionis genere vtitur atque Euripides, idem tamen dicit Euripidi. annon diuerſa pene contraria ſunt ἐκβάλλειν in verſu Euripidis, & *reliquum eſſe*, ſiue ſupereſſe in Perſij dicto? re tamen idem ſunt, vt iam probauimus, ſubtemen eieciſſe vel amiſiſſe, & ſolam tramam ſupereſſe.

aſt illi tremat omento popa venter.) popa Latinis eſt θύτης victimarius: qua notione legitur apud Suetonium & alios: alij pro placentis & libis vſurparunt, quæ πόπανα Græcis. Auctor Gloſſarum: *popa* πλακοῦς, πόπανον. *popa*, θύτης. neutro modo heic accipit Perſius: ſed pro popinone, & guloſo lurcone. poëtica enim licentia tribuit ventri, quod toti homini conueniebat.

Vende animam lucro, m.) Sequitur iam coronis

pulcherrima ſatiræ huius, & diſputationis contra auaros inſtitutæ. Docet heic Perſius hominis auari cupiditatem nulla auri copia, nulla opum vi poſſe expleri. quare fruſtra illos eſſe, qui vt auaris ſuis heredibus faciant ſatis, opes aſſiduè congerunt, congeſtis parcunt. nulli bono: quando ſatiare illorum πλεονεξίαν non magis valeant, quam aliquid eorum efficere quæ maximè ſunt impoſſibilia: cùm id quoque ſit, vt Græci dicunt τῶν ἀδυνάτων ἕν. Hæc mens Perſij. Eſt autem ſententia è philoſophię ſacrario promta vt dicemus mox. Inducit verò cupidum heredem paterna dicta reponentem, quod paullò antè vetabat. Eiuſdem ſententiæ præceptum eſt iſtud apud Menandrum:

Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο·
Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς.

Vende animam lucro.) Redime omnes lucri faciendi occaſiones, vel iactura animæ, id eſt vitæ. Græcorum eſt vulgatum dictum: θανάτου ὤνιον τὸ κέρδος. adeò verum eſt, quod ait Seneca, minima eſſe quæ homines emunt vita. reſpicit Perſius ad nauigantium pericula: nam vt nauiget ſequentibus verbis imperat,

—— *atque excute ſollers*
Omne latus mundi. —— de mercatorum nauigationibus in remotiſſimas plagas dixit in quinta.

ne ſit præſtantior alter Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.) nullus eſto tam turpis quæſtus, qui tibi ſordeat. mangonium igitur exerce: & effice

effice ne sit paratior alter ad coëmenda mancipia, quæ à te probe curata & concinnata quàm plurimi vænire possint in catasta, te plaudente, & adhortante vt motu corporis ac saltatione bonæ suæ habitudinis dent specimen mercatorib. emturientibus. *Catasta* vox Romana, sed Græcæ vel potius Siculæ originis, vt aliæ non paucæ, quæ ab istis ad Romanos corruptæ & semibarbaræ transierunt, reliquis Græcis omnino incognitæ. Siculorum linguam Græcam multis modis vitiatam fuisse, etiam illi norunt, qui solum Plautum attigêre. à verbo καθίστημι aut voce κατάστασις facta est vox *catasta*. ita dixerunt pegma ligneum, in quo suos vænales collocabant cùm illos vendebant, aut ad venditionem parabant. publicè mancipia fuisse in catasta vendi solita indicat locus Plinij libro xxxv. de Chrysogono Syllæ liberto. *Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ.* Sed erant etiam in ædibus catastæ, vt quas arcanas vocat Martialis epigrammate in Mammurram:

Inspexit molles pueros, oculisque comedit:
Non hos quos primæ prostituêre casæ:
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ.
Et quos non populus, nec mea turba videt.

quo ex loco discimus eximiæ formæ pueros quibus hedera non erat opus, non fuisse in publicũ productos: sed domi apud mãgones ipsos facilè emtores inuenisse. ibi igitur catastam conscẽdebant, non in foro. etiam illud discimus ligneam fuisse catastam è tabulatis constructam. quare

etiam *machinas* vocabant cataſtas. Q. Cicero De petitione conſulatus, loquens de Catilina: *quo in magiſtratu amicam, quam palàm domi haberet de machinis emit.* Cur imponerentur cataſtæ mancipia docet vetus ſcholiaſtes Perſij: *apud antiquos venales gladiatores in cataſta ponebantur, vt in eis poſſent omnia membra inſpici.* ſolebant enim qui ſeruos emebant nudare illos, & diligenter eſſent ne omnia membra integra & valida perſpicere. Suetonius libro II. *qui matres familias & adultas ætate virgines denudarent atque perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* & libro IV. *illuſtriores feminas præter pedes ſuos tranſeuntes diligenter ac lente mercatorum more conſiderabat.* Seneca pater Controuerſiarum libro primo: *Nuda in littore ſtetit ad faſtidium emtoris: omnes partes corporis & inſpectæ & contrectatæ ſunt.* tangit & filius Seneca epiſtola LXXX. neq. hoc ſolùm, ſed etiam ſaltare iubebant, vt oſtendunt Menandri locus & Propertij, & aliis modis ſuæ agilitatis ſpecimen dare. quare Martiali *eques de cataſta* dicitur qui ibi fuerat venditus:

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

vt mirari nemo debeat quod machinam ad torquēdum paratā, quæ vulgò equuleus dicebatur, cataſtā etiam appellarint. in Martyrologiis ſæpè legas in cataſtam martyres fuiſſe impoſitos. Prudentius de Romano martyre: *Emitto vocē de cataſta celſior.* & ſæpius alibi. nec ſolùm pro equuleo vſurpat: ſed pro quouis pegmate ligneo cui imponi ſolent qui variis ſuppliciis afficiuntur.

ita accipe *catastas igneas* in Peristephanon hymno primo, & similes locos in historiis martyrum. Scimus longe alia de hac voce hactenus prodita esse à magni nominis viris: verùm quæ ita ferè absurda sint, vt refutationis non egeãt. Sedenim horum error longe tolerabilior illorum obstinata peruicacia, qui *catastos* nescio quos contra liquidissimam veritatem apud Vitruuium comminiscuntur. ὧν ἰατρεῦσαι τὴν ἄγνοιαν, οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτό γε νομίζω δεδόσθαι. quo igitur sensu dicatur Persio auarus mango, *seruos plaudere in catasta* iam ostendimus: nisi quis malit *plaudere* heic interpretari, palpo percutere, aut plana manu ferire: quod videntur fecisse mangones ad ostentandam εὐδεξίαν & bene curatam cutem suorum mãcipiorum: & confirmat hanc interpretationem vox *pingues*. sic autem legimus, antiqua seruata scriptura, quam critici imperiti iam olim loco eiecerunt, vt constat ex scholiastæ reliquiis, substituta voce *pauisse*: quam ferè scripti hodierni retinent: etsi in nonnullis *clausisse* inuenimus. quidam *pausasse* præferunt. quod etiam ab Hadriano Turnebo est adnotatum. has verò omnes lectiones commentitias esse non magis verear affirmare, quàm de eo non dubito scripsisse Persium *plausisse*. mutarunt eam dictionem scioli, quibus mirum videbatur verbum *plaudere* cum quarto casu iungi. atqui etiam Statius Papinius sic locutus est non semel. in epithalamio Violantillæ:

Claráque gaudentes plauserunt limina cygni.

in epicedio patris,- *non toties victorem Castora gyro*
Nec fratrem cestu, virides plausere Therapnæ.
atque ita vsurpari à poëtis multa verba contra vsum communem, ne tirones quidem ignorant: ne ad Græcorum exempla opus sit confugere.

Rem duplica. Feci: iam triplex: iam mihi quartò, Iam decies redit in rugam.) Naturam morbi de quo loquitur ingeniosè ob oculos ponit: nam vt temulenti sitim vinum, hydropici aqua irritat, non sedat: sic auari animum non explet quod partum est, sed ad maiora concupiscenda allicit. pene iisdem verbis sententiam eandem expressit Basilius in homilia ad diuites: πολλὼν, ait, ὑμᾶς ἐνδεεῖς ποιεῖ τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἀκόρεστον. τοῖς δέκα ταλάντοις, δέκα ἕτερα προστιθέναι σπουδάζεις. ἐπεδὰν δ' εἴκοσι γένηται ἄλλα τοσαῦτα ἐπιζητεῖς· καὶ ἀεί σοι τὸ προστιθέμενον οὐχὶ τὴν ὁρμὴν ἵστησιν, ἀλλ' ἀναφλέγει τὴν ὄρεξιν. & multa in eandem sententiam ibi facundissimus ille pater. Simile item illud Galeni De curatione morborum animi, ἀεὶ ποθοῦσι τῶν ἔμπροσθεν οἱ ἄπληστοι· ὥστε κἀν διπλάσιον ἔχωσι, τριπλάσιον προσκτήσασθαι σπεύδουσι· κἀν τριπλάσιον ἔχωσι τετραπλασίων ἐφίενται. Simplicius in Epicteti Enchiridium eleganter: ἂν δέκα κτησώμεθα, εἴκοσι βουλόμεθα· κἂν εἴκοσι, τετταράκοντα, καὶ ἐφεξῆς· καὶ πέρας οὐδὲν τῆς εἰς τὸ ἄχανες τῆς ἀπληστίας ὠθήσεως, καὶ ἡ ὅρον ἐκβᾶσα φύσις εἰς ἀοριστίαν ἐκπίπτει. *rem duplica*, vt apud Iuuenalem, *patrimonia conduplicare.* at *redire in rugam*, pro multiplicari & πολλαπλασιάζεσθαι elegantissimè tractum à vestibus, quarum est proprium rugare. contrà apud Iuuenalem in simillima sententia summa dicitur

rugam trahere quæ nondum tendit neque explet marsupium: sed adhuc hians & laxum est os illius. ita melius, quàm vt alij interpretantur.

Depinge vbi sistam.) Hæc scripta lectio omnium quos vidimus librorum. in editione P. Pithæi est *depunge.* quod perplacet. translatum à libræ scapo vbi punctis notatæ sunt ponderum mensuræ. vt *certo compescere puncto Nescius examen. depungere* est κέντρῳ περιγράφειν quomodo loquitur Plutarchus in gemina sententia, De amore diuitiarum. τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται, καὶ τὸ τέρμα πάρεστι τῆς χρείας καθάπερ κέντρῳ τὸ διαστήματι περιγραφόμενον. Heic igitur Persius auarum heredem vrget, doceat se vbi sistat, id est, quem pecuniæ modum consecutus, cupiditatem ipsius sit expleturus: quod cum sequenti versu fieri nunquam posse significet: nimirum id voluit paucis ostendere, quod multis philosophi disputant: auaros finem consequi nunquam. οὐδαμοῦ γὰρ τῆς εἰς τὸ πρόσω φορᾶς ἵστανται, inquit verè Basilius. Præclare Seneca epistola XVI. *Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia vbi desinant non habent. Nullus enim terminus falso est. Via cunti aliquid extremum est: error immensus.* & in XXXIX. *Necesse est in immensum exeat cupiditas quæ naturalem modum transilijt. illa enim habet suum finem: inania & ex libidine orta, sine termino sunt. necessaria metitur vtilitas: superuacua quò redigis?* hoc est quod Græci sapientes dicunt: τὸ πάθος ὅρον οὐκ οἶδεν. quam sententiam lactea illa sua dicendi vbertate tot locis beatus Chrysostomus fuse tractauit: in eam verò

ad Corinthios, homilia xxiv. luce clarius paradoxum illud in specie demonstrat, Nihil esse quod nos adeo ad mendicitatem redigat, vt studium diuitiarum. Græcè melius: Οὐδὲν οὕτω πτωχοποιὸν ὡς φιλαργυρία, κἂν ὁ πλούτῳ κἂν ὁ πενίᾳ φανῇ. At philosophus in primo Politicorum totam hanc quæstionem subtilissime vt omnia, & sapientissime definit. Solonem reprehendit, cuius extat notissimus versus:

Πλούτου δ' οὐδὲν πέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

non enim fine carere diuitias: sed ita distinguendum esse: ἡ κτητικὴ, hoc est artis illius quæ rem familiarem amplificare docet, duas esse species: alteram secundum naturam, quam vocat οἰκονομικὴν: & ait esse artem comparandi necessariã ad vitam instrumenta. atque hanc certum finem habere, eo argumento euincit: quia nulla est ars cuius infinita sint instrumẽta. ergo etiam legitimæ κτητικῆς finem esse αὐτάρκειαν πρὸς ἀγαθὴν ζωήν. quod ita στωϊκώτερον Seneca epistola 11. *Quis sit diuitiarum modus quæris? Primus habere quod necesse est: proximus quod sat est.* Altera ἡ κτητικῆς species dicitur Aristoteli ἡ χρηματιστική, non a natura ducens originem: sed ab hominum cupiditate. hanc ait ille πλοῦς quidem habere siue finem: at terminum siue πέρας non habere: ἄπειρος γάρ, inquit, ἔστιν ὁ πλοῦτος ὁ ἀπὸ ταύτης τῆς χρηματιστικῆς.

Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.) Iam docuimus quomodo hæc sint accipienda: nam falli etiam eruditissimos viros qui hunc locum ante nos attigerunt nemo poterit dubitare qui no-

ſtram cum illorum expoſitionibus contulerit. Omnes in eo peccarunt, quod ſpecie prouerbij hoc dici non animaduerterunt. atqui ita omnino exponendum, ſi Perſij mentem curamus aſſequi. rogauerat auarum indicaret ſibi certum ſuæ cupiditatis finem. ſed nullam poterat finem auarus oſtendere: nullus enim auaritiæ terminus, vt antea probauimus. quare etiam Iuuenalis poſtquam dixit non poſſe auari gremium expleri, ne ſiquidem bis térve aut etiam ſæpius equeſtri cenſu illum donaueris: pulcherrimam illam ſuam ſatiram ita concludit.

Nec Cræſi fortuna vnquam nec Perſica regna
Sufficient animo nec diuitiæ Narciſſi,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperijs, vxorem occidere iuſſus.

non lac lacti ſimilius, quam ſunt fines duarum iſtarum ſatirarum: huius inquam Perſij, & illius XIV. apud Iuuenalem. ſed τὸ ἀδιώλωτον quod pluribus verſibus Iuuenalis eſt perſecutus, iſto vnico Perſius expreſſit. verùm breuitas elegantiſſima illius ſubleuanda eſt interpretatione: atque ita capienda eius verba, vt ſi diceret: Doce me finem tuæ auaritiæ. atqui modum imponere tuæ πλεονεξίᾳ non magis potes tu quàm olim potuit Chryſippus finem ſoritis inuenire, & vbi reſiſtendum eſſet definire. Simillimæ βραχυλόγιας exempla apud optimos ſcriptores plurima. Tale illud eſt apud Horatium in epiſtola ad Auguſtum: vbi cum vellet ſignificare ſummam rei abſurditatem,

——*non est*, ait, *quod multa loquamur:*
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

nam similiter suppleri debet is locus: si hoc (de quo dixit) verum atque æquum est: etiam illud verum est, neque nucleum oleæ neque nucis ligneum putamen esse durum. quod quia palam absurdum est: sequitur etiam illud esse absurdum de quo ibi est sermo. ita heic: impossibilitatem (vtamur hac voce) finiendæ auaritiæ probat, tacitè comparans cum alia re quam constabat eruditis finiri non posse; nihil enim tempestate illa doctrina Stoicorum vulgatius. Quod autem finis non possit inueniri soritis, quem vocat Persius *aceruum*, Cicero & Iurisconsulti, *cauillationem acerualem*, declarat M. Tullius in Academicis quæstionibus; vbi sic loquitur qui ἀκαταληψίαν tuetur: *Venit ad soritas, lubricum sane & periculosum locum: quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo? istius vitij num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, vt vlla in re statuere possimus Quatenus: nec hoc in aceruo tritici solum vnde nomen est: sed vlla omnino in re minutatim interroganti, diues, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna parua: longa breuia: lata, angusta: quanto aut addito aut demto, certum quod respondeamus non habemus.* Vides disserte affirmari *naturam non dedisse cognitionem finium* quibus sisti possit progressus ἐπ' ἄπειρον. si negat ipsa natura, vt ait Cicero, quis amplius dubitet, rem omnino inueniri non posse? optimo igitur iure Persius, inter ἀδιανόητα id retulit,

propterea & Stoici ſoritem inter ἄπορα quæ non poſſunt ſolui referebant. ſic apud Sextum Empiricum Contra mathematicos libro primo profertur σωρειτικὴ ἀπορία, quæ ſolutionem nullam admittit. cui ſimiles aliæ apud eundẽ, item apud Galenum, & Ariſtotelis interpretes. in quæ autẽ abſurda inciderent qui interrogãtem ſiſtere non ſcirent, oſtendit Sextus idem contra Phyſicos cap. de motu. Ait vero Perſius *tui Chryſippe acerui*: quia multũ in eo Chryſippus ſudauerat, vt finitorem acerui inueniret: ſed fruſtra. quare ſpe inueniendi quod quærebat deiectus, κατὰ δεύτερόν τινα πλοῦν, quod aiunt, excogitauerat quem vocabat τὸν ἡσυχάζοντα λόγον: cum interrogatus ſuſtinebat ſe, priuſquam ad finem interrogans perueniret. Sextus Empiricus Hypotypoſeon libro II. capite quo aduerſus dialecticos diſputat: οἱ περὶ τὸν χρύσιππον δογματικοὶ ἐν τῇ συνερωτήσει τοῦ σωρείτου, προϊόντος τοῦ λόγου φασὶν δεῖν ἵστασθαι καὶ ἐπέχειν, ἵνα μὴ ἐκπέσωσιν εἰς ἀπόπιαν: hoc vero erat, non aceruum finire, ſed ignorantiam ſuam profiteri. quare multũ & Carneades & alij philoſophi Chryſippi illud inuentum riſerunt. Cicero ibidem: *placet Chryſippo, cùm gradatim interrogetur, verbi cauſſa, tria pauca ſint anne multa: aliquanto priuſquam ad multa perueniat, quieſcere: id eſt quod ab ijs dicitur* ἡσυχάζειν. *Per me vel ſtertas licet, inquit Carneades, non modò quieſcas. ſed quid proficis? Sequitur enim qui te ex ſomno excitet, & eodem modo interroget.* locum integrum vide: vbi etiam teſtatur Cicero διαῤῥήδην, iſtiuſmodi ſophiſmata ne à Chryſippo quidem

fuisse dissoluta. tanta imperitia acutuli illi Stoici veræ Logicæ laborabant: quos tamen ea etiam laude volunt quidam censeri: sanè quam absurdè: cum vniuersa Stoicorum Logica nihil sit inertius, nihil ineptius, nihil παιδαριωδέστερον. Chrysippum verò multa de sorite scripsisse, arguunt librorum indices apud Laërtium, multi & varij: sed qui præcipuè ad sophisma acerui pertinerent, sunt hi: Περὶ τῶν πρὸς τὰς φωνὰς σωρειτῶν (melius, σωρειτικῶν) λόγων γ. & Περὶ τοῦ πρὰ μικρὸν λόγου, πρὸς Στησαγόραν, β. etsi longo interuallo separantur hi tituli in Laertiano indice: sunt tamen de eodem argumento: nam ἡ σωρειτικὴ ἐρώτησις dicebatur Stoicis etiam ἡ πρὰ μικρὸν ἐρώτησις. quod alibi clarè docebimus: vbi etiam eorum supinum errorem castigabimus, qui Stoicorum soritem inter argumentationum legitimas species referunt; quæ absurda sententia multos hodie sectatores habet: etiam illorum qui in ea arte præ cæteris sapere volunt videri. Sed hæc, vt diximus alibi fusè ac clarè demonstrabimus: faueat modò conatibus nostris DOMINVS IESVS, vera lux, vera σοφία: aut potius αὐτόφως, καὶ αὐτοσοφία.

FINIS.

PERSIANA HORATII IMITATIO.

NEMO qui vel ſummatim humanitatis ſtudia attigit, Perſij Satiras legit, quin ſtatim imitationis Horatianæ aliqua ſaltē veſtigia deprehendat: tam multa enim illius tam paucis numero verſib. expreſſit, vt fungum eſſe oporteat, cuius animum, ſimul ac in hunc librum oculos coniecit, eius rei aliqua non percutiat ſuſpicio. Et tamen ea arte eo iudicio in hac parte vſus eſt poëta ingenioſiſſimus, vt qui adeò multa non ſua vſurpat, ſuus tamen vbique ſit, nec alieni beneficij fetè quicquam, verum propria omnia habere videatur. κἀν γὰρ παρ' ἄλλου λάβῃ τι ἰδίως αὐτῷ χρώμενος ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: quod olim eruditiſſimi critici de Thucydide Homerū imitante pronuntiarunt. Quare equidem facilè ignoſco tot commentatorib. quos palàm eſt ita negligenter in hoc negotio

esse versatos, vt loca non pauca perperam acceperint, quædam, sed illustria, non animaduerterint esse corrupta vnicam ob caussam hanc: quod Persium cum Horatio diligenter contendere, suarum partium esse animum nunquam induxerint. Nos verò quam illis tribuimus veniam, ne ab aliis petere ipsi opus haberemus: quæcunque in eo genere obseruatione digna deprehenderamus, omnia studiosè collegimus, atque in vnum veluti communem locum huc coniecimus. Speramus non ingratum fore tironibus, quorum studiis prodesse optamus, nostrum istud consilium: cùm præsertim imitationis artem, sine qua pene infructuosa veterum lectio fuerit, nullius magistri præcepta æquè bene ipsos doctura sint, atque hoc pulcherrimum tanti viri exemplum. Si extarent Lucilij Satiræ, nō dubito etiam in illis reperiri quædam posse, quibus noster sua fecerit auctiora & luculentiora: sed illa, opinor, forent non multa: quantum quidem ex reliquiis eius poëtæ licet coniicere. horridior enim & incultior Lucilius fuit, quàm vt aliquid facile ex ipsius lutulentis carminibus tolleret Persius, atque in rem suam verteret. Venusinum verò Flaccum sic in deliciis habuit, miratúsque est hic Flaccus, vt totum memoria tenuisse existimem. quod quidem ita esse, neminem puto dubitaturum, qui obseruauerit quàm sæpè, quàm feliciter, & sententias & dictiones eius vsurpet. apparet commentanti Persio verba versúsque Horatianarum Satirarum non an-

xiè, sed vltro sub acumen stili veniſſe: vt videatur magis non repudiaſſe, quæ ſibi comiter ſua memoria ſuggerebat: quàm de induſtria quæſiuiſſe. Neque enim debemus eius infelicitatis tantum vitium damnare, vt putemus aliquem ipſum ex affectata Horatij imitatione, aucupatum eſſe gloriam. iniquum, ridiculum & ſtultum ſit tam ineptæ ambitionis nobiliſſimum iuuenem ac ſapientiſſimum, velle inſimulare: qui contra ſummo iudicio virtutes Horatij ſic imitatus eſt, vt nævos & ἀπηχίας eiuſdem cautus vitarit ſedulò. quod cùm alibi pluribus demonſtratum ſit à nobis, miſſo hoc ſermone quod inſtituimus iam aggrediemur.

IN PROLOGO.

IMitatio pluribus modis fit. nam vt orationis virtutes aliæ dicuntur rhetoribus πραγματικαί, aliæ λεκτικαί: ita etiam imitatio eſt alia rerum, alia elocutionis, cùm aut verba alicuius vſurpamus, aut figuras exprimimus, aut ſententias æmulamur. rurſus imitatio quædã manifeſtior, quædam occultior. omnium apertiſſima illa eſt, cùm & ſententia manet eadem, & verba quoque nonnulla: nam ſi nihil in verbis fuerit mutatum, non ſimplex imitatio ea dicenda, ſed γυμνὴ μίμησις, aut potius μετάθεσις quomodo loquitur Demetrius Phalereus, ſiue vſurpatio: vt cùm Ennij verſum ſermoni ſuo Perſius accommodauit in ſexta. minus manifeſta eſt, cum ſer-

uata ſententia non ſeruantur verba, ſed mutantur omnia. interdum verba retinentur, ſed in aliam ſententiam traducta: quod ipſum variis fieri ſolet modis. Omnium horum exempla, in Horatij imitatione Perſius nobis exhibet. vt ſuis locis dicturi ſumus. Nos verò ne illa quidem prætermittēda cenſuimus, in queis videtur Perſius, non tam conſilio & ſtudio imitandi, quàm caſu & ξυνεμπτώσει aut idem verbum ſimiliter vſurpaſſe, aut verſum quodam modo ſimilem feciſſe alicui Horatiano. nam etſi nihil fortaſſe cogitans in illa incidit: nihilo tamē minus cauſſa cur in illa potiſſimum incideret, erat quod Horatij & verba & numeri etiam aliud agenti in mentem veniebant & ſub ſtili acumen. In hoc verò carmine cùm negat Perſius ſe poëtam eſſe, & *ſemipaganum* nominat, ingenioſo verbo expreſſit adfatim, quod dixerat Horatius non ſolùm pluribus verbis, ſed etiam verſibus: vt cùm poëtam ſe negat in tertia libri primi:

Primum ego me illorum, dederim quib. eſſe poëtas,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neq. ſi quis ſcribat vti nos
Sermoni propiora putes hunc eſſe poëtam.

& cùm ait in VI. libri II.

Quid prius illuſtrem Satiris Muſáque pedeſtri?

eadem prorſus ratio eſt cur Perſius *ſemipaganum* ſe appellet, & cur Satiras ſuas Horatius modò *pedeſtrem Muſam*, modò *Sermones*: vt in quarta primi Epiſtolarum,

Albi noſtrorum Sermonum candide iudex.

IN PRIMA.

2 *Quis leget hæc?*) Prima pars satiræ huius ostendit Persius pluribus versibus, id consilium sibi probari in scribendo, quod paucioribus verbis datur ab Horatio satira vltima libri 1. *--neque te vt miretur turba labores,*
Contentus paucis lectoribus. ——

3 *turpe & miserabile.*) videtur alludere ad ista Horatij 1. Sat. IV. *--beatus Fannius, vltro*
Delatis capsis, & imagine, cùm mea nemo
Scripta legat. ——
hæc est ἡ ὂν τῶ ἐναντίου μίμησις.

12 *Quid faciam?*) Horatius in simili deliberatione initio 11. Satir.
Quid faciam, præscribe: quiescas.
ex hac collatione intelligitur acre & vehemens Persij ingenium: nam sic petiit consilium, vt eius dandi potestatem non faciat: sed statim vt datum repudiet, quod non dubitabat datum iri. quod igitur lectori supplendum reliquit, apud Horatium habemus expressum, *quiescas.*

13 *Scribimus inclusi, numeros ille hic pede liber.*) affinis versus illi Horatiano,
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
etsi nec sententia eadem prorsus nec verba.

20 *Ingentes trepidare Titos.*) *ingentes Titi* ita dictum à Persio, vt Horatio, *celsi Rhamnes.* in Arte:
Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.
doctè vt omnia notauit hoc iam olim Hadria-

nus Turnebus in ſuis Aduerſariis.

21 *tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.*) Horatius Carminum libro IV. oda XIII.

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. -- falluntur eruditi viri qui *tremulum cantum* interpretantur anilem: laſciuiæ enim vox illa ſignificationem habet. cuius interpretationis & fundum habemus hic Perſium, & teſtem quoque veterem interpretem. Terentianus Maurus de Galliambo verſu:

Noménque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quod eſſe Gallis habiles putant modos.

ſic κλαδαρὸν Græci pro laſciuo ac molli: vnde κλαδαραὶ ὄψεις, & κλαδαρὸν περιβλέπειν apud Clementem Alexandrinum de Veneris puſionibus. κλαδαρὸς autē idem ac tremulus. Heſychius: κλαδαρόμματοι, εὔσειστοι τὰ ὄμματα.

23 *quibus & dicas cute perditus, ohe.*) Horatius Satirarum libri II. quinta:

Importunus amat laudari? donec ohe iam
Ad cœlum manibus ſublatis dixerit, vrge, &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus vtrem.

vſu tritum apud Latinos *ohe dicere* pro ſatis eſt. ſed Perſius cùm ei qui immodica laudatione offendatur id loquendi genus tribuit, Horatij locum ſine dubio ante oculos habuit. quare alias interpretationes comminiſci interpretes non debuerant.

26 *En pallor ſeniúmque.*) in epiſtola ad Lollium libro primo:

——— *inhumanæ ſenium depone Camenæ.*

28 *At*

28 *at pulchrum est digito m.*) Horatius:

-- at suaue est magno tollere acerùo.

29 *Ten' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?*) in fine libri 1. Satirarum.

-- an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

30 *ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent.*) in epistola ad Augustum:

—— pueri patréſque seueri
Fronte comas vincti cenant & carmina dictant.

Vel vt habent alij libri, *dicunt.* quod propius accedit ad Persij sententiam.

35 *tenero supplantat verba palato.*) Horatius de affectata balbutie,

-- balba feris annoso verba palato.

satira III. libri II. *supplantare* luctantium est verbum: *ferire*, cestibus pugnantium.

40 *rides, ait, & nimis vnc.*) Horat. epist. XIX. lib. I.

—— rides, ait, & Iouis aur.

42 *& cedro digna locutus.*) ad Pisones:

—— speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & leui seruanda cupresso.

53 *calidum scis ponere sumen.*) ibidem, de malorum poëtarum artibus:

-- vnctum qui rectè ponere possit.

54 *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.*) adhuc de iisdem primi epistolarum, XIX.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cenarum, & tritæ munere vestis.

56 *nugaris cùm tibi c.*) Errant qui huc afferunt illa Horatij ex epistola ad Lollium lib. I.

——interdum nugaris rure paterno.

nam Horatius de eo loquitur, qui belli simulacra rure exercebat. quod quid habet commune cum sententia huius loci? quanquam iidem etiam illo Flacci loco *nugaris* exponunt poëtaris: sed quàm absurdè pueri omnes intelligent, quos antecedentia & sequentia legere non piguerit.

61 *Vos ô patricius sanguis*) in Arte: *--vos ô Pompilius sanguis carmen reprehendite.*

64 *vt per leue scueros Effundat iunctura vngues.*) Horat. satira VI. lib. II. in alia re, & sententia contraria: *ne quid valeat per leue morari.*

65 *scit tendere versum:*) alia notione idem verbum positum est initio secundi libri Satirarum.

Sunt quibus in satira videar nimis acer, & vltra Legem tendere opus.

67 *in prandia regum.*) Horat. dixit, *epulas regum.* II. Sat. secund.

70 *nec ponere lucum Artifices.*) in Arte. *quia ponere totum Nesciet.* sed potius illum versum spectauit, ex Oda VIII. lib. IV. Carm. *Sollers nunc hominem ponere nunc deum.* nec displicet quod eruditi quidam obseruant. *lucum ponere* cum dixit Persius respexisse ad illa in Arte: *cum lucus & ara Dianæ describitur.* locum integrum considera.

85 *Fur es ait Pedio. Pedius quid?*) ostendimus oratoris non rei nomen heic esse τὸ *Pedius*. Horat. in vltima lib. pr. Satir. *Cum Pedius caussas exsudet Poplicola.*

86 *doctus posuisse figuras.*) ita legendum esse ad-

monuimus. Horat. ibidem : *doctus cantare Catullum.*

88 *cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes.*) in Arte: *-si fractus enatat exspes Nauibus ære dato qui pingitur.*

89 *Men' moueat quip.*) Hor.ibidem: *Men' moueat cimex Pantilius.*

91 *Plorabit qui me volet incuruasse querela.*) in Arte: *-si vis me flere dolendum est Primùm ipsi tibi.* at *curuare* pro flectere & κυφὸν ἔλεον posuit Horatius ode ad Lycen.lib.III.Carminum.

93 *Berecynthius Attin. Et qui e.*) Satirici poëtæ aliena carmina proprijs scriptis inserunt,duplici ex caussa:vel quasi ad ornatum per speciem παρῳδίας: de quo ad satiram sextam: vel διδακτικῶς: modò cum laude auctoris versuum qui afferuntur: modò ad suggillationem illius. sic Persius isto loco Neronis κακοῤῥηίας & μυσικῆς & ineptias ac stultitiam omnibus ridendam propinat allatis illius versibus. sic etiam Horatius vt Bibaculum obiter irrideret versum eius suo Vlysse inseruit Satirarum libro II. *Furius hibernas cana niue conspuet Alpes.* eadem licentia vsum auctorem primum huius carminis Lucilium ex reliquijs possumus conijcere. Atque in hoc vt in alijs non paucis veterem Græcorum comœdiam secuta est Latina satira.quàm multa enim Euripidis, vt alias taceam, habes apud Aristophanem? Simpliciter docendi caussa ex Ennio in quarta primi Satirarum afferuntur hæc Horatio:

——*postquam discordia tetra*

Belli ferratos posteis, portasque refregit.

103 *si t. vera vlla paterni Viueret in nobis.*) honestius in sententia parum honesta idem dixit Horatius in xv. Epodon: *si quid in Flacco viri est.*

106 *Nec pluteum cædit nec demorsos sapit vngues.*) in x. pr. Sat. *— in versu faciendo*

Sæpe caput scaberet viuos & roderet vngues.

108 *vide sis ne maiorum tibi forte Limina frigescant.*) in prima lib. II. Satirarum:

——metuo maiorum ne quis amicus

Frigore te feriat.

ambo de re eadem loquuntur.

111 *omnes bene miræ eritis res.*) acrostichum non dissimilis securitatis atque illud Horatij, Satira tertia libri primi: *cum dicas esse pares res.* Sed Persianæ negligentiæ rationem certam in Commentario attulimus: neque enim is fuit Persius quem sine caussa male tornati versus iuuarent: eam nos causssam aperuimus.

112 *Hoc iuuat?*) Legendum cum interrogatione admonuimus: vt in prima Satira Horatij:

——hoc iuuat? horum Semper ego optá.

ib. *heic, inquis veto quisquam faxit oletum extra Meiite.*) in VIII. primi Satir.

——in me veniat mictum atque cacatum Iulium.

in Arte:

——vtrum Minxerit in patrios cineres.

de omni contumelia παροιμιακῶς vsurpari solitum apparet.

114 *Secuit Lucilius vrbem, Te Lupe, te Muti.*) Tractauit eundem locum fusius Horat. in prima li-

bri II. Sat. studiosi loca inter se comparent: nam sententia & ὁ πᾶς τῆ λόγῳ σκοπὸς idem.

116 *ridenti Flaccus amico*) respexit illud, *ridentem dicere, verum Quid vetat?*

118 *excusso populum suspendere naso.*) in VI. primi Sat. *naso suspendis adunco Ignotos.* in VIII. secundi. *suspendens omnia naso.*

123 *Audaci quicunque afflate Cratino:*) Obseruabamus translationem esse à pratis: quibus Græci docta & florida veterum scripta sæpe assimilant. Hæc ἴυγξ ab Horatio est, qui *thyma* appellat opera antiquorum auctorum. in epistola ad Iulium Florum: *Quæ circumvolitas agilis thyma?* Si quis malit ad Pythiam referre, & alios qui numinis afflatu oracula fundebant, nõ repugnem. vtriusque ἐνθουσιασμοῦ modum, & illius quæ à numine in Pythiam manãs vatem ipsam reddebat: & eius quæ adflantur qui priorum libros diurna nocturnaq. manu versant, describit eleganter Dionysius Longinus de imitatione differens: πολλοὶ ἀλλοτρίῳ προφορῶνται πνεύματι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὃν ἡ πρὸ Πυθίαν λόγος ἔχει πεπρῆσθαι πλησιάζουσαν, ἔνθα ῥήγματός ἐστι γῆς, ἀναπνεῖν ὡς φασιν ἀτμὸν ἔνθεον αὐτόθεν ἐγκύμονα δὲ δαιμονίᾳ καθισαμένην δυνάμεως παραυτίκα χρησμῳδεῖν καθ' ὑπαγωγήν. ὕπως δὲ ἀπὸ τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυίας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν τεμένων ἀπορροιαί τινες φέρονται, ὑφ' ὧν ὑπαγόμενοι οἱ μὲν λίαν φοιβαστικοὶ τῷ ἑτέρων συνεκθουσιῶσι μείζω. de Eupolide Cratino & Aristophane Horatius initio Satiræ IV. libri primi. confer cum istis illum locum.

125 *Inde vaporata lector mihi ferueat aure.*) attentionem & cupiditatem lectoris verbo *ferueat* significauit, non multo aliter atq. Horatius verbo *insudet*, in quarta primi Satir. *Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli.* atque ibi Horatius de suis scriptis loquitur, vt heic Persius.

133 *Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.*) in III. primi Satir. de Stoico sapiente:

——*vellunt tibi barbam Lasciui pueri.*

134 *His mane edictum post prandia Callirhoen do.*) simplex pro composito: *do* pro mando. & mando accipe vt in illo Horatij, quem non dubito fuisse Persio in mentem cum hunc faciebat:

——*forum Putealque Libonis Mandabo siccis.*

epistola XIX. libri primi. videtur etiam illum versum respexisse VI. libri eiusdem:

Gnauus mane forum & vespertinus pete tectum.

item istum, similiter in fine positum satiræ X. libri primi.

——*Demetri téque Tigelli*
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

IN SECVNDA.

1 *HVnc Macrine diem numera meliore lapillo.*) Horatius oda XXVI. primi Carm.

Cressa ne careat pulchra dies nota.

3 *non tu prece poscis emaci.*) Horatius de se in XXIX. tertij Carminum:

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces

Decurrere, & votis pacisci.

votis pacisci, & *prece poscere emaci* idem sunt.

5 *At bona pars procerum t.*) in prima Satira libri primi.

At bona pars hominum decepta cupidine falso.

8 *Hæc clare, & vt audiat hospes: Illa sibi introrsum & sub lingua immurmurat.*) in XVI. primi epistolarum:

Iam pater clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra mouet metuens audiri: pulchra Lauerna
Da mihi fallere.

Græcum est *hospes* pro quouis cuius nomen tacetur, vt illis ξένος. Horatius ode quinta lib. II.

Mirè sagaces falleret hospites.

10 *ô si Sub rastro crepet argenti mihi seria d.*) in sexta secundi Satir.

O si vrnam argenti Fors quâ mihi monstret.

10 *dextro Hercule.*) ibidem:

—— *diues amico Hercule.*

14 *Nerio iam tertia ducitur vxor.*) *Nerius* ὁ δεῖνα. vt apud Horatium, *Scribe decem Nerio.*

17 *minimum est quod scire laboro.*) dictum ἐν ἤθει, vt apud Horatiũ in prima Satira, *non longa est fabula.* simile in secunda epistola primi, *nisi quid te detinet audi.*

22 *pro Iuppiter ô bone clamet.*) in secunda primi Satir.

—— *maxime, quis non*
Iuppiter exclamet simulatque audiuit.

27 *Triste iaces lucis euitandumque bidental.*) in Arte.

—— *an triste bidental*

Mouerit inceſtus.

59 *Aſt ego nutrici non mando vota.*) in quarta epiſtola primi:

Quid voucat dulci nutricula maius alumno.

41 *Poſcis opem neruis, c.*) Tangit & Horatius eorum ſtultitiam, qui ſua ſibi vota deſtruebant contrarijs vitijs in tertia Satira libri II. ſed alijs vtitur exemplis.

46 *quo, peßime, pacto?*) in VII. Satira lib. II. *quo pacto peßime?*

54 *lætari prætrepidum cor.*) qui aliter hæc ſcribebant, non meminerant ſimillium venuſtatum apud Horatium, cuius lepores vbique ſectatur noſter in nona ſatira libri primi: *meum secur vrere bilis*, in ſeptima epiſtola primi: *non ſanè credere Mena.*

61 *O curuæ in terras animæ, cœleſtium inanes!*) Satira II. libri ſexti.

——*quin corpus onuſtum*
Heſternis vitijs animum quoque prægrauat vna,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

72 *lippa propago*) Satira prima: *Criſpini ſcrinia lippi.*

73 *Compoſitum ius faſque animi.*) *animi* ſcribendum non *animo*: ſic apud Flaccum, in ſecundi tertia Satira. *Rectum animi ſeruas?*

75 *Hæc cedo vt admoueam templis, & farre litabo.*) oda XXIII. Carm. III.

Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſa blandior hoſtia,
Mollibit auerſos Penateis.

Farre pio & saliente mica.

sine causſa tantum laborant Flacci interpretes in huius loci ſententia explicanda. *immunis manus* ſine dubio eſt, vacua munere. at qui accipiunt pro immunis à ſcelere velim doceant me, vbi legerint *immunis* ἁπλῶς poſitum pro ἀθῷος. ſequens verſus ſententiam Platonicam continet, ſumptuoſas victimas non eſſe θεραπείαν deorum, ſed κολακείαν. ita igitur accipe: manus vacua, non autem illius qui vt dijs blandiatur ſumtuoſas eorum aris hoſtias admouet, ſacra Penatibus faciens, litabit farre, aut alio quamlibet tenui munuſculo, quod ab animo pio proficiſcatur.

IN TERTIA.

5 *ſiccas inſana canicula meſſes?*) Satira v 1. primi:

——*fugio rabioſi tempora ſigni.*

epiſtola x. primi.

Leniat & rabiem canis.

alibi:

Iam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis,

oda xxix. iii. Carm.

6 *& patula pecus omne ſub vlmo eſt.*) Horat. ibidem:

Iam paſtor vmbras cum grege languido,
Riuumque feſſus quærit.

7 *Ocyus adſit Huc aliquis, nemon'?*) in ſeptima libri ii. Satir.

——*nemon' oleum feret ocyus?*

8 *turgescit vitrea bilis :*) Horat.

Iußit quod splendida bilis.

12 *Tunc queritur crassus calamo quod pendeat humor.*) Satira III. libri sex.

Culpantur frustra calami.

16 *at cur non potius teneroque c.* & mox : *effluis amens. Contemnêre.*) Non est negligendum veteris critici iudicium qui pronuntiat Persium isto loco parum tempestiue laborasse, vt exprimeret illa Horatij ex eadem satira :

Inuidiam placare paras virtute relicta?

Contemnêre miser.

quid videretur nobis de imitatione Persij Horatiana superius indicauimus : quoniam tamen ἄνθρωπον φύντα ἀναμάρτητον εἶναι τελέως ἐστιν ἀδύνατον : inficias ire nolim Persium locis aliquot sic Venusinum satiricũ sequi vt non assequatur : atque adeo videri posse interdum verba illius ad propositum alienum accommodatiora quàm ad institutum ab ipso sermonem: quam κακοζηλίαν (dicamus enim verum nomen) vix est vt penitus vitent οἱ ἀλλοτρίῳ θεοφορούμενοι πνεύματι, vt ait Longinus : præsertim illi qui ad vnius imitationem totos se comparauerint, quod propemodum videtur fecisse Persius. verùm in tam bona forma næuus vnus aut alter facile veniam merentur.

17 *Et similis regum pueris.*) Oda XVIII. libri II. Carminum : —— *Aequa tellus*

Pauperi recluditur,

Regúmque pueris.

23 *Vdum & molle lutum es.*) Horatius ad Iu-

lium Florum:

--argilla quiduis imitaberis vda.

24 *sed rure paterno Est tibi far modicum.*) in epistola ad Lollium:

--interdum nugaris rure paterno.

25 *purum & sine labe salinum.*) Satira III. lib. I.

--modò sit mihi mensa tripes &
Concha salis puri. —— sed quia ait Persius, *rure paterno Est tibi*, pertinent huc ista è carmine ad Grosphum libro II.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

26 *secura patella.*) epithetum est Horatianum. in VII. satira libri II. *laudas securum olus.*

36 *cum dira libido Mouerit ingenium.*) Satira sec. I.

--simul ac venas inflarit tetra libido.

48 *Iure:*) absurdum iure videatur: nec caussam attulimus veram. sed discipuli mentem quis melius quàm magister nobis aperiat? sic ille satira eadem: *--quanto constantior idem*
In vitiis, tanto leuius miser.--
lege totam Daui disputationem.

55 *siliquis & grandi pasta polenta.*) epistola I. libri II. *--viuit siliquis & pane secundo.*

60 *Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum.*) Horat. oda XVI. libri II.

Quid breui fortes ioculamur æuo
Multa? —— eadem est translatio. sed Horatius de singulis actionib. siue περὶ ἕκαστα loquitur: noster de fine omnium vltimo.

70 *patriæ carisque propinquis Quantum elargiri de-*

ceat.) Satira prima:

-- reddat natis carísque propinquis.

73 *quod multa fidelia putet in locuplete sinu.*) caue accipias *π̀ putet* in propria notione: heic nullam vim habet aliam, nisi vt rei copiam denotet: vt apud Horatium *π̀ putrescere*, satira tertia lib. II.

-- cui stragula vestis
Blattarum & tinearum epulæ, putrescat in arca.

78 *quod sapio satis est mihi.*) Satira VI. lib. sec.
Mancipium frugi quod sit satis.

80 *Obstipo capite, & figentes lumine terram.*) in quinta secundi Sat.

Stes capite obstipo, multum f.

83 *Aegroti veteris meditantes somnia.*) in Arte:

-- velut ægri somnia vanæ
Fingentur species. --

85 *cur quis non prandeat, hoc est.*) Horatius:
impransi correptus voce magistri.

96 *ne sis mihi tutor. Iampridem hunc sepeli: tu restas.*) diuersos locos imitatione vna coniunxit. in tertia secundi Satirarum: *ne sis patruus mihi.* in nona primi:

Omnes composui felices: nunc ego resto.
Confice. -- postrema verba eorum errorem confutant, qui apud Persium mollius volunt accipi illas voces, *tu restas.*

97 *Turgidus hic epulis atque albo ventre l.*) satira II. libri II. *-- pinguem vitiis albúmque.* oda secunda libri II. Carminum:

-- & aquosus albo
Corpore languor.

quibus in locis an sit allusum à doctissimis poëtis ad hydropem λευκοφλεγμασίαν siue αἰαδρηδίαν medicis pertractandum accuratius relinquimus.

104 *crassisque lutatus amomis.*) in Arte:

Et crassum vnguentum.

108 *Nil calet heic.*) aspexit ista, sed concinnauit aliter:

Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet.

satira tertia libri II. Satir.

114 *os radere.*) sat. II. lib. II. *tergêre palatum.*

IN QVARTA.

8 HOC *puto, non iustum est, illud male, rectius istud.*) Satira IV. libri primi:

-- rectius hoc est:
Hoc faciens viuam melius: sic dulcis amicis
Occurram. ---

13 *summa nequicquam pelle decorus.*) epist. XVI. libri primi:

Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

& satira I. libri II. de Lucilio:

Detrahere & pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis. --

19 *suffla.*) videtur alludere ad apologum inflantis sese ranæ, quem narrat Horat. sat. III. lib. I.

22 *Vt nemo in sese tentat descendere, n.*) in prima satira: *-- nemon' vt auarus Se probet?*

25 *Sed præcedenti spectatur mantica tergo.*) in tertia libri secundi Satir.

Respicere ignoto discet pendentia tergo.

29 *Hoc bene sit.*) *hoc* est sextus casus. Horat. satira secunda libri secundi.

——bene erat non piscibus vrbe petitis,
Sed pullo atque hædo.

30 *Pannosam facem morientis sorbet aceti.*) mire auxit notam deparci quam apud magistrum legerat satira III. libri II.

Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis. auarus ille Horatij genio, vellet indulgere quoties villo plebeio, cuiusmodi erat Veientanum, se oblectabat: quotidie vino fugiente erat contentus. Hoc parum Persio visum: qui cum festis diebus non semicorrupto, sed plane corrupto auarum potat, hoc significat, diebus profestis canina illius prandia fuisse, ex pane & aqua.

33 *Est prope te ignotus cubito qui tangat, &c.*) Satira V. libri II.

——aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet, vt p.

40 *Non tamen ista silix vllo mansuescit aratro.*) traxit aliorsum vocem *silix*: quam meminerat venusta metaphora positam in hoc versu è satira III. libri primi:

Neglectis vrenda silix innascitur agris.

41 *Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.*) Notissimus Horatij versus:

Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem.

42 *Viuitur hoc pacto.*) Sat. vltima libri sec.

Hæc est conditio viuendi. ——

confer integrum locum.

44 *vt mauis, da verba.*) ex illis Horatij,

Vt mauis, imitare. —— vide locum in IV. satira lib. I.

ib. *decipe neruos.*) epist. XVI. libri primi:

-- occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules.-- vbi eadem tractatur sententia.

45 *egregium cum me vicinia dicat.*) ibidem:

--si te populus sanum rectéque valentem
Dictitet. —— idem in V. secundi Sat.

Egregie factum laudet vicinia. --

& in primo Epistolarum;

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota.

49 *Nequicquam populo bibulas donaueris aures.*) ibidem:

Sed vereor ne cui de te plus quàm tibi credas.

sed π̀ *bibulas* alio spectat: nam in II. Carminum oda XIII. dixit Flaccus:

Densum humeris bibit aure vulgus.

51 *Tecum habita.*) Diuerso sensu Horatius in septima II. libri Sat.

Non horam tecum esse potes.

IN QVINTA.

VIdetur Persius Horatiũ in cæteris quidem satiris studiosè imitatus: in hac verò etiam æmulatus, & in certamen eruditi carminis cum illo descendere ausus. Stoicum enim paradoxum, quod singulari venustate tractauerat Ho-

ratius sermone VII. libri secundi Satirarum, alia via ac ratione diuersa explicare est aggressus. Etsi autem eximium est vtriusque carmen: non tamen puto eruditorum quenquam negaturum, tantum inter hanc Persij satiram & illam Horatij esse discriminis, quantum differre solent aretalogi alicuius declamationes de virtute & vitiis, à philosophorum diatribis de thesi proposita accuratè differentium. Omnino de vtriusq. horum ingenio non possumus aliũde melius iudicare: quam ex cõparatione istarũ duarum satirarũ. ambo cùm virtutis amorem profiterentur, & philosophis præsertim Stoicis operam nauassent, simili genere carminis mores hominum carpere atque emendare instituerunt: sed ille quidem natura irrisor atque dicax, conuenientem ingenio personam in hac satira induxit, cuius sales & vrbanitatem potius laudes, quàm eruditionem magni facias. Dauus nimirum est, qui libertate Decembri vtitur, eáque occasione herum de suis vitiis, & animi seruitute qua erat astrictus, admonet. Persius verò magis docere aptus quàm ridere, totus seuerus, totus grauis de re philosophica disputaturus, personam assumit philosophicam: cuius partes sic tuetur, & perfecti Stoici omnes numeros ita implet, vt ne Zeno quidem illam Spartam melius fuisse ornaturus videatur. Sed ad institutum nostrum redeamus: nam etiam hæc satira, maximè autem posterior illius pars, auri Horatiani ramentis non paucis est aspersa.

1 *Vatibꝰ*

1 *Vatibus hic mos est.)* Horatius,

Regibus hic mos est. ——

4 *Vulnere seu Parthi duc.)* satira prima libri II.

Aut labentis equo describet vulnera Parthi.

10 *Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino, Folle premis ventos:)* Non dubium expressam sententiam ex istis Horatij sat. IV. libri I.

At tu conclusas hircinis follibus auras
Vsque laboranteis, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis imitare. —— & Horatius

& Persius malum poëtam, sed opinione sui inflatum, hac allegoria irrident. elationem animi ponebant, vt antè diximus, in pulmone: quem vterque poëta follis appellatione intelligit. eodem simili sed alio fine vtitur Hippocrates in libro De corde, respirationis instrumenta describens. Non simpliciter autem dicit Horatius poëtam arrogantem folles fabrorum ferrariorum imitari: sed *folles laborantes dum ferrum mollit ignis.* optime: nam cùm cessat faber non turgẽt folles, neque vento inflati sunt: vt appareat non solùm imitandi studio, sed etiam necessariò esse illa à Persio adiecta:

-- *anhelanti coquitur dum massa camino.*

Iuuenalis totam sententiam verbo sic expressit, de caussidicis canens in VII.

Tunc immensa caui spirant mendacia folles.

nam *cauos folles* intellige inflatos, quando sunt αἱ φύσαι αὐταὶ αὐτῶν πολυχωρότεραι: quod accidit illis quando opus vrget faber.

14 *iunctura callidus acri.)* in Arte:

-- notum si callida verbum
Reddiderit iunctura nouum. --

quam sententiam quominus Persij verbis aptemus nihil vetat.

20 *dare pondus idonea fumo.*) Sic, *nugis addere pondus*, in epistola XIX. libri primi: & in XVI.

-- fons riuo dare nomen idoneus.

45 *amborum fœdere certo Consentire dies.*) quod Persius ad præceptorem Cornutum, Horatius antè scripserat ad Mæcenatem suum, libri sec. Carm. oda XVII.

Vtrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. --

50 *Saturnúmq. grauem nostro Ioue frangimus vna.*) Subiungit Horatius: *-- te Iouis impio*
Tutela Saturno, refulgens
Eripuit. --

51 *Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum.*) in epistola ad Iulium Florum:

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum.

52 *Mille hominum species, & rerum discolor vsus. Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.*) Horum versuum alter superfluus & sine caussa additus. non enim bis idem dicit, quod in Æschylo comicus reprehendit: sed ter quatérue: non ita Horatius: qui posteaquam vniuersalem thesim posuit, *Quot capitum viuunt, totidem studiorum Millia*: statim ad particularia exempla transit.

54 *Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti.*) Satira quarta libri primi.

Hic mutat merces surgente à Sole, ad eum quò

Vespertina tepet regio.

58 *ille In Venerem putret.*) Flaccus ode xxxvi. primi Carminum:

Omneis in Damalin putreis
Deponent oculos.

63 *Cultor enim es iuuenum: purgatas inseris aureis F.*) epistola prima:

Est mihi purgatam crebro qui personet aurem.

paullo post:

Culturæ patientem commodet aurem.

66 *quasi magnum Nempe diem donas.*) Satira iv. libri primi: —— *sæpe ducentos*
Vt magnum versus dictabat.

71 *Vappa & lippus.*) Amat Horatius his vocibus animi vitia significare, vt Satira prima & alibi. *Dama* seruile nomen Horatio & Persio: nam apud alios aliter, si bene nomen memini. Iam quod *Marcus* prænomen toties heic repetitur, causſam docet idem Flaccus in quinta lib. ii.

—— *gaudent prænomine molles*
Auriculæ.

82 *Hæc mera libertas.*) epistola xviii. libri primi:
Dum vult libertas mera dici.

86 *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.*) hoc est, Stoicus hic mordax. sic *Mordacem Cynicum* Horat. epist. xvii. libri primi. sæpe enim quod Horatius verbo indicauit, vberius expressum à nostro: vel contra.

100 *Diluis Helleborum certo compescere puncto Nescius examen.*) in epistola ad Augustum libro ii.

—— *abrotonum ægro*

Non audet nisi qui didicit dare.

102 *Nauem si poscat sibi peronatus ar.*) ibidem:

Nauem agere ignarus nauis timet.

103 *exclamet Melicerta periisse Frontem de rebus.*) ibidem:

——*clament periisse pudorem*

Cuncti pene patres.

104 *Tibi recto viuere talo.*) ibidem:

Securus cadat, an recto stet fabula talo.

108 *Illa prius creta mox hæc carbone notasti.*) Satira tertia libri secundi:

——*creta, an carbone notandi?*

110 *Iam nunc astringas iam nunc granaria laxes.*) similis versus in eiusdem argumenti satira:

Qui iam contento, iam laxo fune laborat.

111 *Inque luto fixum possis transcendere nummum.*) in epistola ad Quinctium libro primo:

In triuijs fixum cum se demittit ob assem.

113 *Hæc mea sunt cum vere dixeris.*) Simillime Horatius, postquam virum bonum pluribus versibus vt heic, descripsisset, subiicit:

——*potesne*

Ex his vt proprium quid noscere.

117 *Astutam vapido seruas sub pectore vulpem.*) in Arte:

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

121 *Hæreat in stultis breuis vt semuncia recti.*) Satira tertia libri primi:

——*excidi*

Cætera item nequeunt stultis hærentia.

123 *Tres tantum ad numeros Satyri moueare Bathilli.*)

Legendum est *Satyrum*. vt *saltare Bacchum*, *saltare Clytemnæstram*, & similia passim alij, sic dixit Horatius *moueri Satyrum & Cyclopem*. in epistola ad Iulium Florum libro secundo:

——— *vt qui*

Nunc Satyrum nunc agrestem Cyclopa mouetur.

pantomimorum ὀρχήσεις & λυσισμούς Latini dixerunt *motus*. & *moueri* pro ὀρχεῖσθαι. nullum verò dubium esse debet quin Horatianam elegantiam retinuerit Persius imitans illius locum. vt valde mirer nemini ante nos, quod sciamus, huius venisse in mentem.

126 *I puer, & strig.*) in fine primi Sat. dissimile imperium non dissimili mandatur versu:

I puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

128 *nec quicquam extrinsecus intrat Quod neruos agitet.*) Satira septima libri secundi:

Duceris vt neruis alienis mobile lignum.

vocem *alienis* expressit duabus, *extrinsecus intrat*.

130 *quî tu impunitior exis?*) ibidem:

Tergo plector enim: quî tu impunitior?

135 *lubrica Coa.*) exposuimus mollia & λειαντικά. quæ attributa scimus legi sæpe apud medicos de quibusdam vinis. fortasse tamen non male referas ad vasa ipsa quibus Coa vina continerentur. Fictilibus enim vasis vina Græca in Italiam deferebantur. testæ Græcæ vinariæ meminit Horatius oda xx. libri primi. eo autem libentius ita vocem *lubrica* interpreter, quia Horatius coniunctim vini Coi & lubricorum conchyliorum meminit, satira quarta libri II. non quo illum

locum imitatus sit Persius: sed quia videtur ex assidua Flacci lectione Coi vini simul & epitheti illius in memoriam ipsi venisse.

136 *Tolle recens primus piper.*) eadem sententia illius, -- *caue ne portus occupet alter.* epistola sexta primi.

140 *Iam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas.*) Satira septima libri primi:

-- *quinque sequuntur*
Te pueri lasanum portantes œnophorumque.

145 *quam non extinxerit vrna cicutæ.*) in epistola ad Florum libro secundo:

Quæ poterunt vnquam satis expurgare cicutæ?

149 *nummi quos hæc quincunce modesto Nutrieras.*) in epistola ad Lollium libro primo:

-- *nummos alienos pascet.*

152 *cinis, & manes & fabula fies.*) oda IV. libri primi Carminum:

Iam te premet nox fabulæque manes.

153 *Viue memor leti.*) Satira sexta libri secundi:

Viue memor quam sis æui breuis.

ib. *hoc quod loquor, inde est.*) in choriambico carmine ad Leuconoen libro primo:

-- *dum loquimur, fugerit inuida*
Aetas.

156 *alternus oberres.*) qui inter vitia fluctuat, modo hoc probans modo illud, *fugitiuus & erro* nuncupatur Flacco satira libri primi septima.

161 *Daue, cito hoc credas iubeo, f.*) Quia Menandri hunc locum à Terentio expressum suis Satiris, & Horatius & Persius inseruerunt, non sine

voluptate studiosi horum trium eximiorum poëtarum verba inter se contenderint. apud Horatium personarum nomina non ponuntur: Persius quæ apud Menandrum inuenit retinuit: Terentius vt fieri solet à comicis nomina mutauit, cum Menandri fabulas pene ad verbum verteret. omnes hoc seruarunt vt amator iuuenis non monitu cuiusquam, sed ex indignatione, quod esset excluſus, cum bona mente redire in gratiam meditetur. itaque non Dauus Chærestratum, aut Parmeno Phædriam compellat, sed vice versa. Horatius satira tertia libri II.

-- amator
Excluſus qui distat, agit vbi secum, eat annon.

ib. *finire dolores Præteritos mediator.*) sententia est Menandri, verba Horatij:

-- an potius mediter finire dolores?

Terentius:

-- an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

164 *an rem patriam rumore siniſtro Limen ad obscœnum frangam.*) in simili sententia verbum *infringere* posuit Horatius, etsi diuersa notione: ode XI. Epodon.

Ad non amicos heu mihi posteis, & heu,
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.

165 *dum Chrysidis vdas Ebrius ante fores extincta cum face canto.*) & hãc & quæ præcedit vocẽ *dedecus* mutuatus est e sermone quarto libri primi:

Ebrius & magnum quod dedecus ambulet ante

Noctem cum facibus.

167 *Euge puer, sapias, d.*) τὸ *sapias* insertum δεῖ μέσου sine coniunctione Horatianæ est venustatis: vt in choriambico ad Leuconoen: *sapias vina liques.* hoc est si sapias, vt recte Priscianus.

ib. *dij depellentibus agnam Percute.*) *dijs depellentes* sunt θεοὶ ἀποτρόπαιοι. qui ab aliquo periculo seruati fuerant soliti dijs auerruncis agnam mactare. cuius rei exempla apud Latinos poëtas extant, Plautum, Horatium. Græcorum quoque fuisse eandem consuetudinem ex hoc loco intelligimus: quia non dubitandum est, è Menandro tractum esse quod heic legitur apud Persium. quare frustra quæsitum à nonnullis, cur agnam heic nominarit Persius, potius quàm vt Horatius porcum. sic ille satira tertia libri secundi:

Non est periurus neque sordidus immolet agnis
Hic porcum Laribus.

atqui præter caussam sacrificij, quę eadem est: ob superatum animi morbum: cætera omnia diuersa. neque enim iidem sunt dij depellentes & Lares: & ritus Romanos ac Græcos discrepasse in multis nemo ignorat.

172 *ne nunc cum accersat & vltro Supplicet accedam?*) Horatius:

-- nec nunc cum me vocet vltro
Accedam?

174 *hic hic quem quærimus hic est.*) omnino alium Horatij locum respexit ex epistola ad Scęuam libro primo: vbi disputatio non dissimilis ita clauditur:

——*atqui*
Heic est aut nusquam quod quærimus.

sed apud Persium non necesse est scribere *heic*. imò alterum est rectum: in omnibus Persij imitationibus paret semper aliqua mutatio. est & locus alter in Horatij Dauo conferendus cum isto: quem propterea ascribemus:

Poscit te mulier, vexat, foribúsq. repulsum
Perfundit gelida: rursus vocat: eripe turpi
Colla iugo. liber, liber sum, dic age.

175 *lictor quam iactat ineptus.*) eodem loco epistola ad Scæuam simile huic ἀκρόστιχον legitur:

--refer & sine viuat ineptus.

177 *cicer ingere large Rixanti populo.*) Satira tertia libri secundi:

In cicere atq. faba bona tu perdásq. lupinis.

184 *Labra moues tacitus.*) Horatius,

Labra moues cupiens audiri.

ib. *recutitáq. sabbata palles.*) formidas, & colis cessatione ab omni opere. Iam Horatij tempore non deerant qui sabbata cum Iudæis obseruarent, vt in sat. IX. primi:

-meliori tempore dicam: hodie tricesima sabbata.

185 *Tunc nigri lemures, ou.*) in epistola ad Florum libro II. *--sagas*

Nocturnos lemures, portentáq. Thessala rides?

191 *Et centum Græcos curto centusse licetur.*) Horatius dixerat de Læuino quodam: *vnius assis, Non vnquam pretio pluris licuisse.*. Persius ita imitatus est, vt pondus grande sententiæ adiiceret ad significationem contemptus: quod in Commen-

tario expositum est à nobis.

IN SEXTA.

7 *Hibernátque meum mare.*) Horatius in Ofello libri II. Satir. *-atrum*

Defendens pisces hiemat mare.

9 *Lunai portum est operæ cognoscere ciues.*) vide ad primam, versu XCIII. gemina huic apud Plautum vsurpatio alieni carminis initio Pœnuli: vbi versum ex Achille Aristarchi aptat sermoni suo.

10 *postquam destertuit esse Mæonides, Quintus pauone ex Pythagoreo.*) In voce *destertuit* satiricus cachinnus latet: verbo enim id significare voluit, quod pluribus dixit Horatius de eodem Ennio,

-- leuiter curare videtur

Quo promissa cadant & somnia Pythagorea.

13 *angulus ille Vicini, nostro quia pinguior.*) alludit ad malè sanorum vota: cuiusmodi illud apud Horatium satira sexta libri secundi:

-- ô si angulus ille

Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.

ab eadem enim auaritiæ radice illa quoque inuidia proficiscitur, de qua heic Persius.

15 *Diteſcant orti peiorib.*) in epistola ad Numicium lib. I.

-- indignum quod sit peioribus ortus.

ib. *vsque recusem.*) in Dauo:

-- vsque recuses.

16 *cœnare sine vncto.*) in Arte:

-- vnctum qui recte ponere possit.

18 *Discrepet his alius.*) Satira sexta libri primi:

-- longè mea discrepat istis
Et vox & ratio. & ita sæpius alibi.

ib. *geminos horoscope varo Producis genio:*) eadem sententia in prima satira libri secundi, sed aliter tractata & sub exemplo:

Castor gaudet equis, ano prognatus eodem
Pugnis.

20 *muria vafer in calice emta.*) τὸ *vafer*, pura puta Horatij vox: vt illo loco quartæ satiræ libro II.

Surrentina vafer qui miscet fæce
Falerna Vina.

21 *Ipse sacrum irrorans patinæ piper.*) Auaro opes suæ sacræ sunt: hoc est sic ab illis abstinet tanquam à sacro. Horatiana ἔρροια. satira prima libri primi: *-- congestis vndique saccis*
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris. in tertia libri secundi:
Qui nummos aurumque recondit nescius vti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum.
in verbis Persij, τὸ *ipse* non *esse* otiosum ostendimus: nunc dicimus illud quoque ab Horatio tractum in secunda satira libri secundi:

-- cornu ipse bilibri
Caulibus instillat.

22 *vtar ego vtar.*) in vltima epistola:
Vtar, & ex modico quantum res poscet acerno
Tollam.

23 *Nec rhombos ideo libertis ponere lautus.*) ita expressit quod ibidem Flaccus aliquanto planius:

-- & tamen idem

Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, & quantum discordet parcus auaro.

hæc Persij mentem aperiunt.

25 *occa.*) vniuersum aruorum cultum hac voce significauit: vt in eadem Horatius:

-- villicus Orbi
Cum segetes occat.

33 *Sed cœnam funeris heres Negliget iratus.*) ibidem Horatius:

-- nec metuam quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis inuenerit:

sequitur, apud Persium, paullo post:

Hæc cinere vlterior metuas?

34 *quod rem curtaueris.*) ibidem: *Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum.* item oda XXIV. libri tertij Carminum:

Curta nescio quid semper abest rei.

35 *seu spirent cinnama surdum.*) duriuscula translatio, ab auditu sensu, ad sensum olfactus. sed Persium auctoritas magistri tuetur, qui etiã durius, vt mihi videtur, *exsurdare* verbum de gustu posuit, in octaua secundi Satir.

Fœtida quod subtile exsurdant vina palatum.

hoc est, offendunt, siue parum grata accidunt: vt aspera vox clamantis aures audientium lædit atque exsurdat. etiam Græcis ἐκκωφεῖν pro βλάπτειν.

39 *postquam sapere vrbi Cum cicere & palmis venit nostrum hoc maris expers.*) Etiam atq. etiam acutũ lectorem & emunctæ naris monemus, cogiter de eo quod in Commẽtario dicebamus: nũ Persius apud Horat. verba illa in Fundanio, *Alcon*

Chium maris expers, aliter acceperit quàm vulgò exponantur. hoc est, pro mari condîto, vel mari aduecto. constat veteres criticos variè accepisse illum locum: & videtur Glossarum magister cùm diuersas notiones vocis expers afferret, eũ potissimum locum spectasse, neque alienum ab Horatij ingenio vt figurã κακοζηλίας in illa voce vsurpassit. Sin vulgari notione Flaccus id verbi capi voluit, referemus locum Persij ad genus illud imitationis, cùm verba retinentur, sed diuersa notione: cuiusmodi non pauca possunt obseruari: vel quod proximè notabamus de nomine *surdum*.

44 *O bone, num si ignoras?*) in Damasippo lib. II. Satir. --ô bone ne te
Frustêre.---

62 *Sum tibi Mercurius.*) Horatius ibidem:
Reiecta præda, quam præsens Mercurius fert.

66 *neu dicta repone paterna.*) quæ Flaccus Venusinus *dictata*, noster *dicta* nominat. *hæc recinunt iuuenes dictata.* in prima epist.

68 *impensius vnge Vnge puer caules.*) Horatius in simili disputatione, satira III. libri sec.
Vngere si caules oleo meliore, caputq;
Ceperis.---

73 *Patritiæ im. v.*) idem verbum eadem notione extat apud Horatium, & satira sec. libri I. & in septima libri sec.

78 *Rem duplica: feci: iã triplex: iam mihi quarto Iam decies redit in iugã.*) eandẽ sententiam aliis verbis tractat Musa Venusina epist. VII. libri prioris:

Mille talenta rotundentur: totidem altera: porrò
Tertia succedant, & quæ pars quadret acervum.

Hæc ferè loca sunt in hac præstantissimorum poëtarum biga, quæ inter se comparanda memoriæ entheca nobis suggerebat. plura istis fortasse digna obseruatu animaduertent alij. nobis ille potius animum incessit metus, ne in hoc negotio diligentiores quam par erat, fastidiosis & ἀψιφόροις lectoribus videamur fuisse. solidè doctos & candidos æstimatores non negaturos confidimus, huiusmodi siue μιμησιν siue ζωγραφιαν obseruationem, & ad intelligẽtiam ipsorum poëtarum plurimum conferre: & hoc amplius, ad rectè instituendam veterum imitationem, non mediocriter conducere.

Τῷ ὅτι πᾶσι δόξα ἐ χαρις.

AVCTORVM QVI IN HOC COMMENTARIO LIBRO LAVDANTVR, ILLVstrantur, aut emendantur,

INDEX.

A

Achilles Statius, 418
Ælianus, 40
Æschylus, 26 156.457.
Alcæus, 8
Alciphron, 298
Ammianus Marcellinus, 193 323.
Ammianus poëta, 312
Annianus, 400
Antidamus, 214
Antipater, 29
Antiphanes, 26.445
M. Antoninus Imp. 36.71 79.90.127.177.180 224.225.260.263.274 275.279.284.287.291 292.298.434.437
illustratur, 437.438
Apollonius Tyanæus, 444
Appianus, 375
Apuleius, 468
Arabicum lexicon, 337
Archytus, 25
Aretæus, 76.297.440
emendatur, 76
Aristænetus, 292
Aristeas, 167
Aristides, 18.31.102.213
Aristophanes, 58. 151.335
eius scholiastes, 156.158
Aristoteles, 18. 24.95.119 171.195.250. 268.286 322.325.380.396.430

474.496.518.
Arrianus,60.99.163.272 277. 278. 280. 281. 287. 412.415.419.425 431.436. *emendatur*, 398.
Artemidorus, 305
Asconius, 307
B.Athanasius, 31.87.311 484.
Athanasio falso scriptæ Quæstiones, 311
item Definitiones. 388
Athenæus, 110.218.433 445.
B.Augustinus,52.84.146 253.297.356.395.404 428.451.
Auisena, 265. *emendatur*, 336.
Ausonius, 6.7.46.67.143 152.199.251.326.373 415.460.479. *illustratur*, 202.203

B

Balsamo, 117
S. Basilius, 180.325 339.516
Boëtius, 47.72.254.281 440. 449

C

Caecilius, 320
Cælius Aurelianus, 101
Callimachus, 426
Calphurnius, 143.151
Cassiodorus, 76
Catullus,16.41.52.141.208
Cedrenus, 7.23
Chrysippus, 150.282.431
Christodorus, 29
Claudianus, 5.6.82.83.84 204.285.440
Clemens Alexandrinus, 79.163.178.179.206 431.504.528
Codex Theodos. 44.383
Columella, 349
Concilium Trullense, 117
Cornelius Tac. 55.354.355
Crates, 407
B.Cyprianus, 84.105

D

Demetrius Phalereus, 128.525
Demosthenes, 323

Digesta, 447
Diogenes Laertius, 90.94 147.207.326.432 *illustratur*, 522
Diomedes grammaticus emendatur, 103
Dion Cassius, 40.355.360 483
Dion Chrysostomus, 46.75 78. 91. 93. 97. 140. 146. 155. 183. 201. 220 221. 226. 237. 301. 355 383. *emendatur*, 253
Dionysius Halic. 118. 126 129.157.158. *emendatur* 17. 28
Dionysius Longinus, 56.138 141.533
Dioscorides, 63.258

E

ENnius, 70
Epicrates, 267
Epicurus, 63. 67.401
Epigrammata Græca, 53 235
Epigrammata Latina, 64 428.456
Epictetus, 48.71.241.431 *emendatur*, 389
Etymologicum, 403
S. Euangelia, 215.251.264 305.324.407
Eubulus, 121
Eunapius, 6
Euripides, 142.143.186 311.363
Eusebius, 60.360
Eustathius, 79.363. *illustratur*, 511

F

FAbius Quintilianus, 19.24.56.59.64.77 99. 112. 113.118.122.125 128.129.136.145.159 375.403
Florus illustratur, 495

G

GAlenus, 69.91.93. 104.325
Geminus, 132
Genesis, 461
Glossæ vet. 60. 62. 264 403.418.428.511
B. Gregorius Naz. 22.37 70. 79. 109. 140. 198 244. 271. 288. 308. 321

322. 330. 381. 400. 432 463. 489. 505
Gregorius Nyssenus, 120 165. 223. 247

H

Herodianus, 224. 490
Hesiodus, 8. 9. 102 397. 482
eius scholiastes, 103
Hesychius, 45. 202. 307 456. 528
illustratur, 418
Hierocles, 170. 226
B. Hieronymus, 64. 80. 81 103. 127. 172. 271. 284 302. 324. 327. 403
emendatur, 510
Hippocrates, 40. 50. 157 310. 458
Homerus, 41. 92. 135. 153 202. 232. 238. 271. 307 383. 390. 489. 514
Horatius, 4. 7. 36. 52. 53. 89 149. 166. 168. 255. 264 274. 301. 348. 369. 375 444. 445. 477. 479 482. 483. 485. 486. 493 509
illustratur, 175. 221. 233 520. 528. 537. 545. 556 557

I

Iamblichus, 244. 252 439
Inscriptiones veteres, 451
Iobus, 333
Iohannes Cassianus, 43
B. Iohannes Chrysostomus, 24. 25. 35. 44. 47. 70 153. 198. 199. 201. 202 238. 248. 252. 279. 289 333. 345. 395. 399. 401 411. 438. 449. 450 474. 488. 508. 518
emendatur, 288
Iohannes Saresberiensis, 27. 71. 148. 153. 215 241. 343. 426. 430. 458
Isaias proph. 238
Isidorus notatur, 404
Iulianus, 167. 178. 311
Iulius Pollux, 161
Iurisconsulti Graeci, 417 426
Iustinianus, 417
Iuuenalis, 8. 26. 35. 42. 53 61. 81. 86. 127. 128. 182 184. 185. 235. 244. 251

256.265.274.285.293
295.300.301.330.356
381. 436. 446. 463
464. 469. 480. 488
506

L

Laberius, 26.226
Lactantius Firm. 17
89.120. 157. 202. 215
221.225.463
T.Liuius, 17
B.Lucanus, 56.324
B.Lucas,
Lucianus, 51.88.98.140
226.397
Lucilius, 7.73.78.238.243
286.353.374. 419. 428
442.443.467.481
emendatur, 200
Lucretius, 120.390
Luitbprandus, 231

M

Macrobius, 23.375
382
Manilius, 19.22.25.27.52
451.482
Marcellus empiric. 87.100
Martialis, 83.119.168.223
231.301353.403.513
Martyrologia illustrantur,
514
Maximus Tyrius, 170
Menander, 251.352.391
396.481. 512
Minutius Felix, 495
Mosis Genesis, 461
Moses Ben Maimon, 292

N

Nathan Iustus, 286
Nero Imp. 136
Nicephorus Gregoras, 383
389.433
Nicetas Choniates, 51
Nicetas in Greg. Naz. 37
Nonnus, 105.141

O

Olympiodorus, 289.
305.308.429.468
Origenes, 28.157
Ouidius, 7. 61.139.154
200.211.255.343.398
410.414. 455. 493

P

D. Paulus illustratur, 440
Paulus Aegineta, 68
Paulus Aquilegiensis, 7
Petronius, 7.20.56.82.98 120.143.183.201.216 254.258.313.446.507
Philo Iudæus, 17.55.143 157.186.205.210.223 249.250.251.252.269 296.310.396.435.440 505
Philostratus, 22.98.126 443
Pindarus, 17.96
illustratur, 27
Plato, 18.24.62.75.150 171.205.208.222.268 277.297.319.320.321 322.323.329.393.419 429.436.
emendatur, 307.511
illustratur, 305.308
Plautus, 5.25.60.99.102 183.205.239.254.301 303.334.369.381.430 444.453.482
emendatur, 307.418
Plinius, 53.96.109.335 390.485.513
Plinius Secundus, 1.497 62.283.380
Plutarchus, 16.18.63.66 67.122.130.146.148 151.179.194.224.239 242.244.248.271.296 395.400.425.446 448.454.460.465 470.472.517
emendatur, 16.376.377 433.466
Polemon, 64
Pollianus poeta illustratus, 14.15
Polybius, 15
Pomponius, 261
Porphyrius, 21.23.226 449
Priscianus, 3.24.417
Probus, 403
Proclus, 76.171
Propertius, 9.86.181.184 187.377.446.457
Prudentius, 75.264.509
Ptolemæus, 51.271.386

R

Rabbini Hebræorum, 51.53.127.133.221

385.401.439
Rutilius, 372

S

Salomon Rex, 35.441
Saluſtius, 427
Seneca pater. 514
Seneca, 7.15.62.67.76.84
94.103.120.121.129.140
163.178.180.181.189
202.204.209.211.224
231.239.243.260.268
269. 270. 271. 275
277.281.283.284.292
301.302.330.347.354
356.386.401.407.411
420.421.425.435.439
441.442. 448. 450
452. 453. 457. 466
469 510.517.518
Serapio emendatur, 336
Serenus Sam. 53
Seruius, 16 197.401
Sextus Empiricus, 328.396
521
Sidonius Apollinaris, 43
73. 80.84. 91. 108.129
144.147.160.246.255
327.371.418
Simocatus, 17.494
Simplicius in Epictetum,
22.106.211.276.277
287.357.516
Socrates, 7
Sophocles, 383
Statius, 6.12.13.19.111.126
136.259.381.386.464
515
Vetus interpres notatur 13
Stobæus, 391.431.434.439
Strabo, 13.208.433
Suetonius Tranus, 498.514
Suidas, 294
Sulpicia, 301
Symmachus, 175.391
Symphoſius, 402
Syneſius, 19.60.61.92.330
424.507
Syrus interpres Bibl. 50

T

Terentius, 152.455
457.551. 239
Terentius Varro, 45.115
121.
Tertullianus, 181.197.463
Theano, 239.240
Themiſtius Euphrades,
426
Theocritus, 15.25.418.428

Theodoretus, 129
Theodoritus, 116
Theognis, 424
Theophrastus, 106.370 427.482.484
illustratur, 446
Tibullus, 86.243
Timotheus, 206
M. Tullius Cicero, 5.14.41 58.80.92.99.180.210 343.253.270.271.276 321.327.346.368.382 394.420 425,430.431 434.479.509.520.521
Q. Tullius Cicero, 514

V

Valerius Flaccus, 209 446
Valerius Maximus, 508
Virgilius, 16.85.86.97.115 135.102.210.224.251 266.285.350.384.409
Vita Hieronymi, 87
Vita Persii, 174.383
Vitruuius, 43.45.88.104
Vlpianus. 19

X

Xiphilinus, 324

Z

Zeno Stoicus, 431
Zeno Veronensis, 341

FINIS.

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

A

Acclamationes *rectè, bene,* & vnde. 65
aceti fæcē bibere. 344
acetum pro acrimonia. 415
ἄκρος παιδείαν. 17
ἀκρόσοφος. *ibid.*
actiones humanæ instar telorum ad scopum diriguntur. 269
adflare. 533. *afflatus.* 157
Ædilium munus. 164
Ægyptiorum superstite. 470.
ægroti in Æsculapij vel Apollinis templo incubare soliti. 9. eorum intemperantia. 300
affectibus voces aptari debent. 12
Aganippe fons. 8
agaso. 411
ager exossatus. 501
albus color proprius otio marcentis ac voluptatib. diffluentis. 301
Alcibiades formosissimus Græcorum. 334
Alexius Imp. 51
ἄλφιτα. 265
ambitio quorundam vltra mortem extenditur. 489 490.
amicitiæ caussa quædam συνασρία. 384.385
anguis symbolum loci cōsecrati. 151. vere vel autumno ponit pellē. 429
anhelare quid. 57.58
animæ meæ pars melior. 372
animi duæ partes. 2.380 381. aduersus eius morbos vnde petenda remedia. 272.273
in animo aquam intercutē habere. 73
animus κοιλίας appellatione denotatur. 70.71. quomodo vultū dicatur ducere. 382. *animus fert.* 323

Annæus Cornutus. 360
annona publica vescendi qui ius haberent. 408
antitheta. 125
anulis manus ornare viri 60.61.
ἀπογραφὴ καὶ ἔγκρισις poëtarum Ro. 18
ἀποσιώπησις. 48
apricatio & aprici sœnes. 460.
aqualiculus. 100
argillæ & adolescentiæ cõparatio. 241.243
aricia 501.502
Aristophanes senex. 158
æs rei familiaris augendæ duplex. 518
Arthriticorum lapides. 392
artifex vultus, nodus, &c. 382 383.
asini auriculas manu imitari. 104
asper. 285.286
Athenienſium leuitas. 329
atramenti vitia duo. 236
auari miseria. 341. & seqq. malitia. 352. dementia. 489.490. cupiditas. 512. auaritiæ viliſſimæ notæ. 482. eius nullus terminus. 516. & seqq.
aues quæ vocem humanam imitantur. 21.22
auiæ veteres. 419
auribus escas colligere. 70
auriculas mouere. 104
aurum ouatum. 211
Auster pecori infelix. 481
anunculus maior. 504

B

Baccam conchæ radere. 218.
balbuties. 83
barbam alicui vellere. 167 194.
baro. 443
bathylli ad numeros moueri. 433
baucis. 334
bestius. 491
bidental. 192.193
bonorum tria genera. 90 246.
bouillæ. 501.502
bulla vanitatis signum. 370
bullire. 252.253

C

Caballus. 6.7
cæpæ Isiacis exosæ 471.
calamitatis vtilitas. 25.26
calcei Romanorum proprij. 161
calculo albo signare. 175
calculum reducere. 430
calere & feruere. 323
C. Caligulæ triumphus fictus. 497
calfacere forum. 353
calo. 422
caluus, conuitium. 100

canem radere. 261
cantare ocima. 335
canthus. 402.403.404
caprifici natura. 74
caput obstipum. 296
carcerem æstuare. 353
carmen προσόδιον. 3. ἀναθηματικόν. *ibid. carmen ad sacra vatum afferre.* 18
Carneades cum Zenone disputaturus elleboro purgari solitus. 96
casci barbati. 320
castigare. 44.45
catasta. 513.514.515
caudam iactare popello. 328 329.
cauere. 353.354.355
caussidicis quæ munera dari solita. 293.294
cedria *vel* cedrium. 87
centusse curto emere. 472
Ceorum lex de senib. 320
cera ex milto. 418
ceramia salsamentorũ vasa. 294
κεράτιον. 264
ceruice laxa legere. 140
cestus. 45
charnub. 264
χειρήϊος, χεῖρος, χειρεῖος. 15
χκρεία μερὶς. 15
Chrysippi sorites. 521. libri de eo arg. 522
cibi feruentes veterib. grati. 312
cicer frictum inter missilia. 459.
ciconia. 102.103
cicutam bibere. 320
cinere vlterior. 494.495
circumagere pro liberare. 410. 411
cithæron. 9. mons vnde appellatus. 10
κλαδαρός. 528
Cleanthes. 396
κλῆρον εὐκληρεῖν. 15. 16
cœna funebris. 490
cognati. 503
colluere. 63.64
color luteus, albus & pallidus sæpe confunduntur. 300.
columbæ Veneri sacræ. 237
coma vnguentis delibuta. 347
compositus. 299
conscientiæ flagella omnibus aliis maiora. 256
conuiuia qua hora fieri solita. 383
in conuiuiis confabulandi mos. 81
ex cordis motu corporis morbi, & animi perturbationes cognoscuntur. 310.311.
corneus. 91.92
cornicari. 367
coronondi doctorum statuas institutum. 14
corporis aliqua labe insignes irridere nefas. 162
cortex pinguis. 138
corui. 22.23

coruos luti aut testæ iaculatione sectari. 269
crapula. 268
κακόζηλος. 412
Cratinus poëta. 156
κρήνυς nomẽ cui fonti primo tributum. 6
crepidæ Græcorũ propriæ. 161.
cribrum populi. 312
κρόκη. 511
crocotta. 21
κροκοδειλοτρόφειν. 44
crura præbere clam trahẽtibus. 194
cumini natura. 389.390
Cunina dea. 202
cupiditatis nullus finis. 517 & seqq.
currus rotarum & procrastinatoris comparatio. 402.
curua corrigere. 262
cute perditus. 73
cymbalum. 469
Cynici philosophi. 165.166
κυφία. 61

D

DAma. 411.547
declamantes cantare soliti. 68
decoctores. 391
decoquere. 159.160
decotes. 511
defigere. 369
Demagogi descriptio. 328.329
depungere. 517
descendere in se se. 339.340
in Deo orando vulgi errores. 170.171.172.173.177 178. de eo orando Græcorum præceptum. 206
Deum bene orare propria philosophi laus. 170
Deum vnum philosophos agnouisse. 289
Deus esset annon, veteres philosophi in physicis tractabant, erga deos officia in ethera. 169
deos priusquam adirent veteres lauari soliti. 186. eos non esse orãdos quidã philosophi asserebat.
deorum aures mercede emere. 195. *diis bona ducere.* 216 aueam barbam apponere. 212.213
dij curationes in somnis indicare crediti. 212. 213
dij pellentes. 552
Dianæ Aricinæ sacerdotiũ sola virtute parari solitũ 502.
dicendi tenerum genus in foro vsurpatum. 122.123
dies craftina nullum finem habet. 401
digito monstrari. 79.80
digitum exerere. 431
digitus infamis. 201
dispositionis & habitus discrimen. 452. 453

diſſolutus. 267
diuite nouitio nihil inſolentius. 413
diuitum ſcripta laudari ſolita. 96.97
diuitiæ vitæ inſtrumentum 473.474. earum vſus. 474.487.488. auaro ſacræ.555. inanes. 37. iis prodigi abutantur. 485 486.
doloſus nummus. 27
domus laureatæ ac lucernatæ. 464
de dracone qui aurem alicui lambiſſet veterum opinio 415

E

EBrietatis mala. 302.303
ebullire. 181
ἔχειν ἀτρέμας 332
edurus. 493
egerere. 401
elegidia. 97
eliquare. 84
elleboro purgari ſolebant ſtudioſi. 96
eloquentia omnis habet aliquid commune. 56
elumbis. 69
emereri. 409
Ennij ſomnium. 9.10
enodis. 493
ἐντελεία. 321
eques de cataſta. 514
equulæus. 514
ergenna. 193
ἔρμαιον. 183
error vitæ neſcius. 377.378
eruditio Græcis cur παιδεία dicta. 244
eſſeda. 480
eſt operæ. 498
examen. 43.44
exarmare. 493
exfeſtucare. 458
exhalare. 447
exire. 89.90
ἐξουνχίζειν. 108
ἐξορχεῖσθαι. 31
exoſſare. 493
expers. 493
expiandi genera. 201
expungere. 184
exſpecta. 332.333
exſurdare. 556
extendere. 379.380

F

FAbularum vſus in poëſi 18.
farrago. 412
fata ſcribunda aduocare. 199
fatum. 281.282
ferire. 529
fermenti natura. 74.75. *in fermento eſſe* quid. *ibid.*
feſti diei apparatus. 462 463.464.
feſtuca. 458
fibræ. 90.91
fidelia. 293. viridi limo, non cocta. 242

figere lumine terram 296.297
finis in philosophia morali initio constitui debet. 92.93.94. ex eo actiones iudicantur. 259.260. eius cognitio officiorum omnium radix. 268
fistula. 236
flagellare opes. 353
flectere metam. 283
flores miraculo erumpētes è terra. 86
Florus poëta. 15
fœniseca. 494
follis pro pulmone. 545
fores vdæ à Persio. 454
fossor. 433
frangere. 64.386.387
frenum mordere. 457
fruges pro cultura animi 395.396.
fulcire. 119.120.445
fulguritus. 192
in fulmine ictis mos veterum. 190.191
funem ducere. 430
funus præclarum. 182.183
funus acerbum. 304.306
funeris descriptio. 303.304

G

Gausape. 348.498
Genius. 341.483
genium curare, genium defraudare. 176
γέρας. 412
gloria quomodo expetenda. 88.89.92.94. veræ ac falsæ discrimen. 88.89
gloriæ auidi ad rectam rationē facta sua non exigunt. 45.46
gloriam sectantium miseria. 71
gluttus. 428
glyco. 365
Gorgiæ imitatores in versu, ab eius æmulis in soluta oratione quomodo differant. 130
Græci φιλοκαλίας studiosi. 161.
γρᾶσις. 412
Gregorius Thaumaturgus. 165.
guttus. 485

H

Habitare apud mentem suam, & secum. 356.357
habitus & dispositionis discrimen. 452.453
hedera saxa disiicit. 76
Helicō monsvnde dictus. 9
Hereules à rei faciendæ studiosis cultus. 183
Herodianorum secta. 461.462
Herodis dies. 461.462
hiare. 362
hiemare. 479
hieram facere. 16
ἱμάτιον περιφάγωνον. 161
Hippocrene fons. 8. cur dicatur fons caballinus. 7.8
hircosus. 295

homo opus Dei præcipuũ. 276. ad quid natus. 280 pars vel membrum vniuersi. 290. 291. eius coniunctionis fructus. 291 arbori similis. 392. 393 interior & exterior. 437 & seqq. homo ab humo. 503. hominis definitiones variæ. 277. & seqq. homini nascenti aliud animal adnasci. 439
homo in diem viuens. 271
homines natura ad maledicendum procliues. 340. 341. senio minores videntur. 482. primò è terra nati. 503. eorum volũtates. 388. studia diuersa. 387. 388. vota stulta. 205. 206. & seqq. mores inter se non conueniunt. 483. curæ vanæ. 34. & seqq.
humanæ vitæ duæ partes. 384. humanæ res. 290. 291.
horoscopus. 483
hospes. 535
hyacynthinus color. 82
Hyæna Indica. 21
hydrops φιλοδόξων. 73

I

Iaculandi modi & species. 363
ignem transiliendi mos vnde. 115. 116
illiberalitas. 475
imitationis vtilitas. 524. eius genẽra. 525. 526
impellere. 184
inane & solidum. 36. 37
incontinens. 249. 250
incoquere. 224
incudere. 209
inducere. 499
indulgere. 390. 391
infans quando veterib. pro vitali fœtu habitus. 196 197. quinto die lustrabatur. 197. à quibus. 199 200. pro iis vota fieri solita. 292
infractus. 493. 494
infringere. 551
ingenium qua ratione paupertas largiatur, vel res aduersæ minuant. 24. 25
insertus. 493
insolatio. 346
institutio praua quantum obsit. 111
intemperans. 249. 250. submerso similis qui nunquã emergit. 252
intemperantiæ mala. 30 & seqq.
inuidia. 293
ira. 313. fortitudinis cos. 26
iracundos mollis educatio efficit. 239. 240
irati eadẽ sæpius repetunt. 242.
Iudæorum mos amaris ves-

cendi cùm Pascha celebrarent. 146. in sabbatis superstitio. 466
iudex sui quisq. esse debet. 46.47.48.
iudicum innocentium ministerio abutuntur improbi. 352
iudicum ordo etiam libertus concessus. 414
iugum ad compita figere. 342.343.
Iunonis mensa. 197
iurans sæpe peierat & impius est. 342.343
iuuenis. 249. vasi fictili similis. 241.243. ob generis splendorem aut diuitias ferociēs. 244.245
iuuenū molliculorum deliciæ. 238
iuuentus adhuc tenera disciplinis capiendis habilior. 243. exemplis sua peccata defendit. 256 deprauatæ insolentia. 301. delicatæ mores. 233 234. pertinacia. 240. malum fatale procrastinatio. 397. & seqq.

L

Labra mouere. 465
lacrimæ omnis grauioris commotionis comites. 210
lagenam obsignare. 482
lallare. 240
lambere verb. 14
λαμπαδηδρομία. 507
λαμπαδηδρομίκης agones. 506
lares. 552
lauandi antequam dij adirentur varia genera. 186
lecti citrei, lucubratorij. 97 98
lectus altus, humilis. 306
è lecto surgentes purificari consueti. 187
de lemuribus Platonicorū opinio. 467.468
libationes in patella. 222 241.
liber solus sapiens. 406. libero non omnia licent. 420.
liber totus à primis eius vocibus designatur. 137
liberalis quis dicendus. 495.496.
liberalitas. 474
libertas duplex. 409.410 416. eius definitio. 414 415. 417.
libertas humana quæ sit. 406. & seqq. 416. 421 422. eius parandæ ratio. 424.425.
libertos suos omnes Romani mensæ honore nō dignabantur. 486
libram percutere, vel *percurrere.* 44.45
librare. 127

Licinius Stolo. 203
linguam exertare ad alicuius contumeliam. 104 105
lite æ à plerisque magnatum inter pocula laudātur. 81
Lucrum luteum. 427
ludimagistri veteres discipulis suis etiam nobilissimi cuiusque suorum æqualium scripta legebant. 80
Ludus ingenuus. 369
lumbi Veneris & roboris sedes. 68.69
lumbrici. 503
Lunæ portus. 478
lustralis solennitas. 198
lustrationis ritus. 200.201
lustricus infantium dies. 197.198.199.200.
lutum 243. in expiationibus. 201
lux palustris. 393

M

Machina. 514
magnanimi viri certa nota. 155
Magnificentia. 496
magniloquentia apex facultatis dicendi. 56. quomodo vera paretur. 57
maiestas matronarum & puericiæ. 376
malus stultus. 406
mamma. 240
mancipia cur in cataſta pōni solita. 514.
Manius. 502
mantica. 340
manumissi in tribum adscribi soliti. 408. non semper ciues facti. 409 nomen mutare soliti. 409.413.
manus immunis. 537
manu silentium imperare. 324.
Marcus prænomen honestissimum. 66
mare hibernat. 479. maris tepor vnde. 478.479
maris expers. 492.493.557
meditantes cur terram cernere dicantur. 297
membrana pueri in scribēdo vsi. 235
mēs recta in magnis opib. vix seruari potest. 222
mentem bonam optare. 181
mephites sulphureæ. 302
merces bonæ singulæ emūtur, viliores aceruatim. 472.
Mercurialis salium. 428
Mercurius lucri præses. 507. ἀγοραῖος dictus. 183 curei Ægyptij sacra XIX. die mensis primi instituerunt. 146
meretrices quomodo iuuenum stultorum patientia sint abusæ. 455.456
messe tenus viuere. 487

μετὰ φωνῆς εὔχεο. 180
μεταλαμπαδεύειν. 506.507
miniatula. 418
mores ex actione & voce pellucent. 59
mortuorum ſepeliẽdorum ritus. 303. & ſeqq. ad oſtium collocationis ritus. 306.307. eius collocationis cauſſæ. 307.308
mortuum componere. 305 306.
motus & moueri. 549
Μασῶν ὄργια χεραίνειν. 19
muria. 484

N

de *Naſo loqui.* 83
naſo ſuſpendere. 152
natta. 248.249. *natta diſcinctus.* 257
natali die munera mitti ſolita. 174
in naui vbi dormi cubarẽt veteres. 446
negotia hora quinta curari ſolita. 231.232
nendi artes. 510
νεόπλουτος. 413
nepotatus. 508
Neptuni filij peregrini dicti. 503
Neronis flagitia. 354
nerues decipere. 350
νευροσπαστεῖν. 437
νευρᾶν. 206
nominalia. 198
in nominis electione quod puero imponeretur veterum ſuperſtitio. 198
nona hora corpori curando accommoda. 167
Nonaria meretrix. 167
noſce teipſum. 276.357
nox polluere credita. 187
nucibus ludere. 51. nuces relinquere. *ibid.*
nucleus oſtreæ. 218
nugæ bullatæ, vel *pullatæ.* 370 371.
numinis mentio in operis inchoatione. 343
nutricum pro pueris vota. 204.
nutrire, pro, augere. 447 448

O

Obba. 447
obſcœnitate cur viri graues obſcœnitatem reprehendentes ſint vſi. 344.345.346.
obſtipum caput. 290
occare. 487. 488.556
occentare oſtium. 454
ocimum. 335.336
oculis epulas dare. 70. oculos demittere modeſtiæ ſignum. 296
oculo vno cur melius quis videat. 108.109
offa. 364
officij inueniendi via du-

plex. 326
ohe dicere. 72.528
oletare. 150
oletum facere. 150
oleum in vnguentis. 217 218.
orare solus sapiens nouit. 205.
oratio talis quales mores 144. oratio teres. 368 eius maxima vitia. 56.57 362.363. eius magnitudo. 137. oratio simplex. 177 in ea figuræ & sententiæ non sunt affectandæ. 125 & seqq. grandem non efficiunt verba sonantia & periodi longiores. 57
oratoris laudes præcipuæ. 367.368.3695
orca. 261.262.294
ordo rerum. 281.282
ouo futura prædicere. 468 469.

P

P*Aganus.* 17
pallilia. 115
palloris studiosorum caussæ. 77
palpo. 458
παππάζειν. 238
pappare minutum poscere. 237 238.239.
parapegma. 395.396
παρασαλεύειν. 44
Parnassus vnde dictus. 9.10
pascales oues. 270
τὸ πάθος ὅρον οὐκ οἶδεν. 517
patruus. 52
paupertas artium magistra 25.26.
peccata æqualia iuxta Stoicos. 421.431. aliena omnes acutissime vident. 338.339. grauiora leges vindicant, leuiora censores notant, &c. 420 421.
peccatum opus seruile. 435 eius caussa. 268
pecten tetricus. 476
pectus sinuosum. 374
pecuniæ parcimonia specie honesta, & turpis. 27
Pedius Blæsus. 124.125
Pegasus. 8
peragere cibum. 485
περιστέλλειν. 305
perulus. 218
pes varus. 326
phaleræ. 247.248
philosophia omnia viri boni officia explicat. 421 vitæ lex. 377.425. Romanis inuisa. 164. remedia præstat aduersus animi morbos. 272. 273. eam qui respuit ægroto similis qui medicum respuit. 299.
philosophia moralis à Socrate. 378.379. eius duo loci. 274. & seqq. fructus 394. principium finem

constituere. 92.93
Picumnus deus. 197
pietas vera generosa. 225
pigritiæ malum. 441
pileum insigne manumissionis. 414
Pilumnus deus. 197
pinsare & pinsere. 103.104
Pirene fons. 12.14
pisare & pisere. 103.104
planguncula. 221
πλάσμα. 63
Platonicorum de lemuribus opinio. 467.468
πλάττειν φωνήν. 63
plaudere cum accusatiuo. 515.516.
poësis rhythmica. 133.134
poësis veratro ebria. 95.96
poësis Hebræorum duplex 133.
poëseos lyricæ hypotheses consuetæ. 477.478
poëta semipaganus. 17.18
mali notæ. 366.367
poëtæ quando & quomodo proœmio vtantur. 1 quo tempore maximo in honore. 4.5. famelici quibus similes quæ vocē humanam imitantur. 20 21. auditores corrogabant. 98.99. eorum superstitio de Hippocrene & Aganippe fontib. &c. 8.9. eorum mos in rei alicuius magnitudine declaranda. 361. eorū vitia. 55.56.118
poëticæ facultatis cos est ira 26. ad eius studiū multi tanquam in portum confugiebant. 20
polenta. 265
politica scientia. 321.325
pollice ducere. 381.382
Polydamas. 41.42
popa. 511
populi res. 319
porticus Stoicorum. 262 263.
πόλβινοι & πόλπιτον. 62
præcipiendi via duplex. 221
præmia cum ambo antagonistæ è certamine pares redirent, cui cederet. 16
prætexta. 375.376
prandere qua hora Romani soliti. 23.252
preces quomodo faciendæ 177.178
procrastinator desidiæ suæ finem nunquam facit. 402.
prodire. 11
producere. 499
pronuntiationis vitia. 63 64.84.85.
προσαναχρώννυσθαι. 158
prouerbia, aut prouerbiales locutiones: *lassus tanquam caballus in cisso.* 7 *omnia fui, nihil expedit.* 36 *vel pauci. vel nemo.* 39.40 ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνεται. 108. ἐν πινθῆσι γελᾶν. 129

natare sine cortice. 139. *in vdo esse.* 145. *ciborum frigidorum forum.* 147. *Regum filius similis.* 337. τοίχα ἀνδρα τοῦ φυλάττειν. 429. *farinæ eiusdem.* 429 ἄλικν τρυπᾶν. 444. *da mihi hodiernum diem sume tibi crastinum.* 449. *qui protrudit horam, hora eum protrudit.* 401. δρᾶμα γίνεται. 450. *liberatus non est qui catenam trahit.* 453 μεσημβρίνος λῦρος. 460 σφαιωτικὴ ἕξιν ἀλογία. 471. ξῦ χύτρα, ξῦ Φλία. 477. κατὰ ξυρᾶ. 484. ἂν ἂν ἐπαινεθείης, τάδ' ἐν πάνδαισίοις. 490. *multi Manij Ariciæ.* 500. 502. δαιὰτὸ ὤνιον τὸ κέρδος. 512

prudētia quomodo acquiratur. 321. 322. 323. quid sit. 322

Psittaci Asephæ. 22

puerorum lusus. 260. 261 262.

pullatus. 371

pulmonis vsus ac natura. 58. elationis sedes. 419 545.

pulpa. 216

puluinum ascendere. 62

puisu scholasticus. 164

pumicis vsus. 235

pupæ. 220. 221

purpura vestis sacra. 375 376.

purpurea toga. 375

putealflagellare. 353. 354

Q

QVadruplatores. 352

quirites hesterni. 308 309.

R

RAnus pro familiæ sobole. 246. 247

ranæor. 82. 83

recedere in sese. 340

recitationum institutio vtilis in vanam ostentationem versa. 65

recitabant sedentes apud veteres, dicebant stantes 62.

recitatorum cura vt vox auditoribus placeret. 63 64. eorum artes vanissimæ. 98. 99. mollities. 140

recitaturi toti prodire soliti, &c. 59. 60. vt auditorum magnus esset cōcursus multum laborabant. *ibid.* pallidi. 61

recoquere. 224

regula, norma, perpendiculum. 326

regula fallere sollers. 379. 380

religio & superstitio. 460 461

rerum nomine quid intelligat Persius. 35. 36

resurrectionē Stoici quatenus crediderunt. 282
Rhamnes celsi. 527
Rheni. 498
rhetorum vitia in iuuentute instituenda. 111. 112 113. de argumentorum collocatione præceptū. 414.
rhombus. 486
rhythmi vsus in oratione. 132.133.
rhythmici versus. 132. 134 135.
ridere, pro, arridere. 298
Roma turbida. 43
Romani scripturi intra cubicula sua in sectis se continebant. 55. Titi prænomine denotantur. 66.
rubrica. 418
rugam trahere. 516.517
rumpere buccas. 246
rus saturum. 113

S

Sabbata pallere. 466
Sabinorum mores rigidi. 476.
sacrificia veterum. 208. cur offerantur. 220
sacra habere omnium artiū commune. 18.19
sacrum. 220
sal pauperrimorum victus. 443.
sal purum. 245
salem delingere. 444
salmum digito terebrare. 443 444.
saliua in lustrationibus. 200.201.
saliua pro gustu. 486
saltare ad tres numeros Bathylli. 434
sambuca. 422
sanna, eiúsque species. 102 106.
sanna rugosa. 298
sapiens nihil suscipit opinioni seruiens. 78. solus scit orare. 70. in dictione interdum consulto peccat 150. ex omni virtute facit. 433. solus liber. 359. 406. non est qui non totus sapit. 432
sapientia maris expers. 492 493.
Sardonyches in anulis. 60
sartago vnde. 121
satiræ obiectum. 110. periphrasis. 155. proprium ridendo verum dicere. 369
satirarum scriptores in vitiis obiurgandis elegantiam refugiunt. 149
Satirici sæpe ex abrupto orditur. 230. cur aliena carmina suis scriptis inserant. 531. eorum mos in carpendis vitiis. 114
Satyrus Bathyllus. 433. 434
scabiosus. 185

scapum percurrere. 44.45
χρεὼν in officiorum ratione. 280. & seqq.
χρεὼν in versibus. 132
scientia fermẽto & caprifico similis. 74.75
scribentibus quis locus aptus. 55
scriptionis finis lectio. 38
sculponeis os batuere. 456
σκυθρωπὸς. 50
sedes celsa. 62
seges en herba. 488
semipaganus. 17
semuncia breuis. 433
senex 158
semionem ferre. 261
senium. 78. pro squallore & illuuie. 482
sepia. 235.236
serenitas. 67
serui apud Romanos à liberis nomine tantũ distincti. 409. nõ omnes eiusdẽ conditionis. 411. quomodo vendi soliti. 514
seruitus animi vel corporis 435.
seruitus extrema. 441
silentium studentibus familiare. 297. silentii indicendi modus. 324
siliquæ. 264.265
singultire, pro, fastidire. 509
sinu suscipere. 378
de Sirio vulgi error. 232
sistrum. 469
sitiens camelus. 442
Socraticus sinus. 378.379
sol, vnctus & assus. 346
solem in cute figere. 346
soles longos consumere. 383
solea obiurgare. 450
solidum & mane. 36.37
somnia immittere. 213
somnus irriguus. 390
sonare vitium. 262
soritis nullus finis. 519.520 521.
σπεῖρες pro pueritia aut iuuentute. 202
splen sedes risus. 53
spumosus. 138
Staius vel Staienus. 189
stamen. 510
stipare. 296
stloppus. 367
Stoici philosophi. 165.166 sapientes omnes austeros esse volunt. 147 Deum vnum esse agnoscebant. 289. eorum de rebus humanis doctrina 290. omnes præter sapientes putant insanos. 314.
Stoicorum cultus. 263. victus tenuis. 264. de iudicio sui præcepta. 46. de fine. 260
stringere. 218.219
subsellia contundere. 353
subtegmen. 510
suburra. 317
sudare deunces. 448
suffare. 333.334

fulfur, fulmen, fulgur. 190 191.
fumen calidum. 198
ſuperborum inceſſus. 163
ſuperſtitio & religio. 460 461. ſuperſtitio meticuloſa. 225
ſuperſtitioſi. 176. 177. eorumſabbatiſmi. 466. 467 diuinationes ſtultæ. 468 469.
ſupinare, ſupinus. 163
ſupplantare. 529
Syrorum ſuperſtitio. 470 piſcibus abſtinebant. *ib.*

T

TAbulæ ad miſericordiam commouendam dam factæ. 128
talaris luſus. 261
temperare & frangere. 386. 387.
ex tempore facere. 271
temulentorum mala. 302 303.
terræ filij. 503
terram leuem & grauem defunctis optare. 85
tetricitas & vultus triſtitia. 50.
tetricus mons. 476
Thaletis de rerum omniũ origine ſententia. 503
theta nigrum præfigere. 327
thymni cauda. 464. 465
tingere. 483. 484
Titus prænomen honeſtiſſimum. 66
τύκος. 448
toga Romanæ grauitati propria, à multis neglecta. 161
toga purpura prætexta. 375
toga virilis. 376. 377
togæ vmbo. 377
tragacantha herba. 63
trama. 509. 510
Tribuni ſacroſancti. 376
triental. 302. 303
triumphantes epulum & viſcerationem populo dare ſoliti. 499. 500
τρόφωα. 261
troſſuli qui dicantur. 121
tucetum. 207
tumere. 465
turbidus. 43
turdos magnificiebant Romani. 486
tutor, pro cenſore. 52

V

VAllis. 479
vapida lagena. 482
varus pes. 326
vaſis fictilis vitia. 241. 242
venæ quomodo dicantur currere. 299. 300
venoſus liber. 119
veratrum. 95. 96
verborum recta electio oratoris laus præcipua. 367
veritas amara, & dulcis. 146

veritatis auram colligere. 157
vernare. 479
versus tremulus. 69
versus rhythmici. 130.131 & seqq.
Virgilii mos in versib. suis scribendis & corrigendis. 159
vertere. 412.442
vertigo manumissi. 410
vestis accubitoria. 81.82 404.
vindicta. 417
vinum neruis inimicum. 267.
vinum Coum. 549.550. Surrentinum. 300
vina Græca fictilibus vasis in Italiam deferebantur. 549.
virbi cliuus. 502
virgulta disiiciunt saxa. 76
virtus & vitium in eadem vicinia. 325
virtutis studiosus sibi non aliis placere debet. 47 48.
virtutis dimidium ei perit, qui seruus fit. 24
virtutis & vitii nullum medium iuxta Stoicos. 432
virtuti numeri cur attributi. 434.435
virtutem qui cognitam habuerunt, nec tamen vsi sunt, eorum acerrimi cruciatus. 253.254
in virtute certi profectus nota. 400
virtutes & vitia animalia credita. 439
vita vaga. 269
vita actu non tempore metitur. 449
vitæ casus recte æstimare, ad magnanimitatē multum valet. 291
vitium eiiciendum, priusquam virtus tradatur, 394.395.
vitium nunquam potest se probare hominibus. 254 255.
vitio stupere. 250.251
viuere est agere. 476.477
viuere recto talo. 425.426. in publico. 180. *ex tempore.* 270.271.
vlcera Syriaca & Ægyptiaca. 470
vmbo togæ. 377
vncta pulmentaria. 303
vngue leuitatem operis explorare. 108
vnguentum pretiosissimum è casia nigra. 217
vocabula grandis soni. 120
vocem arte corrigere. 63
vocis tenerę Romæ ingens amor. 267
voluptas non merces virtutis sed accessio. 94
voluptatis fructus. 391.392
voluptatum vsus maximè corpus corrumpit. 267
vota impia. 182.183. super-

uacua & pernitiosa. 196
votorum duo genera. 172.
votis pacisci & prece poscere emaci. 535
vrinam reddere in loco sacro summa impietas. 151
vulnus cæcum. 349
vultus tristitia & tetricitas. 50

X

Xerophagiæ. 484

Z

Zonæ vsus indicium emendatæ vitæ. 248

FINIS.

Operarum peccata sic restitue.

PAgina 18. *versu* 1. per ἀψικ. *scribe*, pro ἀψ. *pag.* 64. *v.* 9. κεπλασμένοι. *scrib.* κεκλασμ. *pag.* 81. *v.* 1. ostendent. *scrib* ostenderent. *p.*89.*v.*18. non vt in p. *scrib.*non de iis quæ vt in p. *p* 99 *v.*12. Υπερφυῶς. *scrib.* Υπερφυῶς. *p.*100.*v.*12. plus à quo. *scrib.* plus æquo. *p.*125. *v.*12. vera in pulchrit. *dele* in. *p.* 134. *v.* 10. ἔμμετρος. *scrib.* ἔμμετροι. *p.*155.*v.*20.iudicum.*scrib.* iudicium. *p.*144.*v.*9.distinctum.*lege*, discinctum. *p.*164. *vers.*9. tam ædilium tam vrbicorum. *dele posterius* tam. *p.*74.*v.*14. ἀπροσδιόνυσον. *scrib.* ἀπροσδιόνυσον. *p.* 202. *v.* 24. recentem.*scrib.*rubentem. *p.*208.*v.*20.ditescenti st.*scrib.*ditescendi. *p.*212.*v.*11.sibi propitiat.*scr.*propitios. *p.*258.*v.*1. membrana.*scrib.* membranæ. *p.*262.*v.*6. Trochus Græcus. *dele & scribe*, Turbo siue βέμβιξ Græcorum. *p.*280. *v.*2.ὥς τις ἐστιν. *scr.*ὅς τ. *v.* 4. etsi. *distingue*, & si.*contrà v.*6. & si al.*iunge*, etsi. *p.*281.*v.*18. πολυποικίλω. *scr.* πολυποίκιλον. *p.*287.*v.*9.ἐπίθετοι. χρόσεις ita.*tolle distinctionem post* ἐπιθ. *& pone post sequens verbum.* *p.*305.*v.*25.Proclus.*scrib.* Olympiodorus. *p.*320.*v.*21.Meandri.*scrib.*Menandri. *p.*373.*v.*10. διακωδώνιτε. *scribe*, διακωδώνιζε. *p.*394. *v.* 22.is enim scientias. *lege*, is enim sensus ad scientias. *p.*428.*v.*1. αἰσχροκέρδειαν. *scribe*, αἰσχρόκ. *p.*440.*v.*15.imitari medici de m.*scribe*: imitati medici cum de m.m.i.pronuntiarunt. *p.*442.*v.*28.in Verum.*scr.* in Verrem. *p.*448.*v.*12.*scribe sic*: pergant auidos sudare d. *at vers.* 14.*scr.* auido sudore. *p.*471.*v.*29. *scribe*, κερδαλεόφρων. *p.*473. *v.*16.deerrebat.*scr.*deerrabat. *p.*480. *vers.vlt.* partu.*scr.*portu. *p.*503.*v.*8. tritauus Meuus & Mauius. *scrib.* meus & Manius. *p.*539.*v.*27.ioculamur.*scr.*iaculamur. *p.*551.*v.*17. Frustere.*scrib.* Frustrere. Hæc obiter obseruata sunt: si quæ restant huius generis alia, æquitati Lectoris ea permittimus emendanda. hoc vnum monebimus, in allatis Persij verbis sæpicule peccatum esse: non adeo periculosè, cum facilis sit correctio ex ipso poëta.